UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

# R. P. Pauli Segneri Societatis Jesu Brevis Vitæ Historia cum ejusdem Concordia Quietis & Laboris in Oratione, Expositione in Psalmum Miserere, Considerationibus de Inferno, Expositione Cantici ...

**Massei, Giuseppe**

**AUGUSTÆ Vindel. & DILINGÆ, 1707**

**VD18 12383155**

urn:nbn:de:hbz:466:1-47773

Visual Library

Th. 2808.

J 50 XI

# R. P. PAULI
# SEGNERI
## SOCIETATIS JESU
# Brevis Vitæ Historia
*cum ejusdem*
## Concordia Quietis & Laboris
in Oratione,
## Expositione in Psalmum Miserere,
Considerationibus de Inferno,
## Expositione Cantici Magnificat
Collegii Societatis inchoatâ, Jesu Paderborna 1908.
*Ex Italicis nunc primùm Latina*
interprete
## P. MAXIMILIANO RASSLER
SOCIETATIS JESU.

*Cum Gratia & Privilegio Sacræ Cæs. Majestatis*
*Et facultate Superiorum.*

AUGUSTÆ Vindel. & DILINGÆ,
Apud JOANNEM CASPARUM BENCARD.

ANNO M, DCC VII.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Thyrsus Gonzalez
## Præpositus Generalis Societatis JESU.

*Cùm librum, cui titulus:* Brevis Historia Vitæ P. Pauli Segneri, *à P. Josepho Massei nostræ Societatis Sacerdote conscriptum aliquot ejusdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi posse probaverint, facultatem facimus, ut typis mandetur, si iis ad quos pertinet ita videbitur: cujus rei gratiâ has literas manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus Romæ 8. Martij 1701.*

Thyrsus Gonzalez.

BRE-

# BREVIS HISTORIA VITÆ V. PATRIS PAVLI SEGNERI SOCIETATIS JESU

Missionarij & Concionatoris Apostolici

scripta Italicè

à

P. JOSEPHO MASSEI

*Latinè reddita*

à

P. MAXIMILIANO RASSLER

UTROQUE EJUSDEM SOCIETATIS

Sacerdote.

*Cum gratia & Privilegio Sac. Cæs. Majest.*

*Et facultate Superiorum.*

AUGUSTÆ Vindel. & DILINGÆ,

Apud JOANNEM CASPARUM BENCARD.

ANNO M. DCCVII.

Illustrissimo

*DOMINO DOMINO*

# FRANCISCO CHRISTOPHORO

S. R. I. Lib. Baroni à Schellenberg, Domino in Kislegg, Waltershofen, Rötsee & Fesenheim &c. S. Cæs. Maj. à Consiliis, Liberæ Imper. Equestris Nobilitatis Suevicæ per Hegoiam, Algoiam & ad Acronium

DIRECTORI &c.

*Domino ac Patrono perquàm Gratioso*

*Interpres.*

PRodeunt tandem, Vir illustrissime, in lucem publicam pridem promissi, à plurimis expetiti, residui libelli ven. memoriæ P. Pauli Segneri, quibus ipsa Vitæ ejus Historia præmittitur. Hos ego subsecivis horis latinè loqui doctos Illustrissimo tuo nomini, pro singulari meâ in te observantiâ, dedico consecróque. Nec timeo quorumcunque vel murmur, vel admirationem, qui ab re esse dicent, homini de seculo, Equiti, civilis administrationis gubernationisque officiis occupato, nuncupare Historiam Vitæ Viri religosi, potissimam annorum suorum partem versato in scelerum licentiâ totâ Christiana eloquentiæ vi corrigendâ, in Regionibus ac Provinciis Apostolico ritu percurrendis, Animabus ad DEUM totâ virium facultatúmque omnium contentione reducendis. Multo minùs lucubrationem

nem, quæ de recta Orandi ratione, dedocendísque, qui in hac à nonnullis spargebantur, erroribus tota agat, ejus ordinis viro offerendam: nec dispárem esse reliquorum, quæ hoc volumine continentur, operum rationem: omnium notitiam lectationémque non aliis magis, quàm religiosis hominibus convenire, horum terenda manibus, horum imitatione exprimenda: alia tibi, ceterísque, qui eâdem tecum vitæ conditione sint, convenire, quæ profanam historiam, civilis prudentiæ præcepta, rectam populorum regendorum rationem complectantur. Hæc, inquam, murmura, quia eorum sunt, qui nullam tui notitiam habent, penitus non moror, planéque confido, me munus tibi allaturum, quod placeat, quódque libenter totis Authoritatis tuæ opibus, Patronus optimus, sis tuiturus. Nam imprimis compertissimum habeo, quanti facias harum omnium lucubrationum parentem Segnerum, quem non ipse modò ex aliis ejus libris æstimare didicisti, sed ut eundem alij, Ecclesiastici maximè ordinis viri, æstimarent, sedulóque evolverent, non citra æris argentíque impendium, adlaborâsti. Et quem tu verbis docentem cum voluptate attendisti, eum tu factis longè etiam efficaciùs moventem cum tædio auscultes? Non nescio quidem, illa severitatis tam insolitæ, asperitatísque tantùm non crudelis exempla non posse prudenter tui ordinis hominibus ad imitandum proponi; quis tamen est, qui, pro gradu suo, per dura & aspera salutem Animæ curare, pro DEO Conditore ac Servatore suo, pro proferenda ejus gloria, fortiter & agere, & pati, non possit, aut debeat? Ad hoc autem quem laboriosus non minùs, quàm in se perpetuò durus P. Paulus non excitet?

Quamquem autem ad te non spectat Animas aut Contemplationis, aut Meditationis methodo ad excelsum perfectionis

culmen mānuducere, non erit tamen tibi injucundum, legere rectas subtilissimas in speciem fraudes, quibus tam non ad consortium cum DEO intimum illæ adducebantur, ut potiùs ab eo abductæ longissimè, *cùm Spiritu cœpissent, Carne consumarent.*

Jam si Regium fuit, plenum illum profundissimis sensis Psalmum *Miserere* meditari, scribere, ad posteros transmittere, an infra Illustres viros erit, accuratè legere, quæ ad eruenda illa, quæ dixi, sensa vir in hoc genere exercitatissimus est commentatus? Id enimvero tum credam, cùm inter hos erit, cui opus non sit divinis miserationibus, ad quas unicum est in tam multiplici æternùm pereundi periculo perfugium. De Inferno aperto quid dicam? ó quanto satius foret viris, quamlibet magnis, in eum nonnunquam cogitatione, dum inter homines degunt, descendere; horrendam illarum pœnarum atrocitatem animo objicere, profundè meditari, quàm quæ qualésque illæ sint, inevitabili jam malo, experiendo addiscere!

Mariani tandem Cantici sensa intima rimari, displicere potest nemini, quàm cujus Animæ curæ non est *Magnificare Dominum*: quorum à societate, Vir Illustrissime, scio quàm procul absis, quámque sincerè cupias Magni Numinis cultum proferri latissimè; & Maximæ illius Matris Virginis, cujus incomparabilia decora admiranda Synopsi ibi comprehenduntur, honoribus cunctos & tuos, & alienos esse quàm impensissimè devotos. Aut fallor igitur vehementer, aut nihil est in Segnerianis hisce aut gestis, aut scriptis, quòd tibi magnopere non sit placiturum. Atque utinam his ego nihil gratiæ ac venustatis latino meo stylo detraxissem! Non ignoro tamen, etiam hunc, qualiscunque est, tibi tantillum saltem pro tua humanitate, & in immerentem affectu, arrisisse; quæ inter ceteras

teras causa me impulit, ut hoc memoris animi publicum cuperem extare monumentum: maximè cùm non me tantùm, sed alios quoque, à me tibi commendatos, luculentis favoribus atque beneficentiâ sis complexus; etsi Tu bene feciſle contentus nihil minùs cupias, quàm ut constet, qui & quomodo per te sint adjuti.

Accedit his, quibus tam arctè devinctus Tibi sum, titulis alius non inferior. Jam pluribus ab annis idem, etsi facultate tam dispari, negotium nos distinet; quod tu cùm tanta geras fide, constantiâ, dexteritate, authoritate, me quoque exemplo tuo impellis, ut & ego omnem segnitiem excutiam. Et spero non multo post hujus meæ operæ fructum publica in luce conspiciendum. Hic qui sit, sufficit nos duos nôsle. Nam meos quidem conatus, quò sunt ignoti magis, velut in cuniculis, aut fossis subterraneis laborantium, eò spero fore efficaciores.

Atque hæ, quas tanquam aliud agens hucusque commemoravi multiplices laudes tuæ, ut palàm omnibus faciunt, quàm jure ac meritò inter multos, qui animo obversabantur, tuo potissimùm nomini sacros hos libellos voluerim, ita non obscurum relinquunt, quàm rectè ac sapienter egerit Illustrissimum Equitum Imperij, quod circa Acronium, in Hegoia, Algoiâque est, Collegium, dum te potissimùm difficillimis, quæ nuper fuerunt, temporibus Directorem optavit, cujus virtute, providentiâ,

)( )( sapien-

sapientiâ niteretur, suásque ut fortunas ac opes, ita & dignitatem incolumitatémque tueretur.

Passus es te exorari, admissóque in humeros non impares onere, eâ prudentiæ, vigilantiæ, æquitatis, humanitatis commendatione illud gessisti, ut & alieni, quorum tum armis Patria infestabatur, & tui te admirarentur, publicámque incolumitatem, magnum partem tibi in acceptis ferrent; cùm aliàs, rebus adeò turbatis, gravissima accipi damna potuissent: quæ vel sic in irruptione tam non expectata, vitari omnia non potuere. Qui autem in sæva tempestate non infeliciter rexit clavum Navarchus, facilè conjici potest, quàm tranquillo jam terè mari prosperè, cum omnium solatio, navim gubernet.

Quamquam autem domestica hæc decora tua Equites nobilissimi in electione illâ spectârint, quia tamen hoc habet nobilissimus iste ordo, ut non nisi Majorum etiam suorum ornamentis inclyti, & qui nullâ plebeia fæce à multis retro annis sanguinem infécerint, in eo censeantur, hoc vetustæ nobilitatis prærogativo jure te quoque in paucis eminentem facili negotio agnovere. Quàm enim hoc singulariter memorandum, Georgium Schellenbergium jam tum, cùm Imperij Romano-Germanici clavum Henricus, quem Aucupem dixere, teneret, atque adeò septem integris, & quod excurrit, abhinc seculis

culis, tantâ fuisse eloquentiâ, ut Germani Ciceronis nomenclaturâ indigitaretur; tantâ insuper rei militaris & peritiâ & fortitudine, ut vix ulli in toto Cæsaris exercitu cederet, subindéque ab hoc eodem in ludis equestribus instituendis ordinandísque Duodecimvir eligeretur.

Est hoc antiquitatis clarissimum testimonium; quantæ autem jam olim inclytæ familiæ opus fuerint, inde apertè monstratur, quòd Curiensis in Rhætis Ecclesia grata agnoscat, se Schellenbergiorum beneficentiâ magnam partem ad eas, quas olim possidebat opes evasisse. Nihil jam dicam hac à familia nomen traxisse inclytas in exteriore Rhætia arces, & ditionem non procul Veldkirchio; tantæque ex ea progenitos herores fuisse authoritatis, ut aliquot centenis abhinc annis Principali Parthenoni Lindavienſi Impetij nomine Advocati darentur; quod munus nostrâ prope memoriâ Augusta Domus Austriaca sibi vindicârat.

Tacebo etiam eidem memorato Parthenoni Abbatissam aliquot abhinc seculis è tua Familia præfuisse Sigenam, tum aliis laudibus illustrem, tum maximè beneficentiâ in S. Francisci Alumnos Alumnásque; quæque sunt alia tum à Joanne Gulero, inclyto Rhætiæ Historico, tum à Scriptoribus aliis posterorum memoriæ diligenter commendata. Tam multa igitur & vetera & nova, Progenitorum tuorum tuáque ornamenta, ut te Equestri

ſtri S. R. J. Ordini ſpectabilem venerabilémque fecerunt, ita non minùs demonſtrant, quàm non temerè ego te & meum, & horum aliqua parte meorum partuum Patronũ præ tam multis adoptaverim. Me autem ut apud alios, ita & apud tuam illam humanitatem, animi modeſtiam, próque omnibus, maximè qui bono publico emolumenti aliquid afferre ſtudent, gratificandi voluntatem paratiſſimam purgabunt à nota hominis & præſidentis nimiùm, & dignationem tam ſublimem non ſatis reverentis; tanto magis, quòd ſicut hactenus, ita & deinceps magna voluptate ſis ſpectaturus, his è libellis nonnihil in Magnum DEUM gloriæ, in mortalium animos utilitatis, ut ſpes eſt, redundaturum. Sic utique patieris me etiam poſthac in animo tuo manere loco quo hactenus, méque agnoſces,

Illuſtriſſimo nomini & honori tuo

*devotiſſimum addictiſſimúmque*

MAXIMILIANVM RASSLER
S. J.

AUTHO-

# Protestatio Authoris & Interpretis.

LEctor adverte in suprà dicta Vita P. Pauli Segneri nonnulla attingi, quæ eidem sanctitatem videantur adscribere; aliquibus gestis enarratis, quæ cùm vires humanas superent, miracula videri possunt, præsagia futurorum, arcanorum manifestationes, revelationes, illustrationes, & siqua sunt alia ejusmodi sive de eodem Patre Paulo, sive de aliis. Verùm hæc omnia ita nostris Lectoribus proponimus, ut nolimus ab illis accipi tanquam ab Apostolica Sede examinata, atque approbata, sed tanquam quæ à sola suorum Authorum fide pondus obtineant, atque adeò non aliter, quàm humanam historiam. Proinde Apostolicum Sacræ Congregationis S. R. & universalis Inquisitionis Decretum Anno 1625. editum, & Anno 1634. confirmatum, integrè atque inviolatè juxta Declarationem ejusdem Decreti à Sanctissimo D. N. Urbano Papa VIII. Anno 1631. factam servari à nobis omnes intelligant, nec velle nos vel cultum, aut venerationem aliquam per has nostras narrationes ulli arrogare, vel famam, & opinionem Sanctita-

ctitatis, aut Martyrij inducere, seu augere, nec quidquam ejus existimationi adjungere, nullúmque gradum facere ad futuram aliquando ullius Beatificationem, vel Canonizationem, vel miraculi comprobationem, sed omnia à nobis in eo statu relinqui, quem secluſa hac nostra lucubratione obtinerent, non obstante quocunque longissimi temporis cursu. Hoc tam sanctè profitemur, quàm decet eos, qui Sanctæ Sedis Apostolicæ obedientissimi haberi filij cupiunt, & ab ea in omni sua scriptione, & actione dirigi.

*Imprimatur, si videbitur Reverendiss. P. M. Sac. Palatij Apostolici.*

Dominicus Episc. Verulanus Vicesgerens.

*Potest extra Urbem imprimi servatis servandis.*

Fr. Paulinus Bernardinus Ord. Præd. S. A. P. Mag. &c.



Con-

# Protestatio Authoris & Interpretis.

Cùm SS. D. N. Urbanus Papa VIII. die 13. Martij 1625. in sacra Congregatione S. R. & universalis Inquisitionis Decretum ediderit, idémque confirmaverit die 5. Julij 1634. quo inhibuit imprimi libros hominum, qui sanctitate, seu Martyrij famâ celebres è vita migraverunt, gesta, miracula, vel revelationes, seu quæcumque beneficia tanquam eorum intercessionibus â DEO accepta, continentes sine recognitione, atque approbatione Ordinarij, & quæ hactenus sine ea impressa sunt, nullo modo vult censeri approbata. Idem autem Sanctissimus die 5 Junij 1631. ita explicaverit, ut nimirum non admittantur elogia Sancti, vel Beati absolutè, & quæ cadunt super personam, bene tamen ea, quæ cadunt supra mores, & opinionem, cum protestatione in principio, quòd iis nulla adsit authoritas ab Ecclesia Romana, sed fides tantùm sit penes Authorem. Huic Decreto, ejúsque confirmationi, & declarationi, observantiâ, & reverentiâ, quâ par est, insistendo; profitemur nos haud alio sensu, quidquid in hoc

hoc libro referimus, accipere, aut accipi ab ullo velle, quàm quo ea solent, quæ humanâ duntaxat authoritate, non autem divinâ Catholicæ Romanæ Ecclesiæ, aut Sanctæ Sedis Apostolicæ nituntur. Iis tantummodo exceptis, quos eadem Sancta Sedes Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum catalogo adscripsit.

Autho-

# AUTHORIS PRÆFATIO IN FRONTE OPERUM P. PAULI SEGNERI PARMÆ EDITORUM.

RECtissimè jam olim scripsit inclytus Ecclesiæ Doctor S. Ambrosius: *Primus discendi ardor Nobilitas est Magistri.* Quare cùm parata typo sint, uno alteróve edenda volumine, præclara opera, quæ scripsit P. Paulus Segneri, illustre Societatis JESU Sidus, multis magnæ authoritatis Personis visum est, præponendam, eorum in fronte operum, brevem historiam vitæ Authoris tam excellentis; eum in finem, ut probè perspecta puritate fontis, quilibet tanto majori desiderio & aviditate ad salutares aquas hauriendas accedat.

## §. I.

### *Ortus P. Pauli & Educatio.*

NAtus est P. Paulus 21. Martij anni salutis 1624. Neptuni, celebri oppido Latij, quod situm est ad littus maris Tyrrheni. Familia ejus origine Romana fuit, celebris & muneribus gestis, & affinitatibus, quas cum aliis nobilibus familiis contraxit. Præ reliquis tamen ornamentis hujus Familiæ laudari meretur, dos ejus peculiaris, insignis erga Deum Pietas, & mores ad ejus leges formati; cùm

non constet, quemquam ex ea fuisse, qui non optimis & illibatis moribus vixerit. Genitus autem est Paulus noster parente Francisco Segneri, viro nobili, magnæ existimationis, qui jam adolescens voti religione castimoniam DEO spoponderat: Parentes tamen ejus, ne stirps deficeret, quæ unico hoc in surculo superstes erat, cùm voti gratiam impetrâssent, Matrimonio illum illigârunt, datâ Conjuge Victoriâ Blancâ Romanâ, filiâ unicâ Stephani Blanci quæ ex eo mater effecta est liberorum omnino octodecim; unde tam inclyta Familia videbatur per plura secula propaganda; & tamen, ut suis humana casibus volvuuntur, post brevem annorum periodum jam planè extinctam videmus. Tam numerosa in prole primus lucem aspexit noster Paulus, id nomen sacro in lavacro sortitus in Majorum suorum memoriam, aut, quod vero est similius, altiore Divinæ Providentiæ consilio, quæ fortunatum hunc parvulum delegerat ad sequenda magni, ejus nominis, Apostoli vestigia, & ad portandum cum illo, tanquam vas Electionis, gloriosum DEI nomen coram Gentibus. Eluxit confestim in Parvulo indoles generosa, amabilis, & perquam excitata. Unde singulari industriâ id egerunt Parentes, ut instituerent eum in litteris, virtutibus homine dignis, & maximè in sancto DEI timore; quam ad rem adjumento illi fuere non minùs hortamenta, quàm exempla ipsorum Parentum: Matris maximè, quæ fuit Matrona lectæ omnino virtutis. Hæc inter religiosa claustra educata desiderabat omnes in iis vitæ annos transigere, quin quidquam illi cum Mundo esset negotii: sed Majorum voluntati obtemperare compulsa modum reperit etiam cum Conjugis officio jungendi vitam personæ DEO sacræ: relictâ enim Româ, Patriâ suâ, in qua ceteroquin juxta pacta conventa vitam degere poterat, maluit

maluit perpetuò ferè habitare Neptuni, ubi ab omnibus muliebribus aliena vanitatibus, non aliis unquam usa est vestibus, quàm texturæ laneæ & coloris obscuri. Magnam diei partem preces sibi vendicabant, quas Templa DEO dicata obiens persolvebat, in divinis usurpandis Mysteriis perfrequens: & quàm erat erga inopes & miseros benigna, tam in se dura & aspera, carnem edomabat ciborum abstinentiâ, flagrorum ictibus, aliisque operibus pœnalibus, semper multiplici DEI obsequio, & sancta liberorum suorum educatione occupata.

## §. II.

## *Studia Literarum & ad Societatem JESU Vocatio.*

TEnerâ etiamnũ in ætate præsetulit confestim Paulus magnam ad apostolicum prædicandi munus propensionem. Narrant de ipso, quòd collectâ puerorum turmâ in aliquo paternæ domûs conclavi solitus sit conscendere mensam quampiam, & inde plenus indignatione contra Peccatores vociferari & tonare, quantum suus ipsi fervor dictabat. Ubi subinde advertit, puerorum illorum aliquem aut somno, aut importunæ garrulitati indulgere, excandescens Zelo descendebat statim, & inflictis sua manu verberibus admonebat officii, aut, quin loco se moveret, libro, vel re quapiam simili, quarum ferme illi ad manus copia, projectâ petulantiam castigabat. Franciscus porro pater ipsius, cùm videret teneram hanc plantam tam feliciter adolescere, è re fore existimavit, si in alio fertiliore illam solo plantaret; ac proin in Romanum Nobilium Seminarium filium transtulit. Hîc ille talia confestim edidit

de se specimina, ut jam tunc prudentiores augurando præciperent insignes illos progressus, quos re ipsa dein fecit. Amabatur & æstimabatur ab omnibus ob insignes dotes perspicacis ingenii, candoris innocentis, & indolis prorsus experrectæ: unde Parentes varia jam de illo agitabant consilia, & spes ingentes de Familiæ incrementis nutriebant. Alia tamen, longè diversa, erant DEI consilia, qui illum ad majora multò, quàm quæ Mundus suis offert, destinabat. Vocavit proin illum non lentis impulsibus ad serviendum ipsis in Societate JEsu; neque difficiles ille Societatis Moderatores expertus est in annuendo votis, dummodo bonâ Parentum, agnatorúmque id gratiâ fieret. Nihil obluctabatur Mater, beatam se reputans, quòd tot partuum suorum primitias Domino sacrare eâ ratione liceret. Magis arduum fuit, Patris obtinere assensum, cui nimis acerbè hic ictus dolebat, quo avellebatur ab eo filius, unica oculorum pupilla, & totæ pectoris sui deliciæ: unde longo conflictu Paulo opus fuit, donec tandem pridie lucis D. Xaverio sacræ, quem sibi præcipuum Patronum adsciverat, post multas & preces, & corporis cruciamenta ultimò voluntatem Patris aggressus, & rationum efficaciâ, & cadentibus ubertim lacrymis expugnaret. Quis hîc explicet fortunati adolescentis beata solatia, dum apertum jam ardentibus suis votis ostium aspexit? Eodem vesperi primæ Decembris anni 1637. S. Francisci Xaverii, pridie lucis eo tempore ipsi sacræ, auspiciis, quamprimùm ad S. Andreæ, Tironum nostrorum Domicilium, se contulit, à P. Joanne Paulo Oliva, Tironum tunc Magistro, exceptus. Neque verò parùm felix novus hic Candidatus existimari debet, quòd vitæ suæ melioris illum Præceptorem sortitus sit, qui subinde ad quatuor Summos Pontifices in Vaticano sacrum Oratorem

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

torem egit: & compluribus annis supremum in Societate Magistratum gessit. Non parùm timuit primis diebus Pater Oliva, ne genjus ille tam excitatus rigori Disciplinæ religiosæ ferendo non esset: sed citò is metus desiit, dum non absque solatio animadvertit, illum indolis vigorem tironi pro calcari tantùm esse, & incitamento, ad viam spiritus alacrius velociúsque currendam.

## §. III.

## *Disciplinis altioribus studet, & in Concionatorem formatur.*

PErducto ad finem tirocinij biennio, non potuit Paulus consuetis se votis DEO adstringere; cùm nondum explêsset annos ad eam rem legibus nostris requisitos: putabatur enim, quando ad Tirones accessit, aliquot menses numerare ultra eos, quos re vera numerabat: cognito proin hoc errore expectare tantisper oportuit ætatem legitimam, & interea ad Romanum Collegium recolendæ Rhetoricæ illum mittere, in quo dein etiam Philosophicis Disciplinis excultus est. Eo loco & tam spectabili in theatro semper clariùs egregiæ ejus animi dotes emicuere, sic ut semper Magistri ad functiones illustris illius Academiæ maximè conspicuas eo uterentur. Emensus Philosophicum stadium eodem in Collegio Grammaticæ præceptis teneram ætatem informare jussus, eâ laboriosâ provinciâ tribus annis integris defunctus est. Sed cùm amplæ Pauli menti non sufficerent occupationes Scholæ, eodem tempore se impendit Italicè reddendæ secundæ Decadi P. Famiani stradæ de Bello Belgico, quam is author stylo latino laudatissimo vulgaverat: & verò etiam lucem publicam aspexit is

partus præfixo Interpretis ipsius nomine. Id autem spectavit hoc suo labore Paulus, ut Hetrusci idiomatis elegantiam imbiberet penitiùs, itáque se ad Concionum sacrum munus magis idoneum redderet, ad quod inde à primis annis, ut ante indicabamus, tanta propensione ferri visus est. Perrexit autem tanto studiosiùs ad id se muneris parare, cùm P. Vincentius Carafa sanctæ memoriæ toti nostræ Societati Præpositus, auditâ unâ ipsius Concione, quam fortè in triclinio, more Scholasticis nostris usitato, dixerat, tantopere captus est, ut vocatum ad se Juvenem paterna humanitate alloqueretur, & sacro quopiam donatum munusculo, suæ in eum benevolentiæ argumento, excitaret ad talentum, quod à DEO acceperat, non occultandum, sed eo strenuè utendum. Diceret omnino ad sacram coronam, sed ita diceret, sicut tum dixerat, nec ambigeret, quin DEUS conatibus & laboribus ejus esset adfuturus. Ultimam porro manum huic operi admovit P. Sfortia Pallavicinus, qui aliquot post annis ob insignia in Romanam Ecclesiam merita ab Alexandro VII. Pontifice Vaticanam Purpuram admittere compulsus est. Magno semper & singulari prorsus studio ferebatur magnus iste vir ad eos juvandos formandósque, quos præ ceteris idoneos agnoscebat ad magna pro DEI gloria efficienda. Is cùm in Pauli animo dotes tam præclaras & naturæ & gratiæ introspexisset, magnopere erga illum affici cæpit, fovítque deinceps constanter eum animi sensum, certus nihil omittere, quod solo tam fœcundo percolendo facere videretur: cujus se rei præclara paulo post occasio obtulit: eum enim in Theologicis Discipulum nactus, non modò rerum divinarum alta cognitione imbuit, sed artem quoque ad Populum de DEO cum fructu dicendi tradidit exquisitissimam, quidquid

quid ex oratoria, Poëtica, & ceteris liberalibus Disciplinis, quibus excellenti quodam in gradu imbutus erat P. Sfortia, ad eam functionem faceret, promptissimâ voluntate communicando.

## §. IV.

## *Inter Literas in virtute plurimum profecit.*

IN perdiscendis Disciplinis nihil optimus Invenis de solidarum virtutum studio remisit, etsi id non parùm difficultatis habeat tam studij ipsius naturâ, quod animum totum ad se trahit, quâm sociorum in eadem palæstra æmulatione, quæ vanitatem gignere solet. Dicam tantùm, ut inde colligantur cetera, solitum illum flagris in se tam dirè animadvertere, ut cogeretur aliquando alienâ uti operâ ad tergum flagrorum ictibus lacerum percurandum. Aliâs pectoris venâ ruptâ tantum sanguinis egessit, ut is, cui ægrorum cura credita erat, assereret, neminem unquam aliàs sibi oblatum, qui tantum vomuisset. Inquisitum est in ejus mali causam, & deprehensum, natum id ex nimiis quibusdam & parùm prudentibus conatibus, quibus Juvenis & pervincere se ipsum corpus affligendo, & DEUM amare studuerat; ad id provocatus à socio ejusdam palæstræ Theologicæ, quocum ipsi contentio fuit, quisnam eorum crebriùs & intensiùs ejusmodi actibus uteretur. Unde negari non potest, meritò illum à Domus Ministro occasione quapiam alterum Beatum Aloysium appellatum, P. Sfortiam Pallavicinum verò festivo in eum Anagrammate lusisse: *Paulus Segnerus.* Purus Angelus es. Ad rem istam magis affirmandam præclarè facit testimonium P. Josephi Agnelli, quod litteris consignatum penes me est. Quis autem vir sit P. Jose-

P. Josephus, cujúsque Authoritatis, satis loquuntur libri, quos typis in publicam lucem dedit. Rogatus, inquit ille, ut, siquam haberem de rebus P. Pauli Segneri, felicis recordationis, notitiam, eam cum aliis communicarem; asséro, notum illum mihi fuisse antequam Societatem nostram ingrederetur, sæpe me cum eodem egisse, sæpe me tum publico in theatro aliquam cum ipso sustinuisse personam, tum aliis seu sacris, seu litterariis functionibus interfuisse. Præterea Societatem paucis post ipsum diebus ingressus sum anno 1637. vixíque semper cum eo tam in tirocinio, quam subinde in Collegio Romano, dum Rhetoricæ primùm, mox Philosophiæ ac Theologiæ operam daremus; insuper in tertio Probationis anno: toto autem hoc tempore non memini, me in ullis ejus vel factis, vel verbis notâsse quidquam, in quo venialem, quamlibet levem noxam inesse existimarem. Insuper cùm curiosè in ejus vivendi rationem intentus essem, multa ab eo præclara exempla virtutum accepi, maximè postremis Theologiæ suæ annis, quibus multò exactiùs ad perfectionis normam vitam exegisse notatus est, sic ut omnes eximiè ædificaret, multúmque se ipsum, & innocentem, quam eatenus tenuerat, agendi methodum superaret. Eminebat hoc sublimioris perfectionis studium tam in loquendo, quàm operando ad amussim domesticæ nostræ disciplinæ, tam in externa totius corporis conformatione quàm in interna habitudine, quatenus illa externis se indiciis prodit. Universim eam de P. Paulo existimationem habeo, quòd re vera fuerit magnus DEI servus, & omni veneratione dignus. Hæc P. Agnellus.

§. V.

## §. V.

### *Grammaticam docet & Pistorienses excolit.*

EMensus tanta & vitæ puritate, & incitati animi fervore Theologicum stadium publicas ex omni hac sacra Disciplina Positiones propugnavit, docentis potiùs quàm discipuli more, & sub annum vitæ vigesimum nonum Sacerdotio initiatus novis in via DEI animis auctus, semper proficere studuit, anno præsertim illo, qui pro more Societatis perductis ad finem literatum studiis animo excolendo datur. Petiit subinde, quâ erat animi modestiâ, à Præsidibus tradendæ alicubi Grammaticæ admoveri: jussus est autem mediam Grammaticæ classem docere Pistorij. Hîc ille instituit tam celebrem illam Bonæ Mortis, quam dicunt, exercitationem, cùm ipsemet eo super argumento quot diebus Dominicis differeret. Induxit etiam menstruæ Communionis usum, effecítque ut præcipuis illa in Templis redituro ordine obiretur; neque enim tum adhuc Societas Pistorij Templum pro ea functione sat amplum habebat. Perrexit autem deinceps Civitas non minore pietate, quàm numero, sacris his exercitationibus defungi, non sine grata earum authoris memoria.

## §. VI.

### *Laborum contentione Surdaster redditur.*

SUb hoc ipsum tempus tot aliis suis laboribus junxit studium celebres illas suas per vernum jejunium Conciones elaborandi. Præter sedulam autem Sacrorum Codicum & eorum, quæ Sancti Doctores reliquerunt, Operum lectitationem non parum ille industriæ posuit in evolvendis

M. Tullij Orationibus, ut ex iis rationem discceret efficacissimam convincendi Intellectum, movendiqúe Voluntatem, quam profanis in argumentis magnus ille Eloquentiæ Magister adhibuerat artem, ad sacra felici conatu traducens. Tantis animi laboribus corporis vires, quamlibet validæ, non suffecere; sed fatigato è capite molestum rheuma defluere cœpit, quod ad aurium organa descendens audiendi facultatem sensim hebetavit, illiúsque fuit caussa surditatis, quæ per omnem deinceps vitam Paulo adhæsit. Ego autem penitus in animum induco, non sine peculiari DEI providentia sic illum obsurduisse; ut ea ratione animam hanc penitus à commercio cum hominibus avulsam ad sanctius secum commercium traduceret. Neque id ipsum P. Paulum latuit, qui idcirco non semel dicere auditus est: quoniam multum mihi cum hominibus tractare non licet, agam cum DEO, cujus & ego vocem probè intelligam, & ille meam. Circa hanc porro surditatem non debeo Lectoribus invidere profunda ejus sensa, quæ literis consignavit postquam ad magìs arcanam cum DEO familiaritatem admissus est. Monendi proin sunt Lectores, à morte P. Pauli inter alia ejus adversaria inventas fuisse non multas paginas, in quas ille ad refricandam memoriam, & majorem in via spiritus profectum retulerat, magno verborum candore, lumina, quæ inter orandum ipsi communicaverat DEUS. Atque utinam complures ejusmodi pagellas nanciscì nobis licuisset! enimverò non parum inde essemus locupletati. Ego autem mihi persuadeo, virum modestissimum cum sibi paulò post migrandum adverteret, flammis consecrâsse, quidquid ejusmodi foliorum ad manus venerat, & tantùm incogitantiâ, aut veriùs provido DEI consilio, pauculas illas superfuisse, quas habemus, & sancto ar-

cto ardore, & cæleſtibus, longè ſupra vulgaria, ſenſis pleniſſimas. In una harum pagellarum de ſuo aurium vitio loquens ita ſcribit. *Sagittæ tuæ infixæ ſunt mihi, & confirmâſti ſuper me manum tuam.* Videtur mihi DEUS aperuiſſe verum ſenſum iſtorum verborum, quæ, niſi fallor, hoc volunt ſignificare. Quando Venator quiſpiam aſſequi vult fugitivam feram, puta Damulam, aut Capreolum, quid agit? pluribus illam ſagittis petit, quarum aliquæ corpori ejus infixæ aut lentiùs progredi, aut omnino ſiſtere curſum cogunt; & ſic Venator ſuperveniens manus ſuper eam ſuas ponit. Atque hac ſimilitudine exiſtimo uti voluiſſe Pſalmographum iſto Pſalmi tertij inter eos, quos Pœnitentiales dicimus, verſu. Cùm enim ille profugiſſet à DEO, variorum adverſorum ſagittis, à Nathano ipſi prænuntiatis, & ſubinde contra eum re ipſa emiſſis, fugam ſiſtere coactus eſt: unde eum aſſecutus DEUS, manus ſuas ſanctiſſimas ſuper illum poſuit, ſibíque penitus vindicavit. Idem facit DEUS quotidie cum multis Peccatoribus; atque id ipſum videtur feciſſe mecum; vulnerans enim me in auribus, atque ita reddens ineptum ad converſandum cum hominibns, ad tractandas, & ſequendas multas vanitates, quibus perditè quodammodo inhiabam, effecit, ut lentiùs aliquantò currerem, atque ita manus mihi ſuas impoſuit, accendens in me ingens deſiderium, me totum ipſi permittendi, & dimiſſis vanitatibus adhærendi veritati. Rogavi proin eum, *ut confirmet ſuper me manum ſuam*, ſic ut deinceps nunquam ampliùs profugiam; utque idcirco nunquam amplius ſuas ex auribus meis ſagittas evellat, ſi iſtæ ſervituræ ſunt ad me in fuga ſiſtendum. Porro conſideravi, ejusmodi ſagittas tribulationum debere eſſe *Infixas*, profundè inquam inhærentes; aliàs enim nullo negotio & levi motu evulſæ non efPſal. 37.

ficiunt, quod deberent: hinc videmus, Peccatores non confestim dare manus, quando adversis se tangi sentiunt, sed tantùm cùm hæc diutiùs durant: atque ita mecum actum est. Hucusque P. Paulus.

## §. VII.

### *Concionatur, & ad sublimius sanctitatis stu. dium excitatur.*

POstquam supremam manum Concionibus illis suis, non elegantibus minùs, quàm vero spiritu & energiâ plenis imposuit, apertum in campum prodire cœpit, & celeberrimis è suggestis dixit sæpius, cum fructu & laude non ordinaria ubique fèrè auditus. Sed dum ille aliis prædicat, & DEI verbum annuntiat, placuit divinæ Bonitati loqui ad cor ipsius, & ad vitam Sanctimoniæ multo exquisitioris eum momento impellere. Res ita se habuit. Morabatur Perusii, & per æstatem anni 1660. cùm annum ipse vitæ explêsset trigesimum sextum, feriatis diebus sacro è suggestu dicebat. Recepit se, pro more Societatis, feriis autumnalibus ad animum sacris S. Parentis nostri commentationibus excolendum. Hoc loco & opportunitate videtur illum expectâsse DEUS, ut tanquam aurum in fornace perpurgaret, & è Religioso bono, faceret Apostolum. Aperuit illi intellectum, & arcana veritatum magìs reconditarum patefecit. Docuit illum inprimis evidentiâ quadam mirabili, quanta res sit Æternitas; sic ut pluribus noctibus claudere in somnum oculos non posset, attonitus vivâ & vehementi repræsentatione abyssi illius inscrutabilis. Ab his timoris initiis citò transiit ad amorem; cùm sentiret animam sibi inflammari ingenti desiderio DEO se penitus in holo-

holocaustum consecrandi ; videbatúrque sibi audire ratione quadam sensili suavissimam vocem, quâ DEUS illi diceret; *volo ut amemus invicem.* Nec pluribus opus fuit, ut ille se repentè animo atque affectionibus alium multò adverderet ab eo qui fuerat. Nullâ ampliùs sui, nullâ totius Mundi curâ tangebatur, & omnis ejus cogitatio in eo erat, quomodo tam benevolæ DEI invitationi responderet. Quam ad eam diem duxerat vita, tam ab omni noxâ aliena, ut in ea quivis ferè alius multum sibi complaceret, ipsi jam non aliud, quam mera scandala, & meræ miseriæ videbatur; nec poterat modum in ea deploranda ponere, ingenti oppressus dolore, quòd tam serò DEUM ex animo sequi cœpisset : unde in epistola, quam ad familiarem aliquem suum dedit, ita disertè scripsit. *Dico tibi magno suffusus pudore verbum unum, me esse* Incipientem ; *neque enim aliquid occurrit animo, quod plus mihi pudoris exprimat, quàm videre, quòd nunc incipiam, post viginti tres nimirum in Religione exactos annos, ipsâ hesternâ luce completos; & idcirco inter omnes Davidis versus, quorum aliquem qualemcunque usum habeo, nullum iuvenio, qui magis animum penetret, majorique cum sensu tangat & afficiat, quâm illum*: ego dixi, nunc cœpi. Inde totus ad seriam perfectámque vitæ mutationem faciendam intentus, ad claram illam è cælo lucem, quinque potissimùm statui animæ suæ opportuna animadvertit, Paupertatem inquam, Receptum, seu solitudinem sacram (Itali *Ritiramento* dicunt.) Orationem, Pœnitentiam, Examen : utque hæc animi decreta tanto constantiùs animo imprimeret, è primis harum vocum litteris aliam conflavit, PROPE, quam majusculis expressam litteris spectabili cubiculi sui loco affixit, quin quisquam, quid illæ sibi vellent, assequeretur; & lateret nos hodieque arcanum, nisi

id ipse rogatus amico cuidam suo aperuisset. Ad hunc ipsum cùm subinde litteras daret: *Non ego*, inquit, *fui, qui ipse decernerem posthac ad ista incumbere; sed* DEUS *mihi non obscurè significavit, quòd hæc à me ipse exigat. Faxit idem, ut hæc ego præstare valeam, neque fidem ipsi datam fraugam: id enim si fieret, vehementer timerem: idcirco non omittat R. V. orare prome, quia ego vehementer contremisco.* Hac ratione P. Paulus misit manum ad aratrum, nec ab illo momento unquam respexit retro, semper giganteis passibus cœpto itinere progrediens.

## §. VIII.

## *In Indias mitti petit, sed non impetrat.*

COnfestim advertit ejus Collegij Inquilinostam mira mutatio, apparuit enim P. Paulus totus cogitabundas, & alienus ab omni animi laxamento; perpetuò ferè suo clausus cubinulo, aut orationi vacabat, aut sacrorum librorum lectioni. Ad corporis afflictationes quod attinet, petiit, & obtinuit ab arcanorum animi arbitro, ut earum tum multis excruciare semet liceret, quàm multas sine notabili valetudinis detrimento usurpare sibi posse videretur: quantum autem ipse magnanimo illo fervore suo ferre sibi posse videretur, nos quidem narrare non possumus; cùm præter se & DEUM, arbitrum ejus rei nullum admitteret. Audiebantur tamen totâ domo formidabiles flagrorum ictus, quibus ille in se quotidie sæviebat, & variis minimèque dubiis indiciis arguere licebat, brevissima illi esse somni spacia; nec nisi nudos super asseres exigi solita. Manifestioribus argumentis perficiendæ Paupertatis studium prodidit. Inquisivit solerter, num quid esset, quo minùs

aùs indigeret, & quidquid horum invenerat, confestim cubiculo suo extulit, iis etiam adjectis, quibus ægrè carebat; quo in numero fuit cistula viatoria, in quam, dum iter faciebat, suarum Concionum fasces includere consueverat; quas deinceps frusto telæ cerâ illitæ inseruit: atque hæc fuit tota sarcinarum moles, quam dum Concionum causâ ab una in aliam, quantumlibet remotam urbem abibat, secum deinceps ferre consuevit. Et quia postea caritas in eo semper crescebat, flammæ instar, aspirante propitiâ Spiritus Sancti aurâ commotæ, accensum in ejus animo est desiderium sanguinis fundendi, & vitæ in Christi honorem impendendæ, eumque in finem ardenter institit, ut ad Orientis Indias mitteretur; etsi Superiores, cùm cognovissent, quantum vir tam præclaris instructus dotibus emolumenti afferre posset Christianis veteribus in Europâ, è majori DEI gloria futurum existimârint, si eò abeundi facultatem illi negarent. Neque tamen idcirco flagrans divino amore animus omni spe excidit fundendi pro Christo sanguinis, amico cuidam suo fassus, confidere se, quòd maritimo aliquando in itinere aut à Turcis, aut aliis à Christo alienis captus, beatâ illâ sorte sit potiturus. Pascebat interim Zelum suum solitâ Verbi DEI prædicandi exercitatione, nec unquam sacrum suggestum conscendebat, quin & longas preces, & acrem sui diverberationem præmitteret. Ita autem se diverberabat, ut cùm Mantuæ concionatus est, vicini aliqui, qui è regione Collegii habitabant, audito tanto verberum strepitu, támque in longum protracto, ad Collegium accurrerent curiosè quæsituri, quisnam tandem è Patribus tam atrociter in se sæviret?

§. IX.

## §. IX.

### *Sacras & Apostolicas Excursiones auspicatur.*

His tamen non contentus P. Paulus, dispiciebat secum solicitè, quodnam tandem gratissimum DEO suo sacrificium offerre posset? Post multas eam in rem fusas preces incitari se à DEO sensit ad totum se sacrarum Expeditionum, seu Apostolicarum Missionum ministerio impendendum, ut quod & tam excellens, & tam animarum saluti proficuum esset. Bonâ igitur Superiorum suorum veniâ orsus est toto animi corporisque nisu labores suos Apostolicos ab anno seculi sexagesimo quinto usque ad nonagesimum secundum, quando eos Summi Pontificis imperio abrumpere coactus est, Romam ab eodemmet, ut subinde dicemus, avocatus. Ubi se tanto honore dignatum, & tam nobile proferendæ divinæ gloriæ instrumentum electum advertit, animos sibi subdidit ad juratum Stygi bellum movendum, & sequenda quàm proximè posset veneranda vestigia Sanctorum Antonij Patavini, Vincentij Ferrerij, Bernardini Senensis, aliorúmque qui sudoribus suis Italiæ solum fæcundârunt. Erit fortasse, qui temerarium existimet P. Paulum nostrum cum nobilissimis his ac strenuissimis Ecclesiæ Pugilibus comparare. Certum tamen est, quòd quisquis suis ipse oculis usurpavit tantam mortalium, quæ ad eum audiendum confluebat, multitudinem, tot sceleratorum hominum ad meliora reditum, tot juratas inimicitias positas, & tam multa alia illustria facinora, ad quæ Sacris his Expeditionibus multi excitati sunt, pleno ore fateatur, omnia quæ eo in genere narrantur, posse quidem à multis accipi tanquam exaggerando dicta, re ipsa autem longè infra verum esse.

§. X.

## §. X.

### *Ratio quam in sacris Excursionibus tenebat.*

HAnc autem in Sacris his Expeditionibus rationem Pater tenebat, sibi propriam, & quam postea plures de Societate sunt imitati. Cùm extra civitates in oppidis aut pagis instituebatur Missio, eum commorationi suæ deligebat locum, ad quem aliis vicinis è villis & Parochiis commodè accedere inquilini, & eorum, quæ ex sacris illis functionibus redundabant, emolumentorum participes esse possent. Hunc autem ad locum plerumque se conferebat versùs vesperum diei ante destinatæ, ibíque moram trahebat per sex, octo, aut decem dies, ut plus minúsue temporis res poscebant. Præbebat autem his occasionibus se spectandum, indutum brevi & malè sartâ tunicâ, cum baculo viatorio in manu, sacerdotalium precum libro sub axilla, parvulo Christi in crucem suffixi sigillo ad pectus, B. Virginis Rosario, quod dicimus, ex cingulo pendente. Ante omnia incedebat pedibus ac tibiis planè nudis, more constantissimo, quem mox ab egressu è Collegiis ad suum, post menses aliquot in Expeditionibus positos, reditum lege perpetuâ retinebat. Neque hæc, quæ nudipes obibat, itinera paucorum passuum, & non magnæ molestiæ videri debent; cùm P. Joannes Petrus Pinamontius, perpetuus ejus & individuus in hisce expeditionibus comes asserat, facto diligenti horum itinerum examine, & calculo inito, videri sibi, si in censum veniant tam locorum intervalla, è quorum aliis in alia migrabat, cum variis & multis solenni ritu obiri solitis supplicationibus, P. Paulum quot annis quadringenta saltem passuum millia confeciſſe: & tamen crebrò incedendum fuit viis alpestribus, stratis

acuto silice, aut saxis asperis, coopertis multa nive & glacie, ut præsertim illi accidit cùm ex Hetruria in Longobardiam, profectus est; ubi quadraginta & ampliùs milliarium iter per nives & glaciem ita nudipedi conficiendum fuit. Nec semel accidit, ut in spinas indueret pedem, non absque cruore, & sensu doloris tam acri, ut velut febrili frigore agitatus contremiscceret, ut testis est ille quem dixi, comes individuus. Et verò liquidâ voluptate perfundebantur, quicunque aspiciebant virum incommodis his tam malè habitum, hilarem tamen semper ac serenum, sic ut in intuentibus teneros, & suavissimos pietatus sensus excitaret.

## §. XI.

### *Prosecutio ejusdem argumenti.*

ITa delatus ad destinatam Missioni sedem P. Paulus, obvios habebat cum loci sacro Curione, certis Sodalitatibus adscriptos cum solenni suo apparatu, & Populum frequentissimum. Desiderabat, ut quanta maxima esset sic excipientium multitudo; cùm diceret, id honoris sacræ illi Expeditioni exhiberi: unde tanto hanc frequentiam studio procurabat, quantô repudiabat, & abhorrebat omne affectantium agmen, cùm Expeditione finita abibat aliò, propterea quòd id honoris ipsi Missionario exhiberi assereret. Populus, qui ad eum excipiendum confluxerat, utrumque viæ latus occupans, mox atque ille in oculos incurrebat, humi provolutus in genua, magnis vocibus & junctis manibus poscebat, ut bene ipsi precaretur. Ille hoc spectaculo in DEUM absorptus, vultu qui tantum amoris, quantum majestatis spirabat, & ipse procumbens in genua, Cruci affixi Servatoris simulacro è manibus Parochi, & non-

nonnunquam ipsorummet Episcoporum arrepto, Magnæ DEI Matris preces Litanevticas cum cantu exorsus omnem Populi multitudinem deducebat ad Templum, ubi adorato DEO Eucharistico prima vice è gradibus Altaris præsentes alloquebatur, Orationis suæ argumentum ex illis Apostoli verbis mutuatus: *Pro Christo legatione fungimur, tanquam* 2. Cor. 5. *DEO exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini DEO:* proponebat immensam DEI bonitatem, qui injuriis à nobis lacessitus Legatos suos mitteret, ad offerendam, & pactis firmandam pacem. Invitabat idcirco omnes ad seriam de admissis noxis suis pœnitudinem. Hortabatur eosdem, ut frequentes se sisterent ad sacras illorum dierum functiones, utendúmque occasione tam opppotuna, existimaréntque eam velut Sanctam Hebdomadam, totam DEO, & magno summíque momenti Salutis negotio gerendo consecrandam. Subinde ad Christum in Crucem suffixum conversus (id quod fermè inter lacrymas factitabat) petebat ab eo Animas omnium eorum, qui ad audiendum ipsum essent venturi, tanquam præmium sanguinis pro ipsis fusi. Sub finem recitabat Hymnum *Ave Maris Stella*, Matris Misericordiæ præsentem opem exposcens; hortabatúrque Auditores, ut nulla non die ad ipsam confugerent, ad impetrandum felicem cœpti negotij successum; atque ita sacro velut igne succenso recipiebat sese. Die sequenti antequam illucesceret faciebat ad Aram, ubi tantum ferè fundebat lacrymarum, támque pia animi sensa è vultu promicabant, ut Sacrum illud pro utilissima Concione esset Populo, qui semper numerosissimus aderat & avidissimus. Sacrificio peracto parabantur omnia ad agmen supplex ad locum aliquem vicinum educendum. Præibat unus aliquis cum Cruce, quem sequebantur viri,

bini ac bini, post hos Pater Paulus comite Parocho & aliis Sacerdotibus veniebat, vultu hilari, pedibus, ut semper, nudis, baculo in manibus, pileo in capite: succedebant feminæ, quas proprium præcedebat vexillum, modestiâ oculorum tantâ, ut Angelicum quid spiraret, & teneros animi sensus excitaret. Per iter canebantur semper pluribus choris nunc preces Litaneuticæ, nunc ad globulos Angelica salutatio, aliàs Psalmi, Hymni, aut sacra Cantica, unum maximè rythmis constans, quos ingeniosus ipsius P. Pauli Zelus excogitârat, quibúsque sacra & præcipua Religionis nostræ mysteria, & dictamina exprimebantur. Interpolabant singulas strophas, aut versus, voces illæ suavissimæ, ab omnibus alto clamore ingeminatæ: *Lodato è ringratiato sempre sia il nome di Giesù, e di Maria.* Latinè dixeris: JEsu & Mariæ, laudes semper sint & gratiæ. Nec est qui satis explicet commune solatium, quo perfundebantur omnes, dum montes circa ac valles divinis personabant laudibus, gratissimâ utique, non cœlo minùs, quàm terræ harmoniâ. Sic ibant per duo, tria, aut quatuor passum millia, donec delati ad destinatum locum exciperentur ab alia multitudine, à qua solicitè & avidè expectabantur. Subinde P. Paulus Crucifixi signo à Parocho accepto, plerunque patentem alicubi in campum se conferebat: tum quia templa non satis capiebant densissimam, quæ confluxerat, audientium multitudinem, tum ut faciliùs ad omnium aures in libero & patenti loco vox allaberetur. Hîc conscenso altiore aliquo tumulo, magno & incitato fervore perorabat, solitus totam orationem claudere pleno affectùs colloquio cum Christo, cujus signum arctissimè stringebat brachiis, & calentibus lacrymis perfundebat. Dein curabat se edoceri, num qui es-

sent

sent in loco, qui inimicitias inter se gererent; quales ubi rescierat, felici ferme successu animos ferociſſimos ita repentè mutabat, ut extet memoria, alicubi in Placentini Ducatus montibus multorum inter se animos ſtabili pace conciliâſſe; cùm tamen ob viginti facilè cædes perpetratas jam ad vindicandas noviſſimis exemplis injurias accincti ſtarent. Relictis ita in pace, magnóque affectis ſolatio popularibus illis, eodem ordine & cantu ad ſtabilem Miſſionis locum redibatur.

## §. XII.

## *Ulterior Miſſionum deſcriptio.*

POſt meridiem deinde jam undique propinquabant ſupplicantiũ agmina magnâ religione ſacros hymnos concinentium, erántque ea ſemper numeroſiſſima: etſi enim Parochorum aliqui animo aut abjectiore, aut divini honoris minùs ſtudioſo ſubducere ſe principio niterentur ab adducendis ad hæc vitæ paſcua ovibus ſuis, cùm dicerent; ne quidem inventuros ſe è ſuorum numero aliquem, qui Crucis labarum ceteris præferret; ubi tamen ſubinde ad rem veniebatur, adeò præter ſpem ſuccedebant omnia, ut deſererentur negotia, greges, domus, quin & pagi toti: unde ſemel accidit, ut, cùm prædones aliqui in pagum veniſſent incolis planè vacuum, auferre inde pro arbitrio potuerint, quidquid placuerat. Multi ſe concubiâ nocte, proripiebant è ſtrato, ut neceſſariis negotiis tempeſtivè defungerentur. Neque quidquam gratius aut filiabus Parentes, aut uxoribus Mariti præſtare poterant, quàm ſi demiſsè flagitantes non impedirent ab adeundis exercitationibus piis Miſſionum; & nonnulli, qui quoti-

diano labore vivebant, contenti erant carere mercede, respondente operi, quod facturi erant tempore, quo alii ad sacras has functiones accedebant. Constat etiam de multis Personis aut habitudinis delicatæ, aut valetudinis afflictæ, quæ aliàs prodire non audebant ad Sacrum diebus ab opere feriatis in templo audiendum, eas totâ hebdomadâ his occasionibus solitas comitari supplicationes ductas per vias & longas, & oppidò incommodas. Imò in narratione typis data de Expeditionibus sacris à P. Paulo obitis in Montibus Ducatus Mutinensis anno 1672. legere est eventum memoriâ dignam, Sacerdotis, qui plurium annorum spatio tam dirè habebatur à molesto rhevmate, ut vix unquam quindecim, aut viginti abirent dies, quin acerbos admodum ejus effectus experiretur, intumescentibus cum diro dolore pedibus, maximè si tantillum madefierent, aut frigoris aliquid sentirent. Is tamen cùm sacræ Expeditionis occasione nudipes semper pluvio etiam cœlo incessisset, nec tunc, nec postea mali illius ullas reliquias expertus est. Nihilo minus admirabilitatis habet illud, quod Villæ, Diœcesis Lucensis oppido, cuidam Ordinum Structori militari accidit, qui ferè quot mensibus stomachi & sanguinis noxio ac redundanti calore in una tibiarum sacro igne vehementer torquebatur. Cùm ita solitis doloribus malè haberetur, voluit & ipse nudis pedibus supplicantium agmen comitari, & remedio, tam naturâ suâ non apto ad curandum, quem æger patiebatur, morbum, omnis evanuit dolor præsens; & novem pòst mensibus testatus ipse est, ad eam usque horam nihil se ampliùs pristini mali sensisse. Nec defuerunt è diverso, qui pœnas luerent modicæ in DEUM pietatis, & æstimationis sacrarum earum functionum,

*Hac Sacer-* Non procul Castro Acquaro Domini aliqui operis suis per-

mittere

mittere nolverunt, ut his functionibus adessent, & sementis spargendæ laborem interrumperent: sed eo anno ne tantum quidem ex agris in horrea intulerunt, quod sequentis anni sementi sufficeret. Alii quoque in tractu maritimo Liguriæ invitati humaniter à Patre, perrexerunt fœnum, ut cœperant, secare; cùm obortus repentè ventus vehementissimus fœnum omne disiecit & abstulit. Atrociùs punitus est juvenis quispiam, qui ne adesse sacris functionibus cogeretur, conscenso mulo aliò parabat abire. Egressum siquidem oppidi portâ, mulus posteriores in pedus erectus ex ephippio subjectos in lapides ita excussit, ut miser malè contuso capite & ossibus, vel ingratiis suis redire in oppidum cogeretur.

*dotum*
*nonnemo*
*juratus*
*testatus*
*est.*

## §. XIII.

### *Quibus de rebus in Concionibus actum sit.*

SUbinde quotquot ita diversis è locis confluxerant, patenti in campo collecti pulchro ordine, seorsim viri à feminis, assidebant: tum P. Joannes Petrus Pinamontius, ardens P. Pauli socius, prodibat ad doctrinam Christianam è loco aliquanto editiore tradendam, explicatis articulis magìs necessariis de recto Sacræ Confessionis & Communionis usu, de præcepto veniæ inimicis dandæ, de fugiendis proximis peccandi occasionibus, aliisque hujusmodi, allatis ad rem affirmandam historiis, & methodo, tali Auditorum generi tam aptà, ut utile dulci permiscens non doceret magìs, quàm mirè delectaret. Eâ exercitatione finitâ pergebat P. Petrus erudire teneram ætatem in elementis fidei: alii autem in Templum se conferebant, ubi proposito Eucharistico ferculo recitabatur parva Sacratissimorum

simorum Christi Vulnerum corona, quam P. Paulus, Sacerdotali albo indutus amiculo, interpolabat è suggesto triplici ad Manus, Pedes, & Latus Servatoris colloquio; mox præsentibus ducto in crucis formam Eucaristico ferculo bene precatus, posito, quod diximus, albo amiculo, sublime Cruci affixi simulacrum præferens, reducebat turbam ad locum, quo paulo antè Religionis nostræ præcipua Mysteria sunt explicata. Hîc cantato *Laudate Dominum omnes Gentes* & ingeminatâ ab omnibus alta voce Salutationis Angelicæ formulâ conscendebat suggestum, & orationem suam ordiebatur. Cujus generis Conciones illæ fuerint, qui non audivit, ægrè animo concipiet: Sufficiat nôsse, fuisse plenas succo sacræ eloquentiæ excoctissimo, animatas rationibus efficacissimis, affectibus vehementibus, figuris vicacissimis, & ante omnia Spiritûs ardore tanto, ut qui auscultabant, Sanctum Indiarum Apostolum Franciscum Xaverium audire sibi viderentur. Argumenta Dissertationum erant lectissima, è solidioribus, quæ doctrina Evangelica proponat, de necessitate Pœnitentiæ, de summo eorum periculo, qui hanc ad mortis momentum differunt; de peccati lethalis gravitate, de formidandis DEI Judiciis, de inexplicabili suppliciorum Inferni atrocitate, & quæ sunt alia generis ejusdem, idonea ad excutiendum dormitantibus somnum, revocandósque ad Christianam prudentiam eos, quos stulta Mundi axiomata dementâssent. Progediebatur dein semper ad argumenta quædam particularia, & invehebatur in unum aliquod eorum scelerum, quæ magìs grassabantur; ut, in prava exempla, quibus Animæ DEO auferuntur; in stultam verecundiam suas noxas in sacro tribunali reticentium; in odia & inimicitias inveteratas; in furta tam rerum,

quàm

quàm famæ alienæ, in choreas ac ludos, qui ſerviunt ad ſexcenta ſcelera fovenda. Sub finem dein ſacræ concionis animi ſui ardore impulſus non rarò, ut exemplo alios ad vindicanda in ſe ſua ſcelera permoveret, coronam ſpinis horridam arctè apprimebat capiti. Mox injecto in collum funè momento ſuperiore ſe veſte ſua ſpoliabat, ſub qua tunicellam aliam geſtabat à tergo apertam, & arrepto flagro ferreo atrociter ſe diverberare incipiebat. Nec iſto contentus aliud excogitaverat inſtrumentum, majori longè dolori inferendo natum. Suber id erat rotundum, bracteâ clauſum tenui, cui quinquaginta facilè acus ſic erant inſertæ, ut earum extarent capita. Hoc in ultimis Pœnitentiæ ſupplicationibus nudum ſibi pectus magno tundebat impetu; ſolitus etiam eo uti ad frangendam indomabilem quorundam in odiis, & pace hoſtibus danda duritiem; tantúmque ea re fundebat ſanguinis, ut tandem Medici cogerentur, ad manifeſtum vitæ periculum arcendum, moderatum hujuſce ſupplicij uſum imperare. Non eſt cuiquam difficile, conjecturâ aſſequi, quos animorum motus, in coronâ ſpectantium tam densâ, pia ejusmodi crudelitas excitaret. Aliud non erat videre quàm lacrymas; non aliud audire, quàm gemitus, & clamores Miſericordiam à cœlo exorantium. Et ſanè ita ſemper animos hæc concionandi agendíque P. Pauli ratio, afficiebat, ut videretur fieri non poſſe, quo minùs intimo dolore audientes percellerentur: & hinc non ſemel contigit, ut Peccatorum aliquis, certus hærere in ſuis flagitiis, ſtygio actus inſtinctu, è deſtinato ſacræ huic expeditioni loco ſe ſubduceret, & alias interim in terras commigraret.

## §. XIV.

### *Apostolicarum Concionum fructus.*

LOngè plurimi porro, quos sua tantùm curiosiras ad unam aliquam ejusmodi Concionum audiendam pellexerat, eâ feliciter capti hæserunt. Obtigit bona hæc sors non paucis Meretricibus, quæ ab infami pudoris nundinatione ad præteritæ vitæ turpitudines, asperâ vivendi ratione eluendas, inductæ sunt, quibus Pater, quâ erat in omnes caritate, de honesto receptu prospexit. Nec dissimilem experti sunt sex latrones publici, qui simul omnes ad meliora reducti ad Patris pedes, admissa flagitia detestati, se abjecerunt; ille auten. superatis non levibus difficultatibus, à Principe, cui suberant, ad sua postliminio redeundi gratiam impetravit. Atque ex isto hominum genere, quo non aliud conscleratius est, tam multi reducti sunt, ut Placentinæ urbis Episcopus in suis ad supremum Societatis nostræ Præsidem literis, ita scribere potuerit. Videre fuit in Supplicationibus etiam ordinariis & quotidianis turmas Prædonum publicorum, qui saccos induti, coronati spinis, nudipedes vastæ molis cruces humeris gestabant. Soliti antea vias obsidere & calles, nunc pessimo vivendi genere relicto, & compositis cum DEO rationibus, decreverunt vitam deinceps Christiano homine dignam vivere. Plus admirabilitatis habuit nonnullorum è Judaica fæce reductio. Hos inter nonnemo, cùm in animum inducere non potuisset, fictitiam falsánique Religionem illam esse, quam tanto animi ardore prædicari, & tantæ pietatis argumentis à numerosissimis turbis palàm agnosci animadvertebat, mox à Concione in omnium oculis accurrit ad figenda Cruci affixo

Christo

Christo oscula; & Pater præ gaudio flens arctissimè illum complexus est, incredibili populi lætitia plausúque. Perducta hac ratione ad finem concione Pater vehementiùs se, quàm unquam aliàs, diverberans, facie ignem spirante dicere consueverat: *Siquis vestro è numero nullius sibi noxæ conscius est, hîc subsistat: sed qui se perinde ac ego multorum reum scelerum novit, me sequatur*: cum dicto templum versùs progrediebatur, ubi cuncti in se nullo non die flagris sæviebant. Pluribus in locis non solùm usus nullus erat ejusmodi diverberationis, sed ne quidem quid rei esset, noverant: quin, cùm audiebant narrari, sacrarum harum expeditionum tempore ejusmodi præteritas noxas vindicandi genus usu exerceri, ridebant scilicet, & jactabant, nunquam futurum, ut apud ipsos quidquam tale exercitaretur. Nihilominus cùm ad rem ventum est, Patris exemplo permoti, accurrebant agmine tam denso, ut templi fores quamprimum claudere necesse esset, quin & nonnunquam armatos illis apponere, qui nimiam multitudinem arcerent, quæ omnia intus tumultu complêsset. Clausis proin januis Psalmus quinquagesimus canebatur, & præsentes omnes diris in se modis sæviebant flagris. Qui flagra propter multitudinem nanciscì non poterant, aut obviis funibus, aut cingulis ferro armatis diverberabant sese; quin nonnullis eum in finem globuli serviebant, quibus filo insertis coronam Deiparæ teximus: quos omnia deficiebant alia instrumenta, palmis faciem, & pectus pugnis tundebant: nec oportet tacere militis cujusdam, etsi parùm prudentem, fervorem, qui pilæ cereæ ex funiculo suspensæ inseruit fragmenta vitrea, séque ita dilanians parum abfuit quin immedicabilis gangrænæ malum contraheret. Ad quæsita subinde Patris, quæ talibus occasionibus proponebat, respondebatur clamore

communi omnium. *Pacem, veniam: Vivat JESUS: mori potiùs, quàm peccare ampliùs:* & his vocibus tanquam Eccho respondebat manuum complosio, & sonorus piúsque planctus feminarum, quæ foris stabant, semper ab hisce exercitationibus excluſæ. Nec rarò Pater novo impulsus instinctu quærebat altâ voce: *Quis è cunctis, qui adsumus, omnium est conscleratissimus?* & tum miserabili clamore cuncti respondebant: *Ego, ego:* ingeminabantúrque usque eò & lacrymæ, & verbera, ut locus ille in famosum illum Pœnitentium carcerem, quem Climacus descripsit, permutatus esse videretur. Et sanè non modici laboris res erat statuere tandem tam diræ verberationi modum & finem, cùm vix iterata, quæ dabantur, signa sufficerent, ne excederetur præfixũ temporis spatium, quod horæ quadrante erat definitum.

## §. XV.

### *Nocturnæ Diverberationis ratio.*

HÆc, quæ interdiu fiebat, sui diverberatio eorum maximè causa fiebat, qui aliunde adventabant: siquidem in locis frequentioribus sub noctem denuo ad eandem exercitationem Pater solos loci inquilinos convocabat; servabatúrque hic ritus. Ingruentibus tenebris Cruci affixi Christi imago geminas inter grandiores faces super Altaris gradus in nigro tapete collocabatur. Inde collecta jam multitudine, ad æris campani sonum, superveniebat P. Paulus, suâ illâ tunicellâ à tergo apertâ indutus, quam crasso fune adstrinxerat: pendebat è collo capistrum horribile, caput & faciem velabat cucullus niger, longam catenam pedes trahebant, & manum crudele è ferro flagrum armabat, Hoc tam lugubri in habitu prostratus coram Ara adorabat demis-

demisse Servatorem: Sacerdotum verò aliquis nudam crucem præferens, pluribus cinctam facibus, longum supplicum agnem è templo educebat. Incedebant magno numero, bini semper, qui Sodalitatibus adscripti erant, propriis quique tunicis induti, nudipedes omnes, nec pauci spinis coronati. Complures horum inflictis sibi verberibus sanguinem eliciebant, & ferme eorum in numero adolescentuli erant tenerâ ætate, qui & ipsi in nondum noxia corpora sua verberibus sæviebant non sine tenera spectantium miseratione. Nec pauci insolito se excruciandi genere utebantur, quod suus illis ardor dictabat. Hi vastæ molis, nec sanè pro modo corporis, cruces gestabant humeris: alij ponderosa è collo saxo suspenderant; iterum alij pectus tundebant silicibus: nec defuerunt, qui robustis catenis servorum instar se mutuò adstringerent: quíve extensa brachia illigarent trunco, & veluti cruci affixi incederent: quin videre fuit nonnullos, qui corpore in terram proni, animo in cœlum erecto, bestiarum instar boum juga sibi injcerent, ut hac sui abjectione & toleratis ludibriis vindicarent dementiam, quâ probroso Dæmonis jugo sese subdiderant. Neque solùm de plebejo ordine aliqui hæc de se dabant peccata execrantium exempla, sed viri Nobiles, Sacris adscripti Familiis, & cujusvis alterius quamlibet spectatæ conditionis homines, quin non rarò Dominæ constitutione corporis tenerrimâ, tectæ cucullis, & humeris lineâ telâ, modestiæ ergò, opertis, ex abdito sese aliorum turmæ inserebant, & crudeliter in se verberibus animadvertebant. Sodalitatum agmina sequebantur Sacerdotes, nudipedes & ipsi, & spinosis sertis horridi. Horum agmen claudebat P. Paulus eâ, quâ diximus, plenâ sacri horroris formâ vestitus, suúmque atrocem plenè in morum & toto brachi-

orum robore, tergum contundens. Ultimo in agmine ibant viri reliqui, ac denique feminæ. Ubi ad locum aliquem ampliorem ventum erat, interſiſtebat totum agmen, & P. Paulus eminentiore tumulo conſcenſo, remoto vultûs tegumento, effatum quoddam, ſacris promptum è literis, inculcabat, & illas maximè formidabiles Chriſti Servatoris minas, tonantis magis quàm concionantis ſono, ingeminabat: *Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis. Peccatores, aiebat, aut Pœnitere, aut æternum perire. Sciatis certò inter hæc duo medium non dari; Statuite igitur apud vos, & edicite, quodnam horum duorum vos eligatis Pœnitentiam,* aut *Infernum.* Ejusmodi ad quæſtionem omnes ſalutari, pavore conſternati finem non faciebant inter lacrymas exclamandi: *Pœnitentiam, Pœnitentiam:* neque ſanè explicari ſatis poteſt, quis ejus Populi ſenſus fuerit, dum inter noctis tenebras, in illo tam horrifico apparatu ſpectabat virum tam virtutis doctrinæque famâ inclytum, qui ſudore & lacrymis undique perfuſus, tanquam alio ex Mundo profectus tanto ardore in DEI nomine Pœnitentiam ipſis inculcabat. Sic poſt longas ambages redibat ad templum ſupplicantium agmen, exclusísque pro more feminis initium dabatur diverberationi nocturnæ, quam profectò jure quàm optimo, Inferni flagellum quis dixerit. Ibi enimverò ſeriò, & nequaquam velut in ſcena, omnes deteſtabantur peccata; ibi decreta concipiebantur quàm firma uſpiam concipere poteſt animus malè admiſſorum pœnitens: unde fuit, qui non dubitaret aſſerere, ſatis ſibi eſſe, ſi antehac admiſſorum ſcelerum gratiam ipſi DEUS faceret; nam quod ad futura ſpectaret, ſibi de lapſu in poſterum ſatis cautum eſſe. Aliquammulti Peccatores, qui ad eam diem DEI, & animæ ſuæ planè obliti in ſuis flagitiis ex toto penitúsque occal-

luerant,

luerant, tunc totis animi viribus dolentes illa deplorabant; & quia nonnulli palàm se coram omnibus de iis accusare parati erant, vix tota disertorum imperiorum vi abstinere illos Pater potuit, & os iis obturare. Fuit inter alios in una sacrarum istarum functionum homo inops, qui extractâ è sinu crumenâ nummis refertâ, en, clamare occæpit, hi nummi à me per injuriam alteri ablati sunt; accipe eos, Pater sancte, Pater benedicte, & redde illos cui debentur: nec cessabat clamare & flere; cùm videretur sibi pro tenui lucello Christum cum Juda vendidisse; quæ res ad planctum similem ceteros qui audiebant, permovit. Jure igitur ac merito vir quidem magnus, cùm aliquot istjusmodi Pœnitentium exempla observâsset, dicere solitus est; nunquam se in animum inducturum fuisse, Sacras P. Pauli Expeditiones tantarum esse virium, nisi suismet ipse oculis perspexisset.

## §. XVI.

### *Ultimæ diei in Missione functiones.*

INterim inter pias ejusmodi exercitationes ultima appropinquabat dies Generali, quam dicimus, Communioni destinata. Ut confertæ multitudini fieret satis, necesse plerumque fuit Sacri hujus Convivij functionem apertis in campis instituere, ubi extemporale templum ex arborum ramis, aliisque virentibus plantis ac herbis non absque ingenio & arte struebatur, & in eo Altare quàm fieri poterat ornatissimum; idque curabatur semper, ut pluribus portis aditus pateret, ut absque omni perturbatione ac tumultu parte unâ viri, parte alterâ feminæ, intrarent exirentque. Jam ante creperam auroræ lucem videre erat accedentes multis

viis

viis cum lucernis aut facibus, & harmonico cantu numerosas Sodalitates, cupidas Angelicæ Dapis quàm primùm sumendæ: & Pater primus omnium Sacris operatus, hilari & indefesso studio ubique aderat, nunc necessaria præparando, nunc divinum epulum suismet manibus dispertiendo, nunc verbis sanctum ardorem spirantibus omnium ad divinam dapem accedentium animos inflammando: quorum numerus sæpe ad octodecies; quin & ad vicies mille ascendebat: quamquam supra omnem numerum erant accensa eorum studia, pia suspiria, & lacrymæ aliis occasionibus haud sanè consueta. Nec poterat nisi teneros admodum sensus excitare, numerari sub illa viridantium arborum umbrâ, nunc quadraginta, nunc quinquaginta sacros Judices, singulos circumdatos multâ dolentissimè pœnitentium turmâ; sic ut omnes campi illi novum viderentur fructuum genus parturire, fructuum nimirum cælestis Paradysi, qui ad reddendas DEO laudes efficacissimè excitabant.

## §. XVII.

### *Ultimæ Supplicationis Descriptio.*

TRansacto subinde meridie, & tantillo temporis spatio ad vires reparandas concesso, initium fiebat postremæ, & præ ceteris apparatæ Supplicationi. Primo post prælatam Crucem loco ibant puellæ albis indutæ vestibus, coronâ è spinis in capite, & velo, quod partem vultûs obtegebat, oculis in parvum Christi in Crucem suffixi simulacrum, quod manibus præferebant, defixis. Has excipiebant feminæ aliæ, Viduæ, Conjuges, solo vestium colore à primis diversæ. Mox Sacerdotum nudipedum venerabile agmen,

gmen, injectis collo funibus, crucem, aut calvariam manu præferentium veniebat. Insistebant horum vestigiis, certis adscripti Sodalitatibus, operto vultu, & togis oblongis; viri dein alii in vestibus brevibus, cum suo singuli socio, nudis pedibus, & capite spinis incincto. Constabat sacrum hoc agmen fermè pluribus millenis, quorum non pauci flagris armati, sanguine quem fundebant, signabant vias, per quas ibant, & hîc si uspiam alibi, cujuslibet ardor ingenij sui vires expromebat ad interna pœnitentis animi sensa peculiari aliquo indicio & argumento prodenda. Inter hæc Sacerdotes mæsto & lugubri cantu *Miserere* ordiebantur, ceteris singulas Psalmi strophas miserabili carmine *Miserere nostri Domine, Miserere*, intercalantibus; quod tubæ instar cælestis cunctos stimulabat ad iratum DEUM sincero de admissis dolore placandum. In Supplicationibus tamen hujusmodi spectabilius nihil erat, quàm Pater Paulus ipsemet. Ibat ille postremus omnium, profundâ quadam sui despicientiâ in DEUM absorptus, lacrymísque suis innatans, cum prægrandi Christi incrucem suffixi simulacro, & præter vestem Pœnitentium, aliorum vestibus non absimilem, raptabat innexam utrique pedi catenam tanti ponderis, ut ægrè admodum gressus promoveret. Concurrebat autem Populus, sacri spectaculi avidus, numero tam incredibili, ut in littoralibus Liguriæ tractibus aliquando facilè septuaginta mortalium millia censa sint, quorum non pauci triginta, quin & quadraginta, passuum millia confecerant: multi cùm spectandi locum è plano non invenirent, arbores conscendebant, quarum rami cùm ponderi insidentium non sufficerent, etsi crassi firmíque aliàs, non semel crepuere. Toto porro supplicum agmine ad destinatum paratúmque in campis locum delato accingebat se Pater ad

Concionem, in qua totum ſuum ardentiſſimum Zelum exereret. Argumentum ejusmodi Concionum erat, Perſeverantia in bene cœptis, ad quam ut efficaciter audientes incitaret, media proponebat & ſuavia, & potentia; cujusmodi ſunt, tenera & conſtans pietas erga DEI Matrem, omnium gratiarum à ſummo DEO conſtitutam Diribitricem; creber divinorum Myſteriorum uſus; & ante omnia, fuga occaſionum: cùm ſperari vix, ac ne vix quidem poſſit, non ruiturum tandem in præceps eum, qui ſemper ludibundus circa extremum marginem oberrat. Inde progrediebatur ad bene precandum cunctis nomine ſupremi Eccleſiæ Paſtoris, ut mors fert Patrum Societatis in ſacris hiſce expeditionibus. Priùs tamen, velut Vatis Eliæ incitatus ſpiritu, ſumpto in manus Cruci affixi ſimulacro, horribiles diras fulminabat contra illos, qui primi auderent rumpere communem concordiam jam ſtabilitam; iterum introducere conſuetudinem operum, quæ tam multis ſunt cadendi, & in præceps ruendi occaſio; luſuum inquam vetitorum, chorearum, conventiculorum nocturnorum, amorum profanorum, eámque in rem afferebat illa Joſue verba: *Maledictus vir coram Domino, qui ſuſcitaverit & ædificaverit Civitatem Jericho.* Tum ad lenitatem compoſitus vertebat ſeſe ad bene precandum cuilibet hominum ibi præſentium conditioni, ſuggeſtis cuilibet earum opportunis monitis. Precabatur fauſta quæque eorum familiis, domibus, pecoribus, agris, proventibus. Tandem accensâ face arreptâ exclamabat: *in ignem, in ignem Folia luſoria:* quæ eum in finem ipſiſmet à luſoribus, ſaniora jam cogitantibus, erant oblata; & cùm omnis multitudo magnis vocibus ingeminaret, *in ignem, in ignem*, aliorum operâ cunctorum in oculis curabat illa concremari. Mox initium fiebat concinendo Hymno

Joſue 6.

mno Ambrosiano, *TE DEUM*, ad agendas DEO grates pro omnibus, quæ præsenti ejus ope rectè & ex virtute erant gesta. *Sed quia* (aiebat Pater ex intimo animi sui sensu) *probè perspicio me peccatis meis impediisse multo majores, qui consecuturi ceteroquin erant, fructus, quósque pro sua miseratione divina Bonitas parata erat concedere, par omnino est, dum vos gratias illi agitis, ut ego veniam ab eadem quam demississimè petam, & eam noxam in me, parte saltem aliquâ, vindicem*: & cum dicto nudatis humeris arreptóque ferreo suo flagro atrociter tergum suum laniabat. Quantumcunque porro sanguinis ille funderet, haud minùs sanè lacrimarum affundebat numerosissimus ille populus, permotus spectaculo viri, qui non contentus ipsius causâ tantum profudisse sudoris, videbatur omnem etiam venarum sanguinem salutis eorum causâ velle profundere. Non poterant audiri concinentium Sacerdotum voces, sed lugubris tantùm planctus & clamores, orantium Patrem, ut cessaret tandem à laniena non suis, sed illorum peccatis & sceleribus debitâ. Sic Pater erectus in pedes, & vale ipsis dicturus ultimum: *Christiani mei*, ajebat, *vos ego hîc in apertis vestri, & mei Servatoris brachiis relinquo; cui ex imis animi mei visceribus vos commendo. Non credo, quòd nos mortali hac in vita iterum visuri simus invicem; videbimus nos, DEO bene juvante, iterum in cœlo. Ubi nuntium mortis meæ intellexeritis, rogo vos per illum, quo vos arctissimè complector, amorem, ut dignemini à divina Bonitate impetrare requiem animæ meæ.* Tum enim vero præquam aliàs personabant clamores & ejulatus, sic ut totidem vicibus restaurari videretur plena illa tenerrimi affectus Tragœdia, quæ data est, cùm Paulus Apostolus Mileto Ephesum profecturus vale ultimum Christianis suis dicebat. Plurimos omnino re-

perire erat, qui se illi adjungere comites studebant, nec avelli poterant à Patre tam amato, & amante: unde necesse plerumque fuit, ut clam ille, fugientis potiùs, quàm proficiscentis more, se subduceret.

## §. XVIII.

### *Abitus Patris ad Missiones alias.*

ITa Pater Paulus, quin unquam interquiesceret, sub vesperum mox illius diei, aut, si tardè, sub auroram sequentis pergebat ad arduos suos labores alio in loco inchoandos, & ad falcem in novam semper messem mittendam. Quantumcunque densi cœlo imbres caderent, quantumcunque ferocirent venti, etsi noctu per horridas eundum silvas, aut vias asperrimas, nullo tamen horum incommodorum ille absterrebatur, sed ibat primus omnium vultu hilari, animósque comitibus addebat: quin dicere solebat, eos qui statuissent Expeditionibus hisce Apostolicis sese impendere, eo se numero habere debere, quo procubitores in militia, qui apertissima in vitæ discrimina se coniiciunt. Altè idcirco in animum demiserat cogitationem de Inferorum suppliciis, de suis noxis, de æternitate, quæ facile illi reddebat quidquid esset ferendum: unde siquis eum aliquando hortabatur, ut majori ipsi sibi curæ esset, ut tueretur se à nimbis, qui densi ruebant; reponere consueverat; haud paulo levius esse aquas, quàm ignem pati; sæpe etiam addere solitus: ô si sciretis, quantopere illum ego formidem! Aliàs cùm nonnemo rogabat; ne se verberibus tam malè mulctaret, tantum sanguinis funderet, Apostolicum illud in mentem revocabat; *Sine sanguinis effusione*

Hebr. 9. v. 22.

NON

*non fit remissio*: Aut certè altè ducto suspirio ajebat; haud procul est æternitas.

## §. XIX.

### *Ratio Missiones in urbibus instituendi.*

ATque hæc quam diximus ratio erat, quam Pater Paulus in pagis ac oppidis, prout res ferebat, tenere est solitus. Nec multum huic dispar erat illa, quam tenebat in urbibus. Solùm pro eo quòd in agros campósque prodiret, & vicina in loca populum manè deduceret, in Templum aliquod intra muros, ad pios sensus excitandos aptius, supplex suum agmen deducebat. Unde facilè quis colliget, quàm & gratæ & utiles eodem semper modo sacræ istæ functiones acciderent. Sanè Sereniſſimi Principes Parmensis, ac Mutinensis, qui in ditionibus suis integræ ejusmodi Expeditioni Sacræ, magno in publicum exemplo, adesse diguati sunt, etiam atque etiam vehementer illasmet admirati, laudibus celebrârunt, tanquam à Patre Paulo singulari DEI instinctu ad animarum salutem inventas. Idem affirmârunt omnis conditionis homines, Præsules, Purpurati Ecclesiæ Patres, quos inter Eminentissimus Rossettus, glorioſæ recordationis, Faventinæ tum Ecclesiæ Pastor, non solùm ingentem animi lætitiam præ se tulit, cùm iis Diœcesis ipsius excolebatur, sed etiam cùm à Parochis & Vicariis literas accipiebat nuntias ingentium bonorum, quæ identidem ex P. Segneri expeditionibus nascebantur, consueverat illas lacrymis inter legendum aspergere, quas ipsi ingens solatium expresserat è tam prosperis & optatis successibus haustum. Quantopere tamen sanctas has functiones probabant, qui aliquo divini honoris studio tene-

bantur, tam ringebantur mali Dæmones, qui dolorem suum certâ quadam occasione apertè satis prodidere, quando mulier energumena ad Patrem Paulum adducta est, cujus stygius hospes pleno authoritatis imperio facessere jussus est. At hic inter abeundum, *Putide fratercule, aliud*, ajebat, *expectare à tenihil poteram; sed lues, ne dubita.* Sic autem malignus se ultus est, ut cùm sequenti mox die sacris functionibus finis, distributo accumbentibus Eucharistico pane, & solenni supplicatione pro more ductâ, esset imponendus, atque adeò Patri laboribus exhausto quiete ad vires reparandas esset opus, ne momento quidem temporis obdormiscere potuerit: totâ siquidem, quam longa erat, nocte, non destitit cubiculi fores pulsare; & Pater manè Sociorum suorum alicui obvius, subridens dixit: *Enim vero ultus se est hesternus Dæmon: ne momento quidem somnum hac nocte capere potui.*

## §. XX.

## *Quanam harum Expeditionum emolumenta.*

DUbium non est, quin Sacrarum harum Expeditionum fructus præ ceteris insignes fuerint, quos hîc enarrare haudquaquam liceat, utpote sigillo, quod fas non sit rumpere, Sacramenti Pœnitentiæ clausos. Pater Paulus ob suũ aurium vitium, & tot alias functiones, quibus erat occupatissimus, parum sacro huic ministerio se addicere potuit, contentus subinde audire unum aliquem in conclavis alicujus recessu: vices tamen ejus supplebat Socius, qui aliorum piorum Sacerdotum fideli adjutus operâ, Sacro Tribunali die totâ, & magnâ noctis parte affixus hærebat. Numerus porro, & ardor Pœnitentium tantus erat, ut multi me-

diæ

diæ noctis silentio adventarent, & Templi obsiderent fores, ut locum viciniorem sedi, pro qua Jus Sacri Judices dicebant, occuparent: & expectabant dies totos invictâ patientiâ in pedes erecti. Plerique illorum de totius vitæ perperam admissis accusare se volebant ad animi pacem recuperandam, & agebant se reos tantâ animi dolentis significatione, tot inter singultus ac lacrymas, ut pro eo, quòd suas illis noxas Sacri Arbitri exprobrarent, necesse haberent solatia illis adhibere, ne de divina Miseratione desperarent, cujus nimio metu perculsi plorantes quærebant: Pater mi, an credis DEUM tot malè admissorum veniam mihi concessurum? In Historia Missionum, Faventiæ typis excusâ, narratur de nonnullis, qui cum nunquam pervincere potuissent difficultatem, quam experiebantur in aperiendo aliquo suo magìs enormi delicto, longa itinera aut Romam, aut ad Sanctam Domum Lauretanam susceperant, ut tandem victâ erubescentiâ virus in aures Sacerdotis ignoti evomerent: sed cùm ne tum quidem pervincere se ipsos potuissent, novo obstricti Sacrilegio patriam repetierant. Nec defuit, cui non sufficeret ad hanc sui victoriam, semel iterúmque extremis esse admotum, & jam ad ipsas Orci fauces constitisse. Et tamen omnes isti cum bonâ suâ sorte ad audiendum P. Segnerum accessissent, integrè sinceréque noxas suas omnes confessi, tanquam oves perditæ è lupi faucibus, ad sinum Pastoris reversi sunt. Non caruit etiam prodigio modus, quem DEUS tenuit in reducendo ad suam gratiam infelici aliquo, qui complurium lustrorum spatio in tenaci catenatorum scelerum luto hæserat, quin unquam inculcatis & repetitis Patris monitis cederet. Hic noctu dormiens visus est sibi ad extremam vitæ lineam stare, sic ut linqueretur animo,

totús-

totúsque cohorreſceret, ut ſolent, qui ſe propinquos agnoſcunt illi ponti, per quem è tempore tranſitur ad æternitatem. Inter hæc viſus eſt ſibi videre ſupra ſe P. Segnerum, qui ad lectuli ſpondam vultu placido illum animaret, & quas Eccleſia ſolet jamjam morituris, ad animam DEO commendandam, preces recitaret. Non poſſum inducere in animum, ſomnium hoc ex iis fuiſſe, quæ altiorem cauſam non habent. Certè hic homo à ſomno excitatus, cùm totis artubus contremiſceret, non expectata diei luce, feſtinus cucurrit ad Sacrum Judicem quærendum, cui enarratâ longâ flagitiorum ſuorum hiſtoriâ ſomnium etiam expoſuit, quod profundum, quo ad eam diem oppreſſus jacuerat, lethargum ipſi excuſſerat. Non carebant etiam admiratione generoſæ animorum converſiones, quibus de contractis noxis dolentes, avellebant ſeſe à cunctis relabendi occaſionibus; tot pellices repentè deſertæ; tot conjugia, priùs nulla, ritè inita: tot contractus uſurarij reſciſſi; tot calumniæ injuſtæ retractatæ, tot ultimæ voluntates, & ſcripturæ aliæ ex angulis & tenebris in lucem protractæ: res alienæ tanto numero & pondere dominis ſuis redhibitæ; quæ cuncta ex eo genere ſunt, quibus magis ardua Lex Chriſtiana non imperat: & tamen aſſerere potuerunt nonnulli Sacri hujus tribunalis Judices, octidui, quo Miſſio duraverat, ſpatio ſuam operam ſæpius ad aliena damna reparanda adhibitam, quàm antea octennij ſpatio factum fuerat. Neque ardens juvandarum animarum in P. Paulo ſtudium ad homines profanos, & peccatores in hominum turba viventes tantùm ſe porrigebat, ſed ad ſacra etiam clauſtra & Virgines DEO ſacras. Paucorum operâ congreſſuum ita Clauſtra quædam meliora reddidit, ut ad primæ Diſciplinæ rigorem, & ad vitam communem amplecten-

plectendam illa reduceret; qua in re consequenda frustra ad eam diem Præsules & Animarum Rectores desudaverant. Vixerat in Ascetorio quopiam perdita Anima (Malum Dæmonem inter cœli genios dixisses) profundè immersa in omne genus miseriarum, quæ cadere possint in eam, quam sacri parietes clauderent. Hanc Pater suavi & efficaci illâ suâ agendi ratione ad seriam pœnitudinem de admissis induxit; quo factum ut alteri ejusdem Asceterii religiosæ personæ, singularibus à DEO favoribus excultæ, misera illa divinitus obiiceretur, toto capite serpentibus implicito intricatóque, quos singulos Pater Segnerus dextrè avelleret, totúmque verticem venenata hac congerie liberaret.

## §. XXI.

### *Inimicitiæ Patris operâ sublatæ.*

SEd missis his Sacrarum Expeditionum effectis occultioribus, ad se nos vocant alia magìs manifesta. Atque hæc inter primum facilè locum sibi vendicant animorum dissidia in pacem concordiámque mutata: quæ quidem conversiones tanto numero factæ sunt, páxque toties inter antea discordes firmata, ut absque jactantiæ periculo P. Segnerum appellare liceat Angelum Pacis. Sub finem diverberationum publicarum, sermonúmque ad Populum, quibus maximè occasionibus Pater de hoc argumento disserebat, nunquam ferè non videre erat multos, qui in illo succensi spiritùs ardore circumcursarent ad eos inveniendos, à quibus graviter irritati offensíque erant, nec sine lacrymis in genua provoluti veniam postularent, haud secus ac si injuriam intulissent ipsi, non accepissent.

Fuit cùm mirum quid & lepidum in hoc genere accidit: vix post diverberationem nocturnam tenebras lux iterum illa-ta dispulerat, cùm virorum aliquis celerrimè in pedes erectus accurrit, ut confertâ in turbâ amplexu stringeret alium, qui etiamnum genibus nixus perdurabat. Hic cùm collum sibi stringi adverteret, retorsit oculos ut videret, à quo invaderetur: cúmque mox inimicum suum dignovisset, tam vehementi terrore perculsus fuit, ut vim sibi fieri ratus magnis clamoribus opem aliorum expoſceret: sed mox cognitum est, alterum illum calentibus lacrymis magnóque animi sensu pacem expoſcere; quam etiam alter alteri sinceram stabilémque in loco adpromisit. Cunctis ferè locis, in quibus P. Paulus glorioſos suos sudores sparsit, bulliebant inter diversas familias, inter omnis conditionis perſonas, odia, & dissensiones gravissimæ, quibus occasionem dederant utilitates interversæ, calumniæ, proditiones, cædes; neque ullorum Magistratuum, aut Principum Authoritas tantum valuerat, ut inveterata hæc dissidia componeret. Vis tamen illa divina, quæ nihil non potest, quæque hominum corda in manibus tenet, & pro arbitrio tractat, tam bellè de hac contumacia, fidi servi sui operâ, noverat triumphare, ut in uno solo Ducatus Mutinensis oppido centum ejusmodi discordias sublatas licuerit numerare: & vix ullus unquam inventus locus est, qui ad finem perductâ Sacrâ Expeditione, plenâ perfectâque in concordia non relinqueretur. Hinc Criminalium causarum Judices & Advocati, qui fermè alienas calamitates messem suam faciunt, de his Expeditionibus expoſtulabant, quòd earum operâ ſolitum sibi lucellum interverteretur.

§. XXII.

## §. XXII.

### *Singularia Reconciliationum Specimina.*

NArrabimus hîc, ad ceterorum specimen, eventum quendam singularem. Oppidum Borzonascum, quod in Liguriæ montibus est, totum duas in factiones divisum erat, quas inter quadraginta plus minus cædes erant patratæ, & tanta erat mali vis, ut, quam toto biennio ipsius Genuensis Reipublicæ Magistratus adhibuerat, curam planè frustraretur. Fateri necesse est, placuisse DEO id solatij P. Paulo afferre; siquidem mane lucis D. Laurentio Martyri sacræ in omni illo Populo communem quandam concordiam stabilivit, conditionibus publici Scribæ operâ in chartam relatis. Sequenti autem die Cives illi prægrandem erexere Crucem, rei gestæ testem & monumentum. Et placuit tantopere Reipublicæ eventus, ut mitteret aliquos cum literis, qui publico nomine tanti operis Authori grates agerent. Illustres duo viri, principes Civitatis valde inclytæ, tam atrocibus odiis diffidebant, ut eorum quisque suis in villis ad quadraginta aleret armatos in omne facinus paratos; nec unquam utervis prodiret domo, nisi multis armatis stipatoribus cinctus: nec erat, qui diffidio componendo manum admovere sustineret, cùm pars utraque conditiones obfirmato animo poscceret, quas altera nunquam esset initura. Contulit se ad eos P. Segnerus, & tam æquis conditionibus prudenter propositis, quàm verborum suorum rationúmque pondere utrumque impulit, ut sublatâ omni discordiâ armatos dimitterent, totíque illi terrarũ tractui tranquillitatem restituerent, cùm antea in momenta ferè ex illa rerum perturbatione tragicus & cruentus valde exitus timeretur. Abbas quidam Mytrâ insignis, geminâ

fratrum suorum cæde irritatus, cùm tota sic esset exciſa Stirps, plurium annorum spatio omnem pacis ac concordiæ mentionem rejecerat. At solâ unâ nostri Pauli concione auditâ non solùm ad Pacem concedendam permotus est, sed in ultima Sacræ Expeditionis Supplicatione medius inter binos cædium illarum Authores incedere voluit; itáque cuncti tres Pœnitentium more vestiti rarum dederunt spectaculum, cùm unus funis omnes tres arctè adstringeret, ut eo symbolo arctius multo vinculum repræsentarent, quo animi eorum invicem erant colligati. Maritum quempiam infami calumniâ aliqui denigrârant; quæ res tam malè hominem habuit, ut audito tantùm Patre Paulo, qui ad pacem cum offensoribus ineundam hortabatur, in ejus brachia animo defectus concideret. Ubi ad sese is rediit, perrexit Pater animos illi addere, eúmque sic paulatim immutavit, ut non cessaret oscula figere homini, qui tam gravem ipsi notam inusserat; eodémque vesperi ad cœnam secum sumendam eundem invitaret, professus, non capere se vim gaudij, quo perfundebatur ex eo, quòd tam singulari Numinis ope ad rem eam perficiendam esset adjutus. In ditionis Genuensis oppido luculentam plagam acceperat nonnemo è primoribus loci. Vulneris is & injuriæ sensu vivacissimo jam non parvam armatorum manum domi coëgerat, ad vindictam sumendam: neque primarii Curionis, aliorúmque preces quidquam valuere ad iram mitigandam. Delatus eò est P. Segnerus, & quin verbum ullum faceret, solo suo obtutu tantum effecit, ut vir ille, etiamnum madidus sanguine, qui profluebat è vulnere, mox procumberet in genua, & pacem sponte prior ipse offerret; quæ res summam omnibus & admirationem & solatium attulit. Infelicis cujusdam parentis sinu avulsus, & crudeliter

liter è medio ſublatus erat filius cariſſimus, quo uno ſpes omnis familiæ nitebatur. Quid non fecit, quid non dixit Pater, ut hominem induceret ad faciendum, quod ejusmodi in eventibus lex divina à nobis expoſcit? ſed non fuit modus obſtinatam ejus voluntatem ad quidquam horum flectendi; ſic ut tandem Pater cæli illi diras minaretur. Parvi omnino viſus eſt facere has minas pervicax, & ſuperbè ſpernenti ſimilis abiit. Sed eventus ab ejus ſpe multum abluſit. Ab illo momento quietis partem capere nullam uſpiam potuit; non cibo, non potu reficere vires; vultúsque extincti carbonis atrorem induit. Sic compulſus eſt Patrem non multis poſt diebus convenire denuo, paratúmque ſe offerre ad omnia, quæcunque imperâſſet; & vix obtulerat, cùm omnis confeſtim evanuit & animi oppreſſi horror, & faciei nigredo. Inſolitum quid habuit eventus, qui Sacerdoti cuipiam, rebus divinis addictiſſimo, contigit. Audierat hic Patris diſſertationem, quâ Inimicorum dilectionem inculcavit; & tam tenerè affectus eſt ad eam virtutem, ut ipſi Patri aſſeruerit: Si domum meam redux ipſum adeò fratrem meum occiſum ſpectare cogerer, ne dubita, paratiſſimus eſlem, ad veniam homicidæ dandam. Domum exin rectà petiit, & præter omnem ſpem atque expectationem fratrem ſuum occiſum reperit: nec mora, generoſus ſui victor quidquid promiſerat, & quidquid DEUS ante opportunè, ad ipſum contra ictum tam atrocem præmuniendum, ſuggeſſerat, reipſa eſt executus.

## §. XXIII.

### *Aliæ eundem finem conſequendi artes.*

SIquando P. Paulus in homines offendit, qui ſurdarum

instar aspidum nihili faciebant ejus ad pacem concludendam hortatus, solitus est remediis potentionibus uti, & exemplo Magni Indorum Apostoli, inspectantibus ipsis, flagris in se atrociter animadvertere, aut aliis horridioribus modis sese excruciare, asserens; cùm illi nollent quidquam ad salutem suam procurandam dare, velle se libenter expendere aliquid de suo. Atque hoc multoties ille præstitit eventu fecundo. Fuit inter ceteros nonnemo apud suos perquam honoratus, qui jam ab integro lustro deflebat jacturam unigenæ sui, ab inimicis barbarè ttucidati, malebátque Athei instar toto intermedio tempore Sanctorum Ecclesiæ Mysteriorum usu abstinere, quàm veniam interfectori dare. Quo die mane illam ad Parochiam visendam ventum est, is quoque fortuitò intervenit, & finita Concione variæ pro more reconciliationes institutæ sunt: cùm autem ad ipsum etiam denique ventum esset, ne quidem mentionem ea de re admittere ad aures voluit. Hortabantur illum amici, adjurabant agnati, & præ ceteris omnibus P. Segnerus omnem caritatis vim exeruit; ipse autem perinde ac malo infestus dæmone torquebat sese, sudabat; ringebatur dentibus, quærebátque omni conatu, quâ parte sese subduceret è multitudine, quæ undique illum circumdederat. Tum Pater obtutu in cœlum defixo, *hujus*, inquit, *cordis durities, nisi sanguine, emolliri non potest.* Mox prostratus in genua, & nudatis repentè humeris atrocissimè sese diverberans veniam à DEO pro misero illo efflagitabat. Sed is ad hoc etiam spectaculum hærebat immotus: unde Pater arrepto, de quo aliàs dictum, è subere instrumento, non cessabat pectus sibi tundere tantúmque sanguinis spargere, ut eo solum immadesceret. Jungebat Patris studio & ardori suas preces & clamores populus, tantáque contentione

tentione pacem, pietatem, misericordiam ingeminabat, ut duo inter ceteros animo linquerentur. Et tamen, quod fidem excedit, cunctis his miser ille quovis saxo durior ne tantillum quidem molliebatur; ut Pater successu desperato, & resumptis vestibus jamiam abitum pararet. Interim denuo obortus altissimus Populi clamor, Pater, ajebat, ne desere, ne desere miserum. Mox dum cuncti in preces effunduntur, compulsus tandem est cedere Inferni genius; cùm enim jam ab Altari digredi pararet Pater, occurrit illi miser, manúmque arctè strinxit, eo indicio paratum se ad jussa demonstrans. Subinde cadentibus ubertim lacrymis ad figenda Cruci affixi JESU simulacro oscula accedens, veniam demissè petebat pravorum, quibus cunctos offenderat, exemplorum; cùm interim præsentes omnes summum è successu solatium variè testarentur, & intimo animi sensu gratias divinæ Bonitati agerent. Non dissimilis huic fuit alter in Diœcesi Parmensi eventus. Amiserat nonnemo aliorum scelere fratrem suum: hic ut veniam Authoribus daret, ipse urbis Præsul Nembrinus omni studio adlaborârat: sed omnis optimi Pastoris conatus in irritum cecidit. Vocari hunc curavit P. Paulus præsente ipso Præsule, ex eóque post varia quæsivit, quâ tandem re satis sibi fieri vellet? At homo nefarius, non aliud se desiderare respondit, quàm ut manus suas Inimici sanguine abluere liceret. Age igitur, reposuit Pater, quoniam inimici tui sanguine lavare manus cupis, meo illas sanguine pro arbitrio imbue: ego enim hostem me tuum juratum profiteor, quamdiu tu in DEUM perduellis esse perges: & cum dicto diductis à pectore vestibus suo illo instrumento cæpit carnem immaniter lacerare; &, ablue, inquiebat, te sanguine doc meo, quem ego fundere non antè cessabo, quàm tu eo te exaties. Vix fuit inter

ter adstantes, qui lacrymas teneret, & non vociferaretur; Satis est, Pater, satis est. Unus ille conscleratus, tigride ferocior, adstabat intrepidus, videbatúrque spectaculo hoc cruento se oblectare. Non diu tamen pòst potenti DEI manu tactus mutatúsque penitus, cessa, clamavit, Pater, ego enim causam meam omnem permitto sacratissimis Servatoris mei JESU vulneribus, & toto ex animo promitto illi veram æternámque gratiæ reconciliationem. Liceat mihi hîc addere exemplum aliud ipsis Sacerdotis cujuspiam Placentini verbis. Testor (affirmat ille juratus) Franciscum Mantegari parentem meum narrâsse sæpius, quòd cùm P. Segneri invenisset obnitentes nonnullos Dominos oppidi Compiani in concordia redintegranda, observârit ipse parens meus, Patrem suo in conclavi noctu se diverberâsse, & inter diverberandum collocutum cum aliquo; etsi probè nosset parens, præter P. Paulũ in conclavi illo præterea esse neminem: die autem insequuta feliciter cessisse Patri illud reconciliationis ac pacis inter dictos Dominos negotium. Sic ipse: ego autem prudentis Lectoris judicio relinquo, ut hæc quo maximè visum fuerit modo verba interpretetur.

## §. XXIV.

### *Etiam Feminæ ad veniam hostibus concedendam inductæ.*

HAud paulo plus difficultatis videtur ardens P. Pauli studium incurrisse in flectenda feminarum obstinatione; cùm hæ multò quàm viri tenaciùs iram suam foveant, vel illo divinæ Scripturæ Oraculo teste: *Non est ira super iram mulieris.* Ast ille singulari DEI adjutus ope non semel etiam de harum contumaciâ triumphavit. In Diœcesi Brixien-

Eccli. 25.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

xienſi ob illatas graves admodum injurias inter principes loci familias orta erat lethalis inimicitia, tractis utrimque in partium ſtudium agnatis omnibus, quæ demum ad ſummum uſque excrevit, poſtquam nobilis Invenis ab una factionum è medio eſt ſublatus. Mater interfecti vidua, magni animi femina, & ad injuriæ ſenſum nequaquam hebetis, flammas undique animabat, nec niſi ſtrages & ruinas cogitare videbatur. Quodam ſacræ Expeditionis die divino factum eſt conſilio, ut hæc Matrona adeſſet concioni P. Segneri, (hujus perquam opportunè argumentam erat, venia hoſtibus danda) ſícque intimè permoveretur, ut eâdem mox die cum omnibus aſſeclis ſuis ſponte ad ædes latronis accederet ad veniam illi offerendam, non ſine ſingulari omnium ferè gaudio, qui eam antea vindictæ ſtudio atque ardore, propè ad inſaniam uſque flagrantem adverterant. Nec diu pòſt cùm domum ejus agnatorum plerique confluxiſſent, eódem ſe contulit ſuis etiam agnatis ſtipatus filij interfector; venit autem ſuomet à parente ductus, qui injecto in collum ejus laqueo in genua coram Matrona procumbere coëgit, his uſus verbis: En, Domina, ad pedes tuos filium meum facti pœnitentem, abjectúmque; ſtatue de illo, quod viſum fuerit, delendæ injuriæ, quâ te affecit. Quid ad ſpectaculum ejusmodi piam Matronam egiſſe credimus? Accurrit confeſtim, laqueum collo detrahit; humo attollit, & amiciſſimè illum amplexata; hic, inquit, filij mei defuncti loco deinceps mihi erit. Exin cuncti qui ſpectaculo tam jucundo aderant inter teneri ſenſus lacrymas Templum petiere, ad pacem Cruci affixi oſculo ratam habendam; diffudítque ſe in Populum lætitiæ ſenſus, qui eum & feſto æris campani tinnitu, & decantato Ambroſiano cantico abundè prodidit.

Etiam alterius Matronæ in paucis nobilis Filius amatissimus inimico ferro ceciderat. Venit in manus Justitiæ Ministrorum homicida, & Mulier, vindictæ studio ardens, ter accessit ipsamet Magistratum, institítque magnis precibus ut miser strangulatus à carnifice quadrifariam secaretur. Subinde cùm intellexisset, venturum eò P. Paulum, constituit è loco secedere; sed citò eam rerum suarum cura domum revocavit. Ubi autem necdum inde profectum P. Paulum, inaudiit; in villam secessit à loco Missionis aliquanto remotiorem. Rogârunt illam aliqui, salutis alienæ percupidi, vellet uni saltem P. Pauli Concioni operam dare; nec ante urgere eam destiterunt, quàm tandem impellerent, ut uni alicui, utut invita, adesset. At, sive fortuitò id accidit, sive mali Dæmonis, Animam illam eripi sibi metuentis, aliquo artificio, fæda repentè tempestas turbavit Concionem, & infelix mulier occasione usa abscessit nihilo, quàm venerat, melior, odio & animi perturbationi, cui ante, obnoxia. Perductà ad finem Concione quod acciderat P. Paulo narratum est; & ille, ut erat sudore perfusus, nudipes, nihil pluvias, quæ densæ admodum pergebant cadere, nihil vias lutulentas, moratus, rectà ad villam illam perrexit, & post iter difficillimum unius milliaris eò pervenit probè complutus, pessiméque à tempestate habitus. Adortus feminam consuetis artibus, minus nihilo profecit, donec in genua coram illâ procumbens, rogando ac flendo eam denique perpulit, ut forti generosóque animo veniam, quam rogabatur, concederet.

)o(

§. XXIV.

## §. XXV.

### *Contumacia aliorum aut expugnata, aut punita.*

EA autem fuit feminarum nonnullarum obstinata malitia, ut Sacræ Expeditionis tempore, ne ad pacem redintegrandam inducerentur, domi suæ se abderent, non januis tantùm, sed & fenestris obseratis, ut aliò profectæ viderentur. Industria tamen P. Pauli caritas modum invenit in ea receptacula penetrandi, & extinctis totâ sacræ eloquentiæ vi flammis, iráque, quibus æstuabant, agnis propè ipsis reddidit mansuetiores. Sæpius jussas tantùm genua humi ponere, aut manu capitibus earum impositâ, sic immutavit, tantum sinceræ virtutis afflavit, ut cùm sanguinem adhuc occisorum filiorum cadavera, nondum tertæ mandata, stillarent, cædium tamen Authores convivio adhiberent, illásque ipsas dexteras oscularenrur, quæ parricidale ferrum strinxerant. Prodigiosorum ejusmodi eventuum plures centenis numerari possent; quos tamen, ne fastidium lectori pariant, volentes prætermittimus. Et verò illud à multis animadversum est, non constare, quòd ulla pax ac concordia à P. Paulo stabilita, subinde iterum mutata fuerit discordiâ, quod profectò ingens opus est divinæ miserationis per hoc suum instrumentum operantis. Nec tamen affirmare est animus, nullos unquam inventos esse animos tam duros, támque contumaces, ut omnem in iis operam hortando, & sanguinem fundeudo optimus Pater perdiderit: sed his plerumque carò stetit sua obstinatio. Unus eorum aliquis, qui omnem ardentissimæ & operosissimæ caritatis industriam eluserar, ex P. Paulo abeunte hæc verba sibi occini audiit: Vade infelix, nunquam tibi

in omni deinceps vita bene erit Paulò post miserandus homo in amentiam incidit, & cùm aliquamdiu vagus hinc inde oberrâsset, prope sepem aliquam Parmensi in ditione mortuus repertus est. In Genuensis Reipublicæ ditione Juvenis nonnemo, qui & ipse nullis artibus induci potuit ad veniam hosti dandam, post dies non multos mari se commisit ad merces quasdam suas aliò transvehendas: vix autem tantisper à littore profecta navis eversa est, misérque haustus aquis, quin ulla ratione opem illi ferre liceret.

## §. XXVI.

## *Chartarum lusus sublatus.*

POst concordiam tam multiplicem in Sacris P. Pauli Expeditionibus stabilitam præcipua inter earundem effecta videtur numerandus sublatus lusus chartatum pictarum. Qui novit, quàm grave vitium sit hic chartarum lusus, apud plebejam & inopem turbam maximè, quàm multa exempla pessima, fraudes, furta, blasphemiæ, perjuria, rixæ, cædes hinc nascantur, is probè intelliget, quid tandem tali de opere sit sentiendum. Cùm ultima Sacræ Expeditionis die canistra his foliis plena igne abolerentur, repentè in aere terribile tonitru, & velut ruptæ nubis fragor auditus est: judicârunt plerique, voluisse malum Dæmonem eo strepitu testari dolorem irámque suam, quam ex consumptis igne tot flagitiorum instrumentis conceperat. Cùm aliquando Pater perorare desiisset, prodiit in medium coram ingenti Populi multitudine nescio quis, & cum fasciculo foliorum ejusmodi: execrata hæc, clamavit, folia induxerunt in domum meam dissidia, perdiderunt inopem prolem

prolem meam, atque utinam non etiam perdant æternùm infelicem animam meam: addebátque plura in eam rem verbis tam ex animo profectis, ut cuncti commoverentur. Alius quispiam luſor tam perditè ſuum hunc luſum adamaverat, ut quidquid uſpiam habebat, venderet ludóque perderet. Laceſſebat blaſphemiis DEUM quàm atrociſſimè, conjugem ſuam poſt jacturam in luſu verberibus multabat peſſimè, unde infelix cogebatur identidem ad divortium ab hoc hominis monſtro petendum. Nequaquam ceſſit primis P. Pauli, ſumma caritate conditis, monitis ſceleratus, ſed repoſuit: malle ſe etiam poſthac ſine re, ſine conjuge, ſine liberis vivere; & mori etiam ſine admiſſorum pœnitentia, quàm ludum relinquere. Miſeratus Pater hominis inſaniam, pluſculos per dies invictâ tolerantiâ acceſſit & oppugnavit ejus contumaciam, donec tandem is apertis oculis reſipuit; furorésque præteritos deteſtatus, tantorum cauſam malorum Folia tradidit, pollicitus nunquam porro ſe illa verſaturum manu; petitâque generatim gratiâ à cunctis, non reddendi, quæ iniquo lucro à filiis familias acquiſiviſſet, potuit & ipſe cum aliis divinorum Myſteriorum particeps fieri. Et verò licuit manifeſtè cognoſcere ſupremi Numinis erga hunc hominem providentiam: quinto enim decimo abinde die repentinâ febri proſtratus vivere deſiit, opportuno, ut credere juvat, Animæ ſuæ tempore. Iſtud porro ludendi vitium, tantorum malorum cauſa, adeò extirpatum eſt à P. Paulo, ut pluribus in ditionibus ij qui Nundinationem horum foliorum certo Principibus pretio annuatim perſoluto exercebant, ejus pòrro pendendi onere liberos ſe prætenderent. In publicis Ducatus Mutinenſis Nundinis palàm ferebatur, ſi lubuiſſet vel duplicis aurei pretio foliorum ejusmodi faſciculum emere, non fuiſſe inveniens-

veniendum qui venderet: & Anconæ scimus plurium spatio annorum, hortulum, in quo antehac lusores isti horas diésque fallebant, à nemine deinceps fuisse conductum.

## §. XXVII.

### *Profanæ cantilenæ sublatæ.*

NEc modicus ferventium harum Expeditionum fructus censendus est, sublatus usus cantionum profanarum, sacrarum verò in vicem introductus. Assecutus hanc rem est P. Paulus cantilenâ, quam ipsemet typis exprimi curavit, cùm nulla non arte & industriâ animas ad DEUM trahere studeret. Hujus exempla tam multa sparsa sunt, ut præter plurima, quæ Patres ipsi dono dederunt, Institorum aliquis asseruerit, solum se quindena eorum millia vendidisse. Atque hæc cantilena Rythmis expressa elegantissimis, etsi centum facilè strophas complecteretur, à cunctis ferè mandabatur memoriæ. Hanc concinebant feminæ magna alacritate cùm serico nendo, texendo, frumento purgando, armentis & gregibus ad pascua agendis, aliisque status sui functionibus occupabantur. Hanc eandem concinebant viri ætatis cujuslibet domi, per vias, agros, eâque ratione altè in animum admittebant solida vitæ Christianæ axiomata, è quibus tam multum pendet; quæ tamen absque hoc ne in mentem quidem illis venissent. Accedit his, introductus frequens & devotus usus Sacrorum Mysteriorum, multarúmque aliarum piarum exercitationum, quibus integræ Diœceses sanctimoniæ studiis fervebant, in longè alias commutatæ. Neque hæc rerum in melius mutatio torrentis instar fuit, qui parùm durat; aut ignis

ignis è paleis, qui confestim extinguitur: sed fuit fructus stabilis, maximè ubi Parochorum, quibus cara commendatáque ovium suarum salus esset, industriâ & operâ rectè instituta continuabantur. Variis omnino locis videre licuit, multis à sacra expeditione peracta annis, perdurâsse in populo menstruum Mysteriorum Pœnitentiæ & Eucharistiæ usum; quod pietatis genus, à P. Paulo inductum, tantæ utilitatis est, tam DEO carum gratúmque, ut non aliam is vulgo laborum & conatuum suorum mercedem à Populis sub abitum posceret. Feriati præ ceteris & Divorum honoribus sacri dies, cùm antea comessando & profanis choreis ducendis exigerentur, subinde toti Sacris supplicationibus, fundendísque ad DEUM precibus dabantur. Diebus Dominicis omissis ludis Populus conveniebat ad precum Vespertinarum cantum, sub crepusculum verò ad diverberationem publicam concurrebat. Circa hanc verò salutarem Pœnitentium exercitationem digna admiratione res fuit videre; quomodo DEO plerumque placeret, tenerâ ætate tanquam proferendæ suæ gloriæ instrumento præter morem uti: constat enim fide dignis narrationibus, in pluribus ditionibus collectum puerorum agmen perrexisse sat diu, non sacris tantùm & feriatis, sed operariis etiam diebus, prodire supplicatum, & in nudata sua terga flagris sævire non per ludum & jocum, ut ceteroquin ætas hæc solet, sed seriò admodum & tam non perfunctoriè, ut cruor abunde manaret; & tamen ipsis eorum parentibus modus non suppetebat eos abstinendi ab hac exercitatione, aut eorum votis ardentibus satisfaciendi, nisi idoneis de vestibus, & flagris iis prospiceretur; & sinerentur liberè agi instinctu illius magni Domini, qui eorum exemplo alios provocabat. Non possum etiam hîc non meminisse illius, quod

quod testatur is, de quo sæpius, P. Pinamontius: se cùm quadriennio à sacra Expeditione peracta rediret ad locum aliquem, ibíque pro Sacro Tribunali reos audiret, in aliquos incidisse, qui cùm antea frequenter fædis se noxis commaculâssent, inde à Missione ad illud usque tempus relapsi non sint: quod quidem singulari admodum solatio sibi fuisse Pater profitetur.

## §. XXVIII.

### *Expeditiones passim expetitæ.*

Cùm subinde rumor undique percrebuisset de tantis harum Expeditionum utilitatibus, mirum non est, Populos tanto numero confluxisse; & non contentos, adfuisse exercitationibus sacris in patria, in alia etiam remotiora loca excurrisse, ut iis iteratò adessent, útque similes passim desiderarentur & expeterentur. Inter alia oppidum Rocca Diœcesis Bertinorien sis in Romandiola post repetitos libellos supplices, quos per suos nuntios, ad id delectos, misit tam ad Eminentissimum Rossettum, quàm ad ipsum Patrem Paulum, cùm adverteret, ægrè se voti damnandum, suomet ductu impulsúque Pœnitentium supplicationem instituit, Eucharistico ferculo sua in Ecclesia proposito, non alio fine, nisi ut à DEO consequeretur favorem, ad quem conferendum homines tam difficiles experiebatur. Coactus idcirco fuit P. Segnerus abrumpere destinatum Missionum cursum, eóque se conferre, quò à DEO vocabatur. Jam processerat hiems, & oppidum illud Appennino vicinum nivibus & glacie horrebat: instituta tamen est sacra Expeditio frequens admodum, incredibili cum illius Populi solatio

latio & gaudio, qui absque fatigatione Patrem, quoquo ducebat, secutus, aëris incommoda & rigorem, caritatis suæ fervore superavit.

## §. XXIX.

### *Authoritas Missionibus divinitus conciliata.*

SEd ut rem dicam, necesse est fateri, hanc tantam Populorum frequentiam & concursum, hunc eorum affectum & desiderium Expeditionum, effectum præcipuum fuisse singularis beneficentiæ divinæ, cui placuit authoritatem mirisadmodum modis huic sacro Ministerio conciliare, quod animabus cælum implebat. Ne igitur gloriam DEO subtraham, aut debitam gratitudinem negem, censui mearum partium esse, ejus rei aliquot exempla hîc in medium adducere. Profiteor tamen, eventus omnes, quos narrare instituo, quique naturæ viribus superiores videri possunt, niti fide testium summæ authoritatis, qui interpositâ jurisiurandi religione sanctissimâ, juratis etiam & publicis Scribis eos dictârunt; & ego authentica horum instrumenta penes me habeo. R. D. Peregrinus de Oleo Rector Ecclesiæ Beatissimæ Matris Dolorosæ in Diœcesi Regiensi Galliæ Celticæ, narrat eventum qui sequitur. Pervenerat eò P. Segnerus mense Majo 1678. ad solitas exercitationes instituendas, & cùm longinquis è terris appulsa eò esset ingens multitudo, fatigata, & sitibunda, motus miseratione Rector Joanni Belpolito, suæ Parœciæ homini, provinciam commisit, è dolio suo, septem aut octo urnarum capaci, promendi vinum, & gratuitò propinandi cunctis qui bibere voluissent? Fecit cum fide Joannes, quod erat jussus,

& largè inde à principio expeditionis usque ad finem multis millibus mortalium dedit vini, quantumcunque volebant; & debebat sanè, ait memoratus Rector, dolium exhauriri etsi multo esset, quàm fuerat, capacius, non septem aut octo, sed viginti aut triginta urnarum: & tamen cùm finis Expeditioni impositus est, bene multum vini adhuc in dolio repertum est. Eventus hic (subdit idemmet Rector, qui juratus illum affirmavit) summæ omnibus fuit admirationi, maximè nominato ante Joanni, & ego præ ceteris attonitus nescio cui illum adscribam, nisi manifesto divinæ bonitatis & miserationis prodigio, cui propositum esset hac ratione mortales excitare ad sanctas has expeditiones frequentandas, è quibus videre erat identidem animorum in melius commutationes, emendationes morum, inimicitias sublatas, & innumera alia bona provenire. Quando Lusores, certi abrumpere pessimum morem, afferebant P. Segnero picta sua folia, ut illa sacrificaret DEO, in memoriam rectè decretorum consueverat dare illis numisma à Summo Pontifice sacratum, donatúmque plena noxarum pœnarúmque omnium condonatione pro mortis articulo; monebat tamen priùs diligenter, ne unquam ludum repeterent, aliàs certò jacturam facturos donati Numismatis. Nec vanæ eæ minæ fuere; multi siquidem testantur, se, ubi ludum repetierant, amisisse Numisma, quin scirent quomodo, etsi & cariissimum haberent, & solerter custodirent. Unus inter ceteros Sacerdos juratus asserit, se ut de non amittendo denuo Numismate securus esset, illud cingulo insuisse, quod supremas caligas ambit, & cùm semel duntaxat ad chartarum ludum rediisset, illud amisisse, quin reperire ampliùs posset, etsi cingulum integrum, & nullâ sui parte dissutum esset.

§. XXX.

## §. XXX.

### *Malus Dæmon Missiones variè turbat.*

DIci non potest, quot quámque variis modis malus Dæmon conatus sit sufflaminare Sacrarum Missionum cursum: nec dubium est, quin assecutus esset, quod spectabat, nisi dextera cuncta Potentis plerumque conatus ejus fregissent. In oppido Ozola in Langobardia cùm vix dicere ad Populum Pater cœpisset, avulsus est à muro, quo modo nescitur, lapis prægrandis, qui cùm modò huc, modò illuc in densissima Populi corona impulsus esset, tandem multa in frusta dissiliit. Exclamaverant cuncti ad hoc spectaculum, & fanaticorum instar præ horrore discursabant. Substitit ad hunc tumultum aliquantum P. Segnerus,&, id agit, inquiebat, malus Dæmon ut tantum boni præpediat: sed latrare potest, mordere non potest. Has ad voces, tanquam cælo lapsas, omnis momento sedata est perturbatio, & Pater cœptum sermonem prosecutus,quin vel tantillum mali quisquam pateretur. Ad Sanctam Victoriam, oppidum non procul urbe Firmo distans, statuerant Missionis tempore publico in foro sacram aliquam functionem obire; at cùm angustius quàm pro multitudine forum esset, aliquam multi tecta ædium, quæ forum cingebant, conscenderunt. Sic factum ut multi lapides ex alto deciderent, octo ferme pondo singuli; & cùm non ambigeretur, quin in tam confertopopulo qui aderat, stragem tot saxa illatura essent, nemo tamen unus fuit, qui vel tantillum læderetur. Erat Mantuana in ditione fossa lata orgyjas duodecim, profunda viginti, aquis pluviis excipiendis destinata. Cùm illac transeundum esset densæ multitudini ad solitas exercitati-

ones sacras, extemporali è trabibus & tabulis ponte fossa constrata est: sed impar tanto oneri pons fractus est, ex eóque in fossam præcipiti casu viginti quinque personæ delapsæ sunt, alia aliam superincidens. Ingens oborta mox inter omnes comploratio, cùm multos pessimè multatos, alios etiam mortuos extrahendos non dubitarent. Sed confestim planctus jubilo mutatus est, cùm omnes ac singuli è profundo extracti sunt sani atque incolumes, perinde acsi in molles plumas incidissent. Cùm in Diœcesi Placentina, oppido Trave, sacris suis laboribus P. Paulus distineretur, Flumen Trebia, quod non magno inde intervallo decurrit, aquis pluviis vehementer auctum est. Non absterruit ea res vicinos ejus regionis incolas, quò minùs ingenti numero ad sacras exercitationes confluerent. At cùm deinde sub vesperum domos suas repeterent, plurimum aquæ excreverant. Trajecerunt tamen complures navium operâ: at cùm jam in occasum sol festinaret, & nemo inter postremos remanere vellet, triceni simul naviculam ingressi sic illam pondere suo oppressérunt, ut cùm illa nec pondus vectorum, nec fluminis impetum ferre posset, non dubium naufragium minitaretur. Pessimum omnium in ea rerum perturbatione fuit, quòd cùm nautæ periculi magnitudinem advertissent, abjectis remis natatu evadere laborarent, navi undarum & fortunæ arbitrio permissâ; sic ut in eo tumultu ac trepidatione cunctorum infans aliquis sex septémve mensium, qui securus matris in sinu obdormierat, in undas excideret. Qui ad fluminis ripas stabant, cùm aliam ferre opem nullam possent, cursu contenderunt, ut infelicis successûs nuntium ad P. Paulum deferrent, qui domi à functionum sacrarum contentione tantisper respirabat. Is audito tanto periculo dolens ac consternatus in cubicu-

biculum se recipit, & periclitantium incolumitatem DEO quàm potest studiosissimè inter gemitus ac suspiria commendat, propterea quòd illos in discrimen causa tam sancta conjecisset. Dum ille sic orat, navis, aquarum impetu abrepta, in modico arenæ cumulo, qui in medio fluminis extabat, hæsit immobilis, & adductis è ripa jumentis variis cuncti incolumes ad alterum littus evasere. Sed præ ceteris infantis, quem diximus, sors admirationi fuit: hunc enim cùm per ducentos ferè passus fluminis vis deorsum rapuisset, vivus subinde integer & lætus emersit, sic matri suæ ingenti omnium gratulatione & plausu redditus.

## §. XXXI.

### *Cælum Sacris functionibus favet.*

HAud paulò crebriùs divini protectio Numinis in fœdis tempestatibus sedandis se exeruit, unde vix unquam tot annorum lapsu necesse fuit Sacras has functiones interrumpere. R. D. Josephus Blanchinus Sacerdos Placentinus, qui longo tempore individuus comes P. Paulo in sacris Expeditionibus ingenti proferendi divini honoris studio adhæsit, affirmat se hoc in genere observâsse eventus plurimos perquam prodigiosos, sic ut jam velut consueti admirationem nullam parere viderentur. Cùm ad urbis Carpi mœnia sub dio P. Paulus ad concionem diceret fœda admodum tempestas oborta est, & quotquot aderant (aderant autem plura millia) Auditores territi de receptu circumspiciebant. Addidit iis animos Pater, jussítque in loco subsistere. Sublatis dein oculis ductísque in crucis formam manibus bene precatus est aëri: perrexit autem latè circum ca-

dere nimbus densissimus, quamdiu Pater præsentes est allocutus, siccis omnino omnibus, qui dicenti operam dabant, videbantúrque sibi Noetica velut Arca in Diluvio, seu Cataclismo versari. Mirum hoc, sed mirius quòd solutâ concione, & digressis Auditoribus ipse ille, quo steterant, locus densissimâ cadente pluviâ fuerit undique inundatus.

Brixiensi in ditione jam Pœnitentium agmen suos in ordines tribuebatur, cùm obducto nubilus cælo, quin & aquis jam cadentibus, actum videbatur omnibus de Supplicatione tum ducenda. Sed P. Segnerus ad Templi januam progressus, cælúmque contemplatus, ardenti cum gemitu, hoc, dixit, Mali Dæmonis opus est; inchoetur tantùm Supplicatio, & cuncta prosperè succedent. Nec aliter ac dixerat, res cessit. Momento temporis desiit pluvia, donec perducta ad finem sacra functione, & populo domum reverso, cælum largissimum imbrem effudit. Aliàs dum ruri verba ad populum faceret, repentè atris è nubibus grando effusa est tam non solita, ut nuces magnitudine æquaret, & cùm Auditores non haberent quò se verterent, Patrem respectabant, tanquam opis aliquid ab ipso in tam præsenti discrimine poscentes. Ille nil consternationis vultu præferens, fixóque in DEUM animo ad fiduciam erigere eos cœpit: & rite precatus aëri turbinem cum grandine momento dissipavit. Fuit & illud amœnum prodigium, quod Fraxinorum Diœcesis Mutinensis oppidum spectavit, & in Relatione Mutinæ typis excusâ legitur. Augusto mense fervente Caniculæ sidere ultima post Pœnitentium Supplicationem Concio erat habenda, & quia regio omnis illic aperta est, non suppetebat locus aptior, quàm colliculus aliquis ferventissimi Solis radiis expositus, unde qui aderant jam præcedentibus functionibus fatigati, calores

passuri

passuri erant intolerandos. At ecce cùm vix consedissent audituri, videre fuit mirandam nubeculam imo ab horizonte ascendere, quæ cùm mediam se solem inter & audientes interposuisset, stationem eam tamdiu tenuit, quamdiu Pater dixit; perducta autem ad finem concione, confestim dissipata est, cunctis attonitis, & divinam admirantibus benignitatem, tam manifesto indicio ostendentem, quantum sibi ea clientum suorum obsequia probarentur. Neque illud minus divini favoris argumentum fuit, in conventibus tam frequentibus, & in tanta concurrentium è variis etiam gentibus, commixtione nullas unquam aut lites, aut rixas obortas esse, quibus aut cædes, aut vulnera saltem graviora sequerentur; quæ tamen mala è cœtibus tam numerosis fermè proveniunt, nec ullâ ferè industriâ evitari satis possunt.

## §. XXXII.

### *Ægros multos sanat P. Segnerus.*

UT tamen authoritatis plus, non tam laboribus, quàm ipsi tam fidi Ministri personæ conciliaret Numinis supremi clementia, dignata est illi variarum ægritudinum percurandarum virtutem conferre. Penes me est ingens catalogus morborum hac ratione sanatorum, sed plerisque hîc omissis, paucula tantùm juvat ejus rei exempla afferre. Illustrissimus Balthasar Xaverius Cataneus, filius Principis S. Nicandri, affirmat juratus se anno 1688. in litorali Reip. Genuensis tractu periculosissimâ anginâ laborâsse, quæ celeriter illum, à Medicis depositum, mortis faucibus admoverit. Rogatus P. Segnerus, qui commodùm tum

Apostо-

Apostolicis suis laboribus ibi occupabatur, ut ad ægrum inviseret, solitâ suâ humanitate eò se contulit, invenítque ægum tam malè affectum, ut cùm varia ex eo quæsiisset, responsi planè nihil referret: quare in preces positis humigenibus effusus collum illi S. Francisci Xaverij lipsanis signavit. Ita enim mos ejus ferebat, magni illius & prodigiosi Cælitis patrocinio ad obtinendas gratias uti, ut ea ratione potissimùm vel umbram inanis gloriolæ vitaret, quæ sanctissimis finibus, quos ubique spectabat, obreperet. Mox atque Pater ædibus illis digressus est, æger meliùs habere cœpit, & Medici primo sequentis diei mane reversi febrim penitus evanuisse deprehenderunt, colli tumorem ardentem subsedisse, ægrúmque magno suo cum stupore persanatum. In oppido Solarolo Juvenis quispiam lumen oculorum omne amiserat: perductus is est ad P. Segnerum, qui bene ipsi precaretur, signarétque. Invitus admodum Pater ad id genus obsequii descendebat: nihilominus ut miserum, qui procul aliunde eò accesserat, solaretur, Xaverianis illum lipsanis signavit, & abiit. Aliquot abinde diebus Juvenis recuperatâ videndi facultate lætus se stitit, ut gratias Medico suo ageret: sed quia Pater obverso tergo, perinde acsi hominem non vidisset, abibat, tanto ille vociferabatur altiùs, Patrémque sequebatur & verbis & gestibus gratum pro beneficio animum testatus. Re pervulgatâ subinde plurimi adventabant simili modo & signandi, & precibus DEO commendandi. Permolesta ea res P. Paulo fuit, multóque deinceps rariùs petentium votis gratificabatur, professus, non corporum, sed animorum curandorum gratiâ se advenisse. Marcus Antonius Montagutus, celebris urbis Parmensis Medicus, juratus testatur, quod nunc narratum imus. Cùm Medicum agerem urbis Finalis in Du-

catu

catu Mutinensi, sub tempus quo Sacræ suæ Expeditioni P. Paulus Segnerus Societatis JESU operam inibi dabat, caput meum obsederat nescio quæ malignitas, permolesta illa, & diuturna, ut quæ totius, & quod excedit, anni spatio me torserat, sic ut omne capitis tegumentum abiicerem. Contuli me eo rerum statu semel à prandio extra urbis mœnia ad locum, in quo sacræ illæ functiones fiebant, vestitus togâ laneâ, qualem gestant, qui Sacrorum Stigmatum Sodalitati Mutinæ adscripti sunt, & caput cucullo duarum ferè horarum spatio constanter tectus. Conventu soluto ad ædem urbis Parochialem accessi, ibique mihi Pater bene precatus caput Xaverianis lipsanis tetigit, atque eo momento videbar mihi percipere auram, quæ caput perflaret, & confestim liberum me sensi illa capitis gravedine, quæ nunquam etiam deinceps me infestavit. Sic ille in chirographo. D. Joannes Gandinus Medicus Quinzani ditionis Brixiensis juratus affirmat, evocatum se fuisse magna cum festinatione ad juvandum infantem, quem apoplectici mali vis magno impetu humi afflixerat: hunc cùm & sine venarum pulsu, & anhelitus reciprocatione inveniſſet, censuit malo remedium nullum supereſſe. Adfuit interim Pater Segnerus, qui infanti bene precatus, suo illum nomine alta voce compellavit: neque alio opus fuit, ut infans rediret ad se, oculos aperiret, & velut profundo è somno excitatus planè sanus esset. Joannes Baptista Serollierius Sacerdos Parmensis interpositâ Jurisiurandi fide asserit, Sorboli in Patria sua mordacem quemdam humorem in crus sibi defluxisse, qui mox in igneum erysipelas protuberans ardorem & cruciatum ingentem excitârit; unde ne passum quidem unicum intra cubiculi sui angustias promovere potuerit, utut geminis fulcris niteretur. Cùm ita miserè habe-

ret, roganteloci Archipresbytero Patruo suo, ad eum invisit P. Segnerus, Apostolicis suis laboribus ibi insudans: aspersit eum aquâ lustrali, excitavítque ad fiduciam in gloriosis S. Francisci Xaverii meritis, cujus sacris lipsanis, quæ nunquam non secum deferebat, eundem attigit. Sensit se æger confestim omni cruciatu liberum, & ab eo momento cœpit, perrexítque deinceps incedere ac ambulare non minùs expeditè ac promptè, quàm ante illam ægritudinem consueverat. Domina Julia Albana, in Oliveriam familiam nupta, Amita hodie regnantis Summi Pontificis, in schediasmate legitimè è se obsignato hunc in sensum loquitur. Ego infra scripta jurata affirmo, transeuntem Pisauro Episcopum Parmensem Nembrinum sequentem narrâsse eventum, in sua illa Diœcesi gestum, in qua P. Paulus Segnerus Societatis JESU sacris suis Expeditionibus erat defunctus cum fama communi illustris Sanctimoniæ. Vir inops cùm lignum quoddam findere pararet, securim tanto impegit impetu, ut hæc retro acta crus illi suum ita vulnerârit, dissecueritque, ut pars una membri læsi non nisi mediâ simplici pelle penderet ab altera. Delatus eò est P. Paulus, & miseratione infelicis illius motus, cui vulnus dolebat cruciabilissimè, partem illam utramque modo quo potuit meliore conjunxit, fasciâ alligavit, ac cruce signavit. Soluta subinde est fascia, & videor mihi certò meminisse, factum id consequenti mox die, certè paulò priùs, aut paulò post; & vulnerata tibia integra ac sana inventa est, osse iterum conjuncto, ac firmato, id quod cuncti magnum ac evidens prodigium censuerunt. Sic illa.

)o(

§. XXXIII.

## §. XXXIII.

### *Mira alia patrata.*

HÆc porro mira patrandi vis, quam P. Paulus ipse à DEO acceperat, etiam in reculas ad ipsum pertinentes se diffudit, atque ad mirandos effectus suffecit. In oppido Quinzano, paulò superiùs nominato, Mulier quæpiam, cui Bartholomæa Gandallia nomen, à pluribus mensibus sævos Ischiadis dolores patiebatur. Cui bonâ suâ sorte obtigit tela linea, quâ Pater usus erat ad sudorem, aut sanguinem, quem in se flagris advertendo elicuerat, abstergendum. Hoc telæ frusto involvit coxendicem priusquam cubitum se reciperet, & post unius, aut alterius noctis intervallum saniſſimam se deprehendit, quin unquam postea simili malo torqueretur. Maria Vincentia Scarillia Virgo DEO sacra in Familia S. Benedicti, Monasterii S. Onufrii in Urbe Asculo, multo tempore insolito malo cruciata fuerat; cùm pollex utriusque manus ita constrictus esset, ut neutrum extendere posset, & acerbissimo interim in utroque dolore cruciaretur. Usa principio est chirurgi operâ, qui inter remedia alia liquorem è succino eliquatum, quod præsentissimum ipse existimârat, adhibuit: sed nihil proficiebatur, & ibat potiùs malum in pejus, donec DEO placuit operâ P. Pauli, Asculi in suis sacris functionibus occupati, solatij aliquid illi afferre. Luce S. Bartholomæo Apostolo sacrâ Pater Monasterij Templum accessit ibi Sacris operaturus; & tum pia Virgo rogavit eam, cui Sacrarij cura incumbebat, ut aquam sibi, quâ Pater manus esset abluturus, servaret. Ex hac obtentâ tantillum ipsa bibit, rogavítque DEUM pe Servi hujus sui merita, ut dextræ ma-

nus digitum sanaret, quò eodem tam in rem suam, quàm Domûs publicam uti posset; quod ad sinistræ manus pollicem pertinebat, profitebatur, sibi ejus tanquam minùs necessarij salutem curæ non esse; quin rogabat DEUM, ut eum, qualis erat, relinqueret, ad aliquam tolerantiæ exercitationem, & pœnam pro suis noxis luendam. Hæc cùm precata esset, manus in aquam illam intinxit, & momento pollex manus dexteræ omni malo liber ac sanus extitit, sinistræ manus pollice, ut erat ante, inutili & dolorifero. Sic illa juramento adstruit, & idem cum ipsa tres ejusdem Cœnobij Virgines Sacræ, è præcipuis ac gravioribus, affirmant ut rem inter eas notissimam, addúntque, sex abinde annis dictam Virginem DEO sacram sic, ut narratum est, habere perrexisse. Jacobus Maffejus legitimâ & authenticâ formâ narrat eventum, secutum Mantuæ Carpetanorum, in uxore sua Barbara Zanetta, quinque ab obitu P. Pauli annis. Malè habere cœpit, inquit, Domina Barbara 14. Sept. anni 1699. & affligi febri tertianâ duplici continuâ, quæ & cruciabat vehementer, & dubiam ejus salutem reddebat, utpote jam ætate ad annum sexagesinum septimum provectæ. Ventum erat ad vigesimum mensis, atque adeò morbi septimum, cùm sensi me divinitus impelli ad opem aliquam quærendam sperandámque à venerabilis memoriæ P. Paulo Segneri, utendo eum in finem strophiolo lineo, quod servabam domi meæ ejus sanguine tinctum, in qua ipse divertit, dum operam solitis suis functionibus dedit in Suburbio urbis Mantuæ, à Cerasis dicto; quod porrectum illi fuerat, ut sanguinem abstergeret post Supplicationem Pœnitentium, in qua dirè in se animadverterat, indéque strophiolum sanguinolentum remanserat. Hoc igitur accepto ad lectum Dominæ Barbaræ accessi, sic eam allocu-

locutus. En, hoc est, ut nôsti, strophiolum, quo usus est Pater Segneri in Missione Ceraforum, quando domi nostræ divertit: commenda te DEO, & Sanctissimæ ejus Matri, ut intercessione dicti Patris, qui cum Sanctitatis fama mortuus est, restituatur tibi bona valetudo: subinde idem strophiolum, adhuc manu complexus, eáque in crucis formam ductâ, hæc porro verba subjunxi: *Per merita Passionis D. N. JESU Christi, & Beatissimæ Virginis Mariæ, per intercessionem P. Pauli Segneri, liberet te DEUS ab hac febri, sive infirmitate. Amen.* His dictis strophiolum conjugi tradidi. Mox eodem illam attingendo hortabar denuo, ut se DEO, & Sanctissimæ Matri commendaret, recitato Pater & Ave, fiduciam excitaret, confiderétque se P. Pauli precibus mala sua valetudine liberandam: id quod etiam consecuti sumus eâdem illâ jam indicatâ die, quæ erat morbi septima, quâ non solùm paroxismo, ut morbi periodus exigebat, tentata non est, sed Medicus superveniens febri penitus liberam reperit, vehementer admiratus; dixítque, eam mutationem in melius nimis citò secutam non videri stabilem futuram: sed cùm intellexisset, quo medio salus esset recuperata, strophiolum videre cupiit, visúmque jussit pretiosi instar lipsani servari. Sic ut rem verissimam affirmat D. Jacobus Maffejus, cui consentit testimonium D. Caroli Martinelli Medici, qui ægræ in eo morbo adfuit.

## §. XXXIV.

### *Alia prodigiis affinia narrantur.*

NEque hîc finis fuit admirandorum, quibus DEUS celebrem illum reddidit, qui tanto studio ad Ejus glo-

riam proferendam incumbebat. Narrat D. Abbas Vajanus, olim Canonicus Venerandæ Basilicæ Mariæ Majoris, cùm P. Paulus ad Populum diceret in foro Modillano Romandiolæ, supervenisse pluvias tam densas, ut quisque meliore quo poterat modo in tutiora se reciperet. Dicebat Pater in medio foro, insistens mensæ alicui, simplici suâ veste indutus, tectúsque clericali suo pileolo, & quantumvis pergeret cælum copiosum imbrem effundere, hærebat tamen ipse immotus, & quam cæperat concionem prosequebatur; eâ âuten finitâ nullâ abstergendæ pluviæ curâ rectà se contulit in D. Bernardi templum, quod erat in fronte fori. Ipse quem diximus Abbas, & cum eo D. Nicolaus Burgus, qui semper adstiterant, fixísque in Patrem oculis eum miserabantur, cùm crederent à capite ad calcem complutum, nullámque in eo corporis aut vestis partem siccam esse posse; cùm accessissent propiùs, observârunt, planè siccum esse, & ne unum quidem filum pluvio humore imbutum. Aspiciebat alter alterum attonitus, útque de rei veritate certiores essent, ipsi suis manibus tangere Patris vestem voluerunt, quam non minùs siccam deprehenderunt, quàm si ne minima quidem guttula depluisset. Sacra DEO Virgo jure jurando adstruit, bis se vultum Patris Pauli Sacris operantis lumine circumfusum aspexisse. Sacerdos etiam quispiam pariter juratus asseverat, se Patri in atriolo Collegij nostri collocutum, vultum ejus cælestibus radiis magnopere collustratum aspexisse. R. D. Joannes Plato Parochus in oppido Codogno, quod est in valle Taro Diæcesis Placentinæ & ipse testatur juramento interposito, mense Augusto anni 1673. profectum se ex valle Tari, Paria sua, cùm 250 facilè personis, confeciisse cum hoc supplici suo agmine ea nocte viginti quatuor milliaria Italica, ut mane præ-

sentes

sentes esse possent in Foronovo, ubi celebranda erat generalis, quam dicimus, Communio ad finem Sacræ expeditioni imponendum, quâ P. Paulus defungebatur, fuisséque ab eodem consueta humanitate exceptos. Subinde cùm suo in DEUM studio & religioni fecissent satìs, à prandio etiam adesse voluerunt Pœnitentium Supplicationi, & ultimam audire concionem. Confluxerat mortalium multitudo ingens, & ego (verba sunt memorati Sacerdotis) ut audirem faciliùs, locum occupavi dicenti valdè vicinum. Cùm vehementissima cœpisset esse oratio, cœpi videre faciem Patris splendidissimam, & lucis radios undique diffundentem: & cùm timerem, ne mea fortassis aliqua imaginatio mihi illuderet, iterum iterúmque obtutum magìs quàm ante in eum defixi; semper tamen eodem modo benedictus ille vultus summo splendore circumdatus apparuit, sic ut non possem non omne dubium de eo spectro ponere, quod me plurimum confirmavit in opinione, quam de viri sanctitate conceperam, quam etiam jam probè perspexeram in gemina expeditione, quâ oppidum istud excoluit, & omnem ejus ditionem, eo animorum fructu, ut majorem animo concipere non possit, quisquis præsens non interfuit. Sic ille. Fortunatior hoc Presbytero fuit P. Joannes Baptista Perfectus, Lector & Concionator Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula, qui P. Paulum orantem offendit, ut hîc referemus ipsis ejus verbis, quæ solenni suo & authentico juramento coram Episcopo Burgi S. Domnini rata habuit. Testatur autem hic, se non solùm novisse P. Paulum Segneri, non multo ante defunctum, è Societate JESU, virum sacris Missionibus destinatum, sed egisse etiam cum illo familiariter variis locis, & secutum in solitis ejus expeditionibus, præter plurima conspecta mira, tam in reducendis

cendis ad DEUM multis, imò plurimis, qui anteà hæserant in vitiis carnis, efficiendo ut agnoscerent infelicem conditionem suam, quâ vivebant æternis pœnis obnoxij, publicè veniam à DEO poscerent, de illis se confestim coram sacro judice accusarent, & in gratiam cum DEO redirent; quàm etiam in tollendis inimicitiis tot ac tantis: vidisse se etiam pluries eundem Patrem diverberantem se nudato tergo, non solùm ad multum usque sanguinem, sed etiam tam atrociter, ut carnis frustilla hinc inde avulsa spargerentur; tamen cùm sequenti mox die ad similem sui lanienam Pater reverteretur, indicium & cicatricem hesternæ lanienæ prorsus nullam superfuisse. Quin quod cetera admirabilitate superat, cùm idem testis ante annos viginti duos circiter versaretur in pago Mazzenzatico Diœcensis Regiensis, ubi suo Zelo frena P. Paulus laxabat, sub initium ætatis, cùm Pater Segneri se recepisset in conclave ædis Parochialis; inde autem non procul alio in cubili testis moraretur, audivisse bis P. Paulum dolenter, & non sine suspiriis conquerentem: unde cùm ad januæ rimas ardente cum cereolo in manu accessisset, vidisse in illo cubiculo, in quo ipso lumen ardebat, Patrem sursum à terra quatuor circiter palmorum altitudine sublatum, habitu orantis de genibus, brachiis & manibus in Crucis formam extensis; & cùm aliquamdiu hoc situ Patrem contemplatus esset, vocâsse D. Paulum Frettam, illius tunc Ecclesiæ Curionem, eique significâsse, quo in statu P. Paulum vidisset. Accessit proin dictus Curio ad easdem januæ rimas, & simul cum teste, adhibitis etiam, cùm senex esset, vitris ocularibus, vidit eundem Patrem in ecstasi eo, quo dictum est, modo à terra sublimem; duravitque hic P. Pauli situs toto, quo observatus ab utroque est, tempore, quod quadrante cum dimidio minus

nus esse non potuit. Excussit hoc spectaculum copiosissimas lacrymas D. Paulo Curioni, quas ipse etiam testis tenere non potuit. Subinde iterum ad rimas reversus P. Joann. Baptista, vidit P. Paulum sensim descendere, & genibus solo inniti, & cùm circumspectâsset in conclavi omnia, nullum uspiam scabellum, aut fulcrum aliud deprehendit, quo niti P. Paulus potuisset. Hucusque nominatus testis.

## §. XXXV.

### *P. Paulus absentia & arcana prænovit.*

INter favores, quos intimis amicis suis conferre DEI bonitas solet, est quòd & longè remota, & imis animorum penetralibus recondita iis aperiat. Nec hunc P. Paulo denegâsse videtur, cujus rei specimina multa adducere hîc ego possem: sed duo sufficient. Virgo quæpiam DEO sacra chirographo suo jurata adstruit, P. Paulum cùm ex morbo convalescceret, invisisse ad aliam ægram è Cœnobij Virginibus. Dum autem ægræ Pater loquebatur, genibus nixa ad pedes lectuli hærebat, quam diximus, Virgo testis, & ad Patrem versa hæc secum cogitando volvebat: Prô! quàm essem beata, si sors mihi obtingeret moriturienti, habere assistentem eo rerum articulo virum tam DEO carum! Hæc inter P. Paulus propiùs ad illam se admovens, vultu amabilissimo, voce submissâ quærit, quid nunc ipsa animo volvat? tum illa, cùm vereretur suum illi arcanum aperire, opto, inquit, mecum tacita, ut Rev. vestra quamprimum, & ex toto convalescat. Non ita est (reposuit Pater majori quàm ante affabilitate) sed fiet quod desideras, & ego tibi quacunque demum ratione morienti adero. Hæ-

sit ad hoc responsum attonita Virgo: neque enim unquam de rebus ejusmodi verba cum Patre fecerat, è quibus ille conjectare aliquid de arcana illa cogitatione potuisset, simúlque ingenti solatio mens ejus fuit delibuta, sic ut digresso Patre dulces in lacrymas solveretur. Dein tamen attentiùs secum cuncta perpendens, cogitabat P. Paulum ætate jam multum provectum esse, & paulò post inde abiturum sine ulla fortassis reditùs spe, aut verisimili conjecturâ. Cùm autem aliquot abinde diebus Pater denuo ad Sacras illas Virgines inviseret, testis nostra obviam illi progressa, bene habet, inquit, mi Pater, mihi igitur primæ ex Sororibus hac è vita in alteram migrandum erit? At Pater vultu severiore, tanquam suaviter eam corrigens: hoc ego non asséro: dico tantùm, me tibi quacunque demum ratione adstiturum: & videtur voluisse indicare, quòd mortuus licet, non omissurus esset illi è cælo adesse. Illustrissima Julia Albana, cujus jam ante meminimus, eventum sequentem narrat, quem jure jurando asserit, sibi narratum ab Illustrissimo Nembrino, Parmæ antehac Episcopo. Confessa est de peccatis apud P. Segneri mulier quæpiam, & cùm noxas aliquas recensuisset, dixit, aliarum se non meminisse. Sæpius illam hortatus est P. Paulus, ut diligentiùs animi latebras discuteret; illa tamen semper reposuit, aliarum se noxarum non meminisse. Tum ex ea quæsivit, quid ergo ad posticum ædium suarum humo, aut fimo infodisset? Ad hanc interrogationem cùm misera apertum videret factum suum aliquod, ceteroquin arcanissimum, quod sola ipsa nôsset, nec quisquam alius, nisi divinitus colluſtratus, rescire potuisset, rubore penitus suffusa confessa Patri est, infodisse se eo loco sobolem, conceptam gravissimo flagitio, nec unquam ad eam diem ausam scelus suum aperire etiam

Sacro

Sacro Judici, veritam ne ab auribus hujus transiret ad aures Principis, qui severissimè in ream animadverteret. Hæc audiens Pater feminam ad serium de admissis dolorem excitavit, & ad DEUM eam reduxit, pollicitus, si res posceret, impetraturum etiam à Principe flagitij impunitatem; id quod subinde re ipsa præstitit. Illustrissimus Episcopus Asculanus, Fadulfus familiâ, literis ad Patrem quendam nostrum Pœnitentiarium, ut dicimus, Lauretanum datis testatur *in verbo Veritatis*, P. Paulo Asculi Expeditioni suæ Apostolicæ vacante defunctum esse Romæ sanctæ memoriæ Pontificem Maximum Innocentium XI. mox ab hujus mortis nuntio Asculum delato, se cum Patre collocutum, cùm, ut solet, mentio incidisset de Successore in suprema illa Sede, variosà se nominatos è Patribus Purpuratis, quos communis existimatio defuncto successores destinabat. Non ita erit, respondit P. Paulus, sed Ottobonus, Ottobonus, fiet Pontifex; hic enim præclaram Sanctæ Sedi operam præstitit in multis ad eam spectantibus causis. Hunc, subjunxit, postquam tantisper suspensus hæserat, excipiet Pignatellus. Ista tum dicta; & nos utrique prædictioni subinde eventum respondisse vidimus. Ego tamen cujusque arbitrio liberum permitto, judicare, an sufficere P. Paulo potuerit sagacitas humana, ad ea prædicenda, quæ tam abstrusa & incerta sunt, ut eorum etiam notitiam effugiant, qui in negotiis ejusce generis sunt perspicacissimi: maximè cum Pater tanto jam tempore abesset Româ, in solas suas functiones sacras intentus, nec ulla ratione conscius eorum, quæ Romana in Curia gerebantur; etsi toties spes & conatus omnium eventus frustretur.

## §. XXXVI.

### *Loca, quæ Pater Paulus excoluit, enumerantur.*

ATque hæc erat ratio vivendi, quam ipsos viginti sex annos in Apostolicis suis Expeditionibus P. Paulus tenuit, quas semper post Resurgentis Christi solemnia ordiebatur, in iisque ad Novembris usque initium versabatur. Sic percurrit, & ad non vulgare virtutis ac Sanctimoniæ studium excitavit Diœceses Lucensem, Placentinam, Faventinam, Mutinensem, Parmensem, Mantuanam, Regiensem, Nonantulanam, Carpensem, Aretinam, Bononiensem, Pisciensem, Genuensem, Albenganam, Anconitanam, Sarzanensem. Atque harum Diœceseon aliquas totas lustravit sæpius, præter alias quas non totas obivit, è quarum numero sunt Brixiensis, Laudensis, Firmana, Senogalliensis, Savonensis, Bertinoriensis, Vintimiliensis. Ad urbes quod spectat, ipse non propendebat ad eas suo illo ritu excolendas, ratus rectiùs operam suam collocari in pagis & oppidis; cùm his plerumque minùs prospectum sit de necessariis procurandæ salutis subsidiis. Nihilominus induci se passus est ad sic excolendas, insigni semper cũ emolumento, Urbes Pratum, Anconam, Pistorium, Firmum, Ripatransonem, Asculum, Montem altum, Fanum, Senogalliam, Eugubium, Sarzanam, Albengam, & præ ceteris nobilissimam urbem Bononiam, cujus hoc loco par est speciatim meminisse ob singularem frequentiam, summam religionem, ardoremque, quem semper præ se tulerant omnis generis & conditionis inquilini, sic ut Urbs ista aliis ut illustre exemplum proponi possit; & qui veterum ejus urbis Annalium præ aliis notitiam habent, asserant, sacras has

urbis

urbis emendandæ functiones citra jactantiam iis comparari posse, quibus aliquot ante seculis eam magnus Italiæ Apostolus Bernardinus Senensis excoluit.

## §. XXXVII.

### *Hiemis tempore libros scribit P. Paulus.*

PErfecto hac ratione Expeditionum suarum gyro, reliquo anni spatio recipiebat se P. Paulus in Collegium aliquod Societatis, quod ferme erat Florentinum Quies quâ inibi se restaurabat, erat elucubratio pretiosorum illorum librorum, è quibus tantum utilitatis in omne mortalium genus manavit, quique pluribus locis iteratò prælo subjecti, & ex Italico in alia Europæ idiomata, Latinum præcipuè, translati sunt. Magno enimvero lucubrationes istæ Authori suo steterunt. Fassus ipse est, se crebrò admodum octo integras horas diei spatio ipsis impendisse: nec id difficulter sibi persuadebit, quisquis usu didicit, quid sibi poscat ratio hæc tam eleganter, tam doctè, & eruditè scribendi. Semel duntaxat visus est DEUS voluisse ipsi facilem admodum reddere scribendi laborem, modo non ordinario, dum elucubrandæ Concordiæ Quietis ac Laboris in Oratione se impendit. Miratus est ipse vehementer, tam facilè occurrere calamo aptissimas cogitationes. Cùm libros consulebat ad inveniendum aliquem locum, offerebat se confestim, quod quærebat: unde agnovit opem planè singularem, quâ DEUS volebat promovere opus ad multorum salutem profuturum. Excursionibus Apostolicis, & scribendi occupationi adjungebat Pater Conciones per vernum jejunium, quibus varias Italiæ & nobilissimas urbes,

quæ eum summis votis expetebant, ad virtutem erudiit, donec anno 1679. prælo suas illas Conciones subiiceret, ut hâc ratione toti simul orbi Christiano prodesset.

## §. XXXVIII.

### *Evocatur P. Paulus ad munus Concionatoris Pontificij.*

IN medio sanctissimarum harum occupationum cursu, quibus summo animi sui solatio vacabat, inexpectato nuncio Florentiâ Romam repentè avocatus est. Sanctissimus Pontifex Innocentius XII. cùm aliquas P. Pauli lucubrationes legisset, audirétque tam multa Apostolici ejus Zeli opera, summam illam æstimationem, quam de eo Populi conceperant, fructus præclaros, qui Expeditionibus Sacris colligebantur; subiit ejus animmum cogitatio, virum talem maximè idoneum fore ad munus summi momenti, Concionatoris Apostolici, qui ad Patres Purpuratos, & Præsules alios Pontificæ Aulæ diceret. Hoc suum desiderium cùm Præsidibus Societatis indicâsset, hi ad nutus summi Pastoris promptissimi, sine mora P. Paulum literis evocârunt ad acceptandam, quam sua Sanctitas impositura ipsi erat, provinciam. Dubium non est, quin multis gratissimus futurus fuisset ejusmodi nuntius, magnáque ab iis hilaritate acceptandus. P. Paulo tamen nostro fulmen visum est, quo animi ejus intima vulnerata sunt: quâ enim erat animi submissione, videbatur sibi ad tantæ dignationis & momenti functionem planè ineptus, & Caritati ejus minìs quàm acerbum erat, ac dolore plenum avelli à Sacrarum Excursionum exercitatione, ad quas toto animi sui pondere

ac pro-

ac propensione ferebatur. Multum lacrymarum coram DEO fudit, & precibus ferventissimis causam suam apud Præsides suos egit. Sed cùm hi jussa sua non revocarent, necesse habuit P. Paulus obtemperandi studio posthabere & sacrificare pugnantes cum hoc animi affectiones; etsi earum vis tanta esset, ut qui illi Romam Florentiâ comes ibat, testatus sit, P. Paulum nullum admisisse solatium, nec aliud ferè per iter egisse, quàm ut sortem suam plangeret & deploraret. Romam delatus sub initium verni Jejunij anni 1692. & confestim ad osculum pedum supremi Pastoris admissus in medium protulit, quidquid sua illi dictabat eloquentia ad provinciæ huic se subtrahendum. Sed quo se ipse purgabat, & ineptum profitebatur ampliùs, tanto in Summo Pontifice magis crescebat desiderium audiendi hominis, qui raris suis dotibus tam bellè conjungeret animi submissionem, & virtutes alias religioso homine dignas. Excepit ergò illum Sanctitas sua non usitatis benevolentiæ signis, animósque addidit ad aggrediendum alacriter munus, quo tantum emolumenti afferre posset Aulæ, è cujus recto statu tantopere pendet totius Christianæ Reipublicæ salus atque incolumitas. Quare P. Paulus coactus in Verbo Vicarij Christi laxare retia scripsit, & peroravit ultimas duas ejus Jejunij Conciones ad eos Auditores, quibus nobiliores parísque dignationis, quod citra Adulationis vitium dixerim, Orbis non habet. Perrexit dein dicere per omnem ejus anni Adventum, & totum, quod secutum est, vernum Jejunium, auditus semper communi cum laude & approbatione ob soliditatem doctrinæ, argumentorum prudentem delectum, rationum, quas afferebat, vim & efficaciam, totámque dicendi rationem fructuosam non minùs, quàm argutam & ingeniosam. Summus Pontifex præ ceteris novum

vum hunc Concionatorem tam avidè libentérque audiit, ut profite retur, se absque tœdio ad plures horas dicentem auditurum, & cùm aliquando catarrho præpeditus adesse & audite perorantem non posset, è Præsulibus sibi Assistentibus vocatum aliquem jussit attentè audire, ut subinde repetere audita posset; ut re ipsa est factum. Sed multo longiùs progressa est Pastoris Optimi erga P. Paulum voluntas & benevolentia; cùm sæpe illum admitteret & vocaret ad longa, & confidentiæ plena alloquia, gravia eidem & summi momenti negotia committeret; crebra delicatáque munera missitaret, tot aliis argumentis amorem, ac æstimationem demonstraret, ut Aula inde non absque fundamento videretur arguere, id agere suam Sanctitatem, ut virum ad eum dignationis gradum proveheret, quò sublimiorem Ecclesia, post supremum Caput, non habet.

## §. XXXIX.

### *Hoc in munere unam DEI gloriam præ oculis habet.*

TAm secundus rerum cursus abjectissimè de se sentientem Patrem nequaquaquam extulit, nec in transversum hæc à puppi aura eum vel tantillum egit; idem in tanta mutatione, qui fuerat, erat, procul remotus ab omni etiam umbra fastùs, reverens, & affabilis erga omnes, osor simulationis, nihilque præterea spectans, quàm Pontificis obsequium, & divinæ gloriæ incrementum. Hinc cùm vel illud, vel ista id poscere videbantur, non tantùm nunquam se abstinuit ab iis dicendis, agendisve, quæ, si politicæ prudentiæ momentis res librarentus, spes omnes crescendi, &

sua

sua promovendi commoda, abrumpere poterant; sed deliberatâ industriâ majore multo vigore & ardore ad illa promovenda incubuit: cùm satìs sciret, tanto se minùs carum gratúmque DEO futurum, quo magìs vel sibi, vel mortalium cuiquam placere studuisset. Mirum proin videri non debet, si quò feliciùs in Aula ejus ibant res, & majora sumebant incrementa, Pater, altè in animum demissis sanctis suis axiomatis, tanto ardentiùs ad sacras denuo Excursiones anhelaret; sic ut sæpius dicere auditus sit: Nihil majoris favoris aut beneficij conferri in se à Summo Pontifice posse, quàm si permitteretur suas illas ad Excursiones redire: O quàm, ajebat, celeriter Româ me subducerem! Hanc in rem ad amicum quemdam suum scripsit; Se ex quo remotus ab Excursionum ministerio fuit, nec unum diem lætum egisse. Quin fassus non paucis est, nullum abire diem, quo non miseriam hanc suam deploraret; nec deest qui asserat à se se visum, cùm amarissimè fleret, & noxis suis adscriberet, quæ illum felici illa sorte sua indignum reddidissent.

## §. XXXX.

### *Theologus Pontificius eligitur.*

MOrtuus interim est Romæ 15. Decemb. anni illius 1692. P. Nicòlaus Maria Pallavicinus Societatis JESU Sacræ Pœnitentiariæ, quamvocant, Theologus, & Episcoporum Examinator. Quamprimum Summo Pontifici mors ista innotuit, nullo alio impellente utramque hanc provinciam in P. Paulum transtulit; qui ad eum quidem confestim accessit gratias pro honore in se collato

acturus: eâdem tamen occasione rogavit demissè, placeret Suæ Sanctitati, ad utrumque hoc munus deligere viros digniores: se enim neque Theologum esse, cujus opera utilis esset posset S. Pœnitentiariæ; neque examinandis Episcopis idoneum, ut qui surdaster augusto illi confessui Suæ Sanctitatis, & tot PP. Purpuratorum ac Præsulum, qui adesse examini solent, non possit non gravis ac molestus accidere. Placuit Pontifici sincera Patris animi demissio, sed cùm probè nosset, quàm in omni Theologiæ parte ille non peregrinus, sed egregiè versatus esset, licèt nunquam illam Facultatem prælegisset in Scholis, voluit omnino hanc Theologi provinciam ab illo acceptari; ad alteram Examinatoris quod spectabat, probatæ sunt ipsi, quas Pater attulerat, rationes, ab eóque munere immunem esse passus est. Usus hac occasione Pater non dubitavit denuo rogare suam Sanctitatem, ut post elapsum proximum Jejunium vernum etiam Concionum coram S. Sanctitate habendarum onere liberum ipsum esse pateretur, propterea quòd & ætatis provectæ debilitate, & memoriæ sensim fatiscentis vitio par jam tanto muneri non esset. Ægrè induci potuit supremus Pastor ad privandum se illa oblectatione, quam ex auditis Patris Concionibus hauriebat: miseratus tamen Senis optimi conditionem, precibus ejus assensus est: petiitque, ut Pater ipse proponeret, quem præ ceteris tantæ provinciæ existimaret maximè idoneum: & verò illum ipsum, quem Pater nominârat, Apostolici Palatij Concionatorem dixit; sicut non alium examinandis Episcopis præposuit, quàm quem P. Paulus nominârat. Sic alligatus denuo Romanæ stationi P. Paulus totum se novo Theologi muneri impendit, paratus tamen simul ad alia omnia, in quibus Sanctitati Suæ placuisset ejus operâ uti; & quamvis modò in his, modò in illis S. Sanctita-

Sanctitas eum occuparet, nulla tamen illi vel familiarior vel gratior occupatio erat, quàm corpus ſuum variè & crudeliter vexare; cum DEO verò ſuo per Orationem perpetuò conjungi, de quibus multa ſubinde nobis dicenda erunt.

## §. XXXXI.

### *Tentatur Patris Valetudo.*

VErùm tam animi non contenti perpetua ſecum lucta, quam nova hæc vivendi ratio ſine illa agitatione corporis, cui tot annorum ſpatio in ſuis Excurſionibus aſſueverat, cùm durarent diutius, ſenſim morbum ipſi gravem, vitæ manifeſtum periculum, & mortem denique ipſam attulerunt. Menſe igitur Julio anni 1694. adortus ipſum primò eſt languor ingens ſtomachi, cui acceſſit profluvium & dolor urinæ, oris amarities, ſitis moleſta, faſtidium ac nauſea cibi; quæ ſolertem Superiorum caritatem ad opportuna levandis tot malis remedia excitârunt. Sed cùm Medentium ars parùm admodum proficeret, Medicus ipſe cenſuit, tentandum, an auræ mutatio plus ipſi conferret, viſúmque eſt, agri Tiburtini auram ceteris omnibus ipſi fore ſalubriorem; quò & Pontifice Maximo, & Eminentiſſimo Pœnitentiariæ Præſide conſciis profectus eſt ſub medium Septembrem, ibíque noſtro in Collegio ad exeuntem usque Octobrem vixit. Romam cùm rediiſſet, notatus in eo eſt corporis tumor, color flavus, anhelitum reciprocandi difficultas, & ingens virium defectus; quâ causâ quidquid uſpiam potuit remediorum diligentiùs adhibitum, etſi res ipſa monſtraret vix ullam affulgere ſpem, mali, jam ima

intra viscera, ipsúmque sanguinem recepti, vim superandi. Quare cùm ij, qui præerant, præ oculis haberent manifestum discrimen amittendi quamprimum viri tam insignis, unius Medici ordinarij judicio non contenti, id egerunt, ut plures eorum qui medendi arte præ ceteris Romæ celebres erant, in commune de viri salute deliberarent. P. Paulus, ut semper nullâ suæ valetudinis curâ tangebatur, & quanto majorem ejus rationem habendam alij consebant, tanto minoris ipse sese faciebat, restitit aliquamdiu, ne suâ causâ ad hanc non consuetam cum aliis diligentiam veniretur. Oportuit tamen illum cedere denique imperio Præsidum, & cùm jamiam immineret anni tempestas rigidior, decreverunt Medici, ut Albani primum dies aliquot moraretur, inde verò Neptunum proficiscereturad mitis & nativæ illius Auræ salubritate gaudendum. Impetratâ iterum eorum, quorum antea, veniâ prima ipsi de Missæ Sacrificio cura fuit: confugit idcirco ad Eminentissimum Albanum, tum Summo Pontifici à Brevibus, quæ dicunt, rogavítque ut infirmæ suæ valetudinis respectu dignaretur impetrare à Summo Pontifice gratiam Sacrum per se, aut alium, in ædium privatarum sacrario faciendi: preces tamen has suas multis modis limitavit, magna animi submissione disertè professus, nolle se precibus suis ullatenus locum esse, si illæ Suæ Eminentiæ audaciores, minúsque convenientes viderentur; malle se potiùs solatio illo quotidiani Sacrificij, etsi à se ceteroquin ardentissimè suspirato, carere. Summus Pontifex, qui magnâ semper humanitate anxium se de Patris valetudine præ se tuletat, & ad extremum usque illustria suæ erga illum benevolentiæ & gratiæ exhibuetat argumenta, omnibus ejus postulatis prolixè annuit, & quidem ratione prorsus singulari, nullis super ea re aliis tabulis expeditis.

peditis. Quin cùm ipsi innotuisset P. Paulum ante suum iter cupere ad alloquium admitti, & pedibus sacratis oscu-lum figere, suam ipsi rhedulam obtulit, ut minore cum in-commodo veniret; uti & lecticam, quâ Albanum vehe-retur.

## §. XXXXII.

### *Postremus morbus.*

DUm ad profectionem istam se P. Paulus accingit, aliam ipsi DEUS longinquiorem beatam in patriam impe-ravit. Septimo Idus Decemb. tantis mali vis acces-sionibus repentè aucta est, ut miser infirmus, vomitus, de-liquia & præ ceteris quasdam pectoris convulsiones pati in-ciperet, quæ illum mala diem totum acerrimè excruciâ-runt; sic ut existimen postremam hanc fuisse afflictionem, quâ DEUS animam sibi tam caram voluerit perpurgare. Patres ejus Domus incolæ, cùm in momenta deficientem conspexissent, è re futurum crediderunt, si de imminente migratione ipsum commonerent. Quomodo autem mo-nendus esset, jam ipse indeà principio morbi sui conceptis verbis in quodam Valetudinarij libello, ad ejus Præfectum admonendum expresserat: & erant hæc: Formula, quâ mor-tem instantem nuntiabis Patri N. N. Age Pater, bono esto animo; adest tandem hora, quâ porro DEUM non of-fendes. Ita Pater Paulus, qui ob finem tam nobilem de-siderabat mortem, & in unâ Concionum per Vernum Jeju-nium id egit unicè, ut doceret rationem, quâ fatalem hanc sententiam à benigno Numine excipere oporteat. Mox i-gitur ac nuntium hunc accepit, sublatis magnâ mœstatis significatione in cælum oculis, nihil turbatus,

hilari vultu illa Christi Servatoris verba pronuntiavit: *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum?* Manè sequentis diei, quæ Deiparæ sine Labe conceptæ sacra erat, Eucharistica dape in ejusdem Virginis honorem refici voluit, séque supremi Numinis voluntati totum in victimam obtulit. Post meridiem subinde multum aucta est dolorum acerbitas, & cùm ipse viribus vehementer se destitui animadverteret, decedentium Viatico muniri petiit; sed quia paucis ante horis cælesti eâ escâ pastus fuerat, non est visum huic ejus voto deferre. Unde divina hac animi refocillatione destitutus, conatus est defectum religiosissimis animi sensis & affectibus supplere, quos etsi more suo nullis foris indiciis prodere studeret, non ita tamen tenere se potuit, quin linguæ ministerio erumperent; fuitque inter cetera pia in cælum jacula, ore emissa, illud præcipuè: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo:* & ingeminavit sæpius: *semper, semper, semper*, tanto sensu, ut præsentibus omnibus teneras lacrymas exciret. Nec minore animi contentione illud aliud effari auditus est: *Abyssus abyssum invocat: abyssus miseriæ invocat abyssum misericordiæ.* Quæ verba à mellifluo Doctore didicerat; qui sic priora illa Psalmi ad mores traduxit.

## §. XXXXIII.

### *Pia Patris mors.*

INterim P. Felix Barnabeus, P. Pauli Socius, festinus excurrit ad Summum Pontificem, ut quo loco Patris res essent, nuntiaret. Admisit illum confestim Pontifex, nec infra dignationem suam duxit, minutim de viri statu omnia

mnia perquirere, & cùm intellexiſſet, ſpei planè nihil ſupereſſe: ô quàm, ajebat, res iſta nobis diſplicet! quàm nobis diſplicet! Erat vir Sanctus, erat Angelus, erat Angelus, erat Angelus: imperavitque Patri, ut ſuo illi nomine Pontificiam, quam vocamus, Benedictionem afferret; quam ſenſu ſingulari ac reverentiâ moribundus excepit. Eminentiſſimus Albanus, qui hodie Clementis XI. nomine ſupremas Chriſti in terris vices gerit, cùm inde à puero P. Paulum multùm adamâſſet, audito quod is à morte parum abeſſet, extremum illi vale dicere, & ejus ſe precibus commendare voluit. Mox atque Eminentiſſimum Principem moribundus conſpexit, mirâ libertate, perinde ac ſi animi causâ aliquò abiturus eſſet, de tranſitu ſuo loquens: Eminentiſſime Domine, dixit; paucis abhinc diebus inter nos egimus de profectione Albanum & Neptunum: nunc aliò mihi, & in alium planè mundum ac vitam, migrandum eſt. Quid mihi imperat Sua Eminentia? quid obſequij altera in vita præſtare ipſi poſſum? Magno exemplo Eminentiſſimo Principi fuit, videre Patrem tantâ animi tranquillitate appropinquare ad illum tranſitum, ad quem etiam Sanctiſſimi quique cohorreſcunt; & pro ſua in DEUM pietate aliud ab ipſo non petiit, quàm ut & noxarum ſuarum veniam à DEO, & opem impetraret ad reſpondendum tantis excelſi ſui ſtatus obligationibus. Nonâ dein Decembris cùm viribus jam multo magis exhauſtus, & quodam velut letha go oppreſſus videretur, extremùm religiosè inunctus eſt. Paulò poſt cùm jam ſomnus ille diſcuſſus eſſet, quæſierunt ex eo, placerétne divino ad æternitatem Viatico reſtaurari? P. Paulus autem, qui aliud nihil ardentiùs anhelabat, tremulâ, ſed imo corde profectâ, voce, *DEUM*, ajebat, *DEUM, DEUM mihi date*: atque hoc recepto, alto quodam

dam in silentio se detinuit, ut inter Servatoris sui brachia cæli delicias anticipatò delibaret. Toto illo die cubiculum refertum erat viris religiosis, nostris, externis, Nobilibus, Præsulibus, qui quo sanctiùs ac suaviùs afficiebantur illis animi sensis religiosissimis, illâ vultus serenitate, hoc dolebant acerbiùs, quod morientem viderent virum, dignum immortalitate. Ille igitur jam planè elinguis, post aliquot horarum placidum agonem sub noctis confinia animum tranquillè in manus DEI Conditoris sui tradidit, &, ut sperare juvat, transiit ad lucendum instar Stellæ primi ordinis
Dan. 12. ac magnitudinis, juxta illud Vatis Danielis Oraculum; *Qui ad justitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi Stellæ in perpetuas æternitates.* Mortuus est beatâ hac morte 9. Decemb. intra octiduum Deiparæ Conceptæ sacrum, & exeunte jam altero, quod S. Francisco Xaverio colendo dicatum est; unde hanc ipsi impetrâsse, post cetera, visi sunt & Mater Sanctissima, & Magnus Indiarum Apostolus, quem ut singularem prorsus Protectorem, Magistrum, & Apostolicæ vitæ Ideam semper fuerat veneratus. Mortuus est in nostra Tironum Domo, cùm annos vivendo explêsset septuaginta, quorum quinquaginta sex in Societate, reliquos quatuordecim in seculo transegit. Staturâ fuit justâ, citra maciem, toto habitu gravi, humorum temperie sanguinea, viribus robustis, genio suavi atque affabili, indole excitata ac generosa, ingenio sublimi, judicio profundo, sic ut natura illum ad res magnas effinxisse videretur. Et verò DEUS instrumento hoc ad res minimè vulgares pro gloria sua gerendas usus est, ut ex parte jam est indicatum. Post mortem incredibile dictu est, quàm pulchra & hilaris manserit ejus facies, non obscuro gloriæ, quâ in cælo fruebatur, argumento. Qui circumstabant, videbantur non posse inde avelli;

avelli; neque enim horroris quidquam, ut alia cadavera solent, excitabat, sed animi sensus suaviter religiosos, & ad DEI obsequium promptos. Die proxima sub vesperum palàm in Templo, ad parentandum defuncto, expositum est cadaver, & convenerunt eò multi viri illustres, & aliquot Præsules sacri, præter magnum numerum hominum de nostra Societate, quos inter adesse voluit ipse totius Societatis Præpositus supremus Thyrsus Gonzalez cum suis Patribus Assistentibus; qui idem Præpositus pridie religioso paternæ caritatis exemplo ejus animam sub migrationem DEO commendârat, nec omiserat præclara tam egregij subditi merita dignis laudibus efferre.

## §. XXXXIV.

### *Quæ mortem & sepulturam consecuta sint?*

VIx consueto ritu parentatum defuncto erat, cùm mox cadaver in Sacrarium reportatum est, ut Pictoribus, qui expectabant, commodus daretur locus vultùs lineamenta proximè ad verum exprimendi. Denique postquam eorum etiam piis votis factum est satìs, qui manibus oscula figere cupiebant, cadaver loco, quo Tirones nostri humari solent, decenter compositum est: quod etsi eâ tunc causâ factum est, quòd impeditus esset locus, quo ceteroquin Sacerdotum cadavera conduntur, non tamen absque divinî Numinis providâ benignitate id factum interpretor, quæ id solatij beatæ illi animæ indulgere voluit, ut corporis sui exuvias in medio angelicorum primi fervoris, lectæque innocentiæ Juvenum conditas cerneret. Quemadmodum autem sol non aliàs plures spectatores habet, quàm cùm lu-

cis deliquium patitur, sic etiam meliùs à morte, quàm dum in vivis ageret, cognosci adque in veneratione esse cœpit P. Paulus noster. Plurimi, etiam præcipuæ dignationis, aliquid recularum ejus studiosè poscebant; nec desunt qui impetratas haud secus ac Sancti alicujus lipsana, argenteis capsis clausas, servent. Undique advolabant literæ, quæ rerum ab eo gestarum distinctiorem notitiam flagitabant, & brevem illam narrationem, quam Pater Pinamontius compilavit, totâ passim Europâ spargere oportuit. Cujusvis gradus ac conditionis homines profitebantur, se privatis suis in precibus ejus opem implorare, & sunt qui varia per eum beneficia obtenta referant. Variis in locis, ubi olim ad Populum dixerat, solenni ritu illi parentatum est. Effigies ejus æri inciſa est, & exempla inde magno numero expressa. Magnus Hetruriæ Dux cùm inter ceteros nuntium, sibi mœstissimum, mortis ejus accepisset, mox suis Romæ Ministris imperavit, ut viri effigiem, quàm accuratissimè posset, & ad virum expressam Florentiam mitterent; quam subinde loco intimi sui conclavis nobilissimo suspendit, ut, quemadmodum scripsit ipsemet, semper ante oculos haberet, quem pectori insculptum circumferebat: quin ut meliorem viri effigiem præcipuorum, quos à consiliis & arcanis habet, virorum animis altiùs imprimeret, in omnium eorum cœtu legi jussit vitæ brevem synopsin, quæ primò scripta fuit.

)o(

§. XXXXV.

## §. XXXXV.

### *P. Pauli in DEUM Amor.*

VT autem nunc cetera omnia omittam, quæ de gestis hujus insignis Servi DEI adjungere possem, congeram hîc tantùm aliqua de præclaris ejus virtutibus, quas hucusque non attigi. Offert se mihi ante alias omnes, tanquam ceterarum Regina, ardens in DEUM Caritas. Virtutis hujus pretium optimè noverat P. Paulus, & in una aliqua earum schedarum, quarum alias meminimus, non minùs tenero animi sensu, quàm ingenij perspicaciâ, ita scripsit. *Duplex est ratio perpurgandi aliquod solum jam planè silvescens, & recipiendæ sementi ineptum: una est, arreptâ securi singulos arborum truncos excindere. Altera est, ignem admovere: atque hæc secunda ratio non solùm sine comparatione minore labore constat, sed est etiam magis fructuosa; cùm solum sic adustum multo fiat fertilius, juxta illud Poëtæ: Sæpe etiam steriles incendere profuit agros. Non dispari ratione res Animæ nostræ se habent. Progredi possumus à virtute una ad alteram, singula extirpando vitia. Sed hic & longi temporis, & multæ difficultatis labor est, & fructûs minoris: brevior ac fructuosior est: ut in animo succendatur luculentus divini amoris ignis: hic enim momento efficit, quod tam longo & arduo conatu esset perficiendum: & præterea animum non expurgat modò, sed mirè etiam fœcundum reddit. Sensi proin in me desiderium ingens, ut DEUS mittat ignem istum de cælo in cor meum; cùm nesciam quomodo hîc eundem accendere possim.* Aliàs inter sua, quibus orando illustrabatur, lumina DEUM ardore verè Seraphico obsecrat, ut sui amorem largiri dignetur; aítque. *Offendi te, mi DEUS, verum est; con-*

*tempsi te, & tanto tempore rationem tui nullam habui; recessi à te; vindica quæso has injurias: en cor meum, vulnera illud, & plagis omni ex parte concide; sed vulnera sagittis divini amoris tui, sic ut vel ingratiis suis velit tibi omne bonum, quod tibi debetur. Aliter, mi Amor, vindictam sumere de me non potes; nec enim nunc judicij, sed miserationis tempus est.* Et paulò post. *Tu es totus amabilis, totus dulcis, totus suavis: & ego te tamen ita tractavi, acsi crudelior homo te in mundo non esset. Veni igitur, & vindica injuriam: fac ut cor meum amore gravissimè saucium sibi ipsi irascatur, & necesse habeat fateri, exclamando tam ardoris, quàm dulcedinis vi; se nimium quantum aberravisse.*

## §. XXXXVI.

### *Quàm purus hic ejus amor?*

DEUM amare, DEO sincerè servire, erat id omne, quod ipse æstimabat, & quærebat: & hoc ipse declaravit in una ad aliquem è Nostris epistola. *Pater mi care*, inquit, *profectò non est quidquam aliud, quàm servire DEO, ardere sancto ejus amore, & facere sanctissimam ejus voluntatem in omni re, æquali cum voluptate: quidquid aliud est, mendacium est.* Nil illi perinde displicebat, quàm quòd videretur sibi non amare DEUM, nec facere ejus causâ tantum, quantum se debere existimabat. Idcirco dum intimo cuidam suo scribit: *Fateor tibi*, ait, *ingenuè, hoc solum acerbum & amarum mihi est, quod hucusque non potuerim DEO exhibere minimum indicium veri amoris: neque enim scio, amémne illum propter id quod est, an propter id quod nobis donat.* Et tamen constat nobis, Amorem P. Segneri

tam

tam fuisse purum ac defæcatum ab omni proprij commodi studio, ut affirmare non dubitaret, se nec quidem animam suam amare, quia sua, sed solùm quia DEI erat: nec deest qui testetur à se auditum cùm diceret; quodsi unquam in animum induxisset, sibi æternùm in damnatorum rogo ardendum, non idcirco destiturum facere pro DEI gloria, quidquid uspiam posset.

## §. XXXXVII.

### *Desiderium jungendi se DEO amato.*

HAbet id amor DEI, si magnus ac germanus est, ut ex eo nascatur ardens desiderium penitus & intimè se conjungendi cum amato, & quamprimum abeundi ad videndum illum revelata facie: vnde illa tam familiaria, & quotidiana Sanctis verba ac clamores: *Cupio dissolvi, & esse cum Christo.* Ad felicem hanc dissolutionem P. Paulus mirabili quadam & sanctâ intolerantiâ anhelabat, quam expressit aliquando in suis illis adversariis, in quæ orationis suæ fructus referebat, ubi dum inflammato suo cordi liberas habenas laxat, nos eâdem operâ insigne arcanum docet, & sic loquitur. *Festinemus ergo ingredi in illam requiem*: Sic, ô mi DEUS, loqui me docet ardentissimus ille tuus Apostolus, & ita me excitat, ut festinem ingredi in beatam illam requiem, quam pro miseratione tua in cælo mihi paratam habes, si miserandus ego humuncio malis meis meritis me nimis quàm indignum non reddidero. Sed quid agendum mihi est, ut festinare dicar ad obtinendum bonum tam ingens? An fortassis meis ego manibus aperire possum fores

„ fores hujus carceris? an ego rumpere compedes? an ex-
„ pedire me è laqueis, quibus adstrictus teneor? Ah Do-
„ mine mi, tu probè nôsti, hoc nobis concessum non es-
„ se; cùm oportet nos omnes expectare illam horam,
„ quâ tibi placebit nos evocare; & quamvis rogare te pos-
„ simus ut citò adveniat, nos tamen illam accelerare non
„ possumus. Hinc in animum induco, amatissime DEUS,
„ istud festinare aliud non esse, quàm multa valdè opera-
„ ri bona, & sic facere satis quantum possumus pro noxis,
„ quas admisimus: an enim dubium est, quin sic tanto
„ brevior futura sint in flammis lustricis mora, atque adeò
„ quòd tanto celeriùs ingressuri simus ad beatam illam
„ nostram requiem? Ita sanè, JESU mi, ah placeat tibi,
„ dare mihi gratiam, ut hac ratione festinem ad viden-
„ dum quamprimum anabilissimum vultum tuum. Hæc
„ erit requies mea, hoc gaudium, hæc suspirata felicitas
„ mea. Quid autem, quid fiet me infelice, si mihi etiam
„ post mortalem hanc vitam tam longa annorum periodo
„ expectandum erit, donec pertingam ad videndum te?
„ Ah! non ita fit, ô bonum meum! fac potiùs ut ego pœ-
„ narum hujus vitæ acerbitate & vehementiâ compensem
„ diuturnitatem temporis, quo aliàs mora trahenda esset
„ in illo carcere. Dummodo citò finiantur, veniant su-
„ per me pœnæ illæ omnes acervatæ eodem tempore; pœ-
„ na enim pœnarum maxima futura esset prolongatio. Sic
ille. Nec omittere hîc possum alia ejus similia sensa, quæ fortassis digna sunt locum habere in Soliloqniis magni ali-
„ cujus Augustini. Care mi JESU! (ait alicubi P. Paulus)
„ tu in cælo habitas, & de cælo dignatus es desponsare ti-
„ bi miseram hanc animam meam in terra commoran-
„ tem. Pignus suavissimæ hujus desponsationis, ô bonum

meum,

meum, mihi est Sacri Lavacri, & Vocationis Religiosæ " beneficium. Ex omnibus autem, è quibus aliquid de " te rescire aveo, talia ac tanta audio, ut illa animo concipere nemo possit, qui re ipsâ non viderit. Dicunt mihi, " quòd si jungerentur simul centum Soles, non æquarent " suâ pulchritudine decorem vultus tui. Teresia illa, " quæ de te aliud non vidit, quàm Manus tuas, affirmat " mihi, se visâ illâ pulchritudine attonitam & velut extra " se raptam plures per dies incessisse. Quibus gratia obtigit, audiendi te loquentem, concordibus vocibus affirmant, voculam unam tuam satis esse ad cor quodlibet " intimè tibi devinciendum; Asserunt deinde, Regiam te " habere, cui comparatæ, quascunque aliquando Mundus " vidit, Magnificentissimorum Principum Regiæ, mapalia videantur; & quòd in plateis ejus flores ut lutum pedibus calcentur. Addunt Patrem tibi esse tam magnum, " ut nihil non possit: Matrem verò tehabere ejusmodi, cujus obtutum unicum nemo non perpetuâ deinceps cæcitate compararet. Aulam te habere Ministrorum, Epheborum, Magnatum, quos numerare nemo possit, & quorum quilibet magnitudine & excellentiâ superet Monarchas hujus Mundi maximos: Verbo, tam magna, tam " præclara mihi dicunt de tua pulchritudine, de tua excellentia, de ineffabili magnitudine tua, ut ego ferre " nulla ratione possim, quòd sim remotus à te. Tandem " igitur, tandem placeat ostendere mihi faciem tuam tam " pulchram: *Ostende mihi faciem tuam, & salvi erimus.* " Jam nunc intelligo causam, ob quam in Mundo hoc vivere porro non possent tuæ Catharinæ Senenses, tuæ " Magdalenæ, tuæ Gertrudes, tuæ Teresiæ, & aliæ illæ " Virgines tuæ. Noverant enim se sponsas tuas esse, & " optimè "

„ optimè didicerant, quam pulcher esses. Quàm autem
„ id foret à ratione omni alienum, si cùm aliquando veni-
„ rent nuntij tui, mihíque indicarent, elapsos esse dies
„ meos, & iter ad te mihi confestim ineundum, mihi ad-
„ huc induciæ ad præparandum me essent petendæ, & in-
„ geminandum illud: *Inducias usque mane?* si spatium es-
„ set postulandum pœnitendi de admissis? ô JESU mi, per
„ amorem, quo amas animam hanc meam, non ampliùs
„ meam, sed tuam, quia tibi desponsam, non permitte ut
„ tale quid unquam contingat. Da ut nunc saltem ego
„ festinem ad præparandum me sicut oportet; ut paratam
„ habeam dotem, paratas veste ad obviam eundum tibi;
„ ut avellam me à rebus conditis omnibus, nullíque earum
„ prorsus ampliùs adhæream. Hoc unum mihi erit in se-
„ paratione à te solatium, posse apparere coram te aliquan-
„ to splendidiùs ornatum, dum tempus mihi ad hoc agen-
„ dum indulges. Hæc sunt sensa, quæ tu mihi hoc ma-
„ ne dignatus es communicare consideranti verba illa:
„ *Ostende mihi faciem tuam, & salvi erimus*: etsi ego non
„ sic illa expromere calamo potuerim, sicut tu illa animo
„ meo impressisti.

## §. XXXXVIII.

### *Fiducia in DEUM.*

EX amore tam accenso nata est in P. Paulo fiducia illa filialis, quâ semper DEO, tanquam patri amantissimo omnem sui, salutísque suæ curam commisit tum aliàs ubique, tum maximè in sacris illis suis Excursionibus. Versabatur aliquando in Aula Maceratensis nostri Collegij: cùm

cùm eò ingressus est alius ejus Collegij inquilinus, non clausâ post se januâ. Versus ad eum P. Paulus, rogavit impensè, placeret claudere januam. Miratus Pater eam petitionem; Rev. vestra, inquit, cras per mille tempestatum incommoda perrectura est ad Excursiones suas, & nunc tantillus hic ventus molestiam ipsi creat? excepit sapienter P. Paulus: hodie ad me spectat mei curam gerere; cras id ad DEUM pertinet. Vehebatur biremi prope Liguriæ littora; cùm orta fœdà repentè tempestate, nautæ excensionem tentabant; sed undique obices occurrebant; fluctus quidem vehementes à mari, à terra autem rupes præcipites, sic ut ab illis fugere esset rectà ferri in istas. Quotquot in navi erant, magnis clamoribus opem è cælo poscebant, cùm certam præ oculis mortem habere viderentur. Unus P. Paulus, DEO suo confisus, vultu apparebat non sereno tantùm, sed renidente, perindè ac si placida ex malacia solatium caperet: cùm momento tempestas posuit, ut nemo non pro arbitrio in terram exscendere posset. Aliàs cùm flumen simul cum multis aliis vectoribus trajiceret, aquarum impetus nautæ gubernaculum excussit, navísque deorsum præceps ferebatur. Cuncti ad P. Paulum confugére, qui more suo minimè consternatus; fidite, ajebat, fidite DEO, & omnem ponite timorem. Et verò nauta resumpto animo & gubernaculo rectè direxit navim, & cuncta prosperè cesserunt. Clariùs suam hanc in DEUM fiduciam aliâ occasione palam fecit Pater, quam hîc ego verbis ipsius testis narrabo, qui est D. Laurentius Gualterius, Minister Sermo Magno Hetruriæ Duci in paucis carus, quem jusserat Dux P. Paulum in itinere quopiam Florentiâ Romam, & Româ Florentiam comitari, ejúsque curam habere. In reditu, inquit iste, inter Perusiam, & Aretium

tium conspeximus nos in manifesto interitûs periculo in ascensu Cortonensi; cum enim rheda lapsa deorsum præceps in substratum solum ferretur, & uterque esset opprimendus, clamavi ego; JESU, JESU! actum est de nobis. At Pater; non, respondit, non, nihil est periculi, gratias reddamus DEO (& tamen tunc adhuc pendebamus in aëre) cecidimus sine ulla læsione, non rheda, non Auriga, non equi, quidquam detrimenti sunt passi. Dixi tunc: Pater, si fuissem solus, fuissem comminutus in frusta; sum enim peccator. At Pater; filimi, ego te multo sum deterior; sum enim fæx hominum nequam: nos tamen iter facimus DEI causâ; dnm ergo ille dux noster est, non est quod timeamus. Amemus illum semper impensiùs; in vita enim altera, quanta nos bona, quanta nos bona!

## §. XXXXIX.

### *Alia Fiduciæ in DEUM exempla.*

JAm ante advertimus, quâ ratione Pater in Sacris suis Expeditionibus, cùm fœdis nonnunquam tempestatibus turbatum cælum esset, dicere tamen sub dio ad populos cœperit, in ordines supplicantium agmina tribuerit, & reliqua id temporis consueta egerit omnia, sic ut eâ, quam ejus animo DEUS indiderat, fiduciâ, dominum quodammodo tempestatum elementorúmque eum constituisse videretur. Non semel ob pellices à latere virorum impurorum abstractas, & reprehensa audacter non infimæ conditionis hominum publica scandala, grave publicæ ignominiæ ac dedecoris discrimen adiit. Postquam suum illum de Concordia librum, quo Quietistarum, (hoc illis à suâ doctrinâ nomen) errores

errores confutaverat, publici juris fecit, incredibile dictu est, quàm multæ ad illum literæ anonymæ convolârint, plenæ omnes infamibus opprobriis, & minis atrocibus; sic ut non pauci eum hortarentur, ne anno illo solitâ Excursione defungeretur, ad cavendum insignis ignominiæ accipiendæ discrimen. At P. Paulus semper sibi constans, timorisque omnis expers, cùm DEO suo fortiter niteretur, id unum ingeminabat, quod similibus in occasionibus consueverat; agi in ea re causam DEI, ad hunc pertinere, ipsius defendendi curam sucipere; qui si fortè id facere noluisset, enimverò profitebatur, sibi longè fore gratissimum, sanguinem omnem ac vitam ejus causâ profundere; solitus magna animi excelsitate cum mellifluo Doctore, DEO dicere: *bonum mihi, si me digneris uti pro clypeo.* Penitus etiam non destituit illum hæc in DEUM fiducia; cùm is, quem diximus, Concordiæ liber, Romanâ censurâ proscriptus fuit. Nihil unquam ea de re queri auditus est, neque ullo unquam indicio prodidit molestam sibi eam proscriptionem accidisse; quin ipse solatus est amicos, qui vices ejus miserabantur, & ingeminabat solenne illud suum; causam eam DEI esse, & à DEO illam protegendam; id quod subinde res ipsa monstravit. Rerum enim veritate ad clarius lumen retectâ, & deprehenso, qui sub florum foliis latitabat, serpente, à sacro Inquisitionis Tribunali damnati sunt errores, & liber P. Segneri cum magno existimationis incremento ab omni notâ absolutus. Hæc tam plena amoris divini Numinis protectio subinde P. Paulo incitamento fuit & stimulo ad ardens illud animarum juvandarum, & proferendi DEI honoris studium, quod ab eo notatum reperimus in sensis illis suis cælestibus: Animadverti, inquit, quantam DEUS mei, in innumeris eventibus & periculis, tam cor-

poris quàm animi, defendendi ac tuendi curam quodammodo susceperit; & idcirco animos mihi addi sensi ad vicissim, grati animi titulo, supiciendam in me causam DEI adversùs illos, qui volunt injuriam inferre DEO, sicut ille causam meam agit contra illos, qui offendunt me. Videtur hæc mihi ratio sufficiens ad impellendum me, ut animas juvem, & errantes reducam in viam. *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei*, dicit ad Servos suos DEUS. Quis proin satìs exprimat ingens illud studium & curam, quam pro nobis habet, defendendo nos promptis semper armis contra hostes, & qui videntur, & qui non videntur? Tale & nostrum in causa DEI studium, tantus esse ardor debet contra quoslibet ejus hostes, Christianos perversos, Hæreticos, Ethnicos &c. *Ponam Zelum meum in te*: hæc est suavis promissio, quam facit mihi DEUS per Ezechielem: cui ego aliud reponere nihil possum, aut debeo; quàm *Zelus Domus tuæ comedit me.*

## §. L.

## *Orationis & Conjunctionis cum DEO studium.*

PRoprium amantium est, velle semper agere cum amato, & cum eo conversari. Idcirco qui magno DEI amore exarsit, videtur non posse avelli ab Oratione, in qua suaviter conversamur cum DEO, ut Apostolus innuit iis verbis: *Nostra conversatio in cælis est.* Huic autem sacræ Orationis exercitationi tam erat addictus P. Paulus, ut nullis limitibus tempus illi dandum definitum esset, sed præter horam statam matutinam, reliquum omne diei tempus, quod vel literarum studia, vel negotia cum proximis, sibi non

non vindicabant, illi daret. Et testantur Socij, quos habuit, plerumque inveniſſe ſe illum orantem in medio ſui cubiculi, nec rarò ita abſorptum in DEO, ut aliquamdiu non adverteret, an aliquis, aut quis cubiculum eſſet ingreſſus. Quodſi nonnunquam commendare DEO debebat magni momenti negotium, maximè quod totam noſtram Societatem ſpectaret, erga quam ſemper tenerè & intimè afficiebatur, totas noctas orationi dabat. Etſi, ut dicamus quod res eſt, etiam quando interdiu aut deambulabat, aut quidvis aliud factitabat, ſemper altiora animo agitare videbatur, ſatísque prodebat tota agendi ratione; verſari ſemper ſibi ante oculos DEUM, illúdque præceptum ad amuſſim ipſum implere: *oportet ſemper orare, & nunquam deficere.* Ad hanc porro orationis familiaritatem ratione quadam valde ſingulari à DEO vocari ſe ſenſit, ut alicubi in ſuis illi ſchediaſmatis ſcriptum reliquit. Videbatur mihi, inquit, in claro admodum lumine, omnem meam negotiationem conſtitutam eſſe debere in ſtudio orationis, cùm omnibus, quæ nunc circa me geruntur, conſideratis, judicarem, hoc planè eſſe, quod DEUS à me fieri vellet. Egi proin illi magna quadam animi teneritudine gratias, quòd me elegerit ad tantam dignationem agendi & converſandi cum ipſo quàm familariſſimè, etſi ego nihil unquam tanto dignum favore egerim; & ſi hæc, juxta illud: *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea*: appellanda eſt pars optima, certo quodam modo veniam à DEO petij, ſi ego vermis viliſſimus in illa conquieſcam: nec enim ego illam elegi; ſed ipſe eſt, qui me ad illam elegit.

## §. LI.

### *Vocatur à DEO ad sublime Orationis genus.*

FUit porro ipsius orandi ratio principio non alia, quàm illa, quam vocamus, Meditatio ordinaria, quæ & Intellectus ratiocinio, & voluntatis affectibus vehementibus occupatur circa varia Religionis nostræ Mysteria, & varia divinarum Literarum effata; unde magnam partem hausit egregia illa lumina, quæ subinde expressit in quatuor illis non magnis libris, quos Manna Animæ indigitavit. Post aliquot annorum intercapedinem videtur mutâsse aliquantum, quam diximus, Methodum, totúmque se vertisse ad rogandum DEUM, variásque ab eo gratias ac dona poscenda, ita scilicet, quomodo Magister divinus in Dominica Oratione nos docuit; id quod ipse Pater alteri cuipiam è Nostris aperuit, cùm diceret, se tandem aperuisse oculos ad pernoscendam veram orandi rationem. Idipsum docent nos etiam cujusdam epistolæ ejus verba, quæ audire non parvo nobis solatio esse poterit. Præsens, scribit, mea spes tota nititur certa illâ & infallibili impetrandi efficaciâ ac vi, quam habet Oratio, quando à DEO petit id, quod certò nobis expedit. Qualia, quæso, verba illa sunt, quæ Christus locutus est: *Petite, & accipietis?* an clariùs, certiùs, generaliùs, & minore cum exceptione obligare se ille nobis potuisset? totum in eo situm est, ut constanter petamus. Sed quis tandem hic labor est, quem tanti boni amore suscipi non oporteat? Nobis aliud incumbit nihil, quàm ut petamus à DEO per merita Filij sui, ut nos efficiat veros suos Servos, veros suos amicos: & subinde omnia ejus permittamus arbitrio; nec enim illi deerit ratio è tam multis aliqua,

quâ

quâ id certò efficiatur. Ad me quod ſpectat, conſtitui mecum, opitulante ejus gratia tam aſſiduè clamare, & tamdiu pulſare, donec illi fiam importunus. Neque me ulla ratione abſterret, quòd mevideam tam miſerabilem, tam vilem, tam omni merito deſtitutum; ego ſiquidem aliud non ſpecto, quàm ut ſtipem flagitem à DEO, qui in egenos eſt beneficentiſſimus. Et quis neſcit, in mendicabulo nullius generis meritum requiri ad obtinendum, ſicut tamen requiritur in eo, qui mercedem exigit, ſicut requiritur in Servis, & aliis, qui quocunque titulo aliquid expoſcunt. Ipſa, quâ premitur, ſua miſeria & calamitas magnum in mendico meritum eſt, & quanto ejus miſeria major eſt, tanto etiam æquius eſt ut ipſi ſubveniatur. Utut eſt: Chriſtus quod promiſit, revocare non poteſt. Promiſit ille, quisquis ejus in nomine conſtanter eſſet petiturus, exaudiendum. Si in hoc nobis conſtamus, peracta res eſt. *Benedictus* DEUS, *qui non amovit orationem ſuam, & miſericordiam ſuam à me*; ajebat David, in quem locum S. Auguſtinus: *Cùm videris à te non amotam deprecationem tuam, ſecurus eſto, quia non eſt à te amota miſericordia ejus.* Nihil igitur eſt, quo nos purgemus: Petamus, inſtemus importunè, moleſtiam, ſi ita tas eſt loqui, faceſſamus DEO: ſed non eſt periculum, ne moleſti ſimus: neque enim unquam magis illi cari acceptique erimus: meleſtus illi non eſt, qui petit; ſed qui petere non vult, ut Achaz, qui dicebat; *non petam.*

(*)

§. LII.

## §. LII.

## *Sancta in DEO rogando industria.*

UT autem tam in oratione, quàm in aliis per diem functionibus animum in DEO magìs fixum teneret, invenit P. Paulus piam aliam & pulchram rationem, dignam certè, quam sequendam sibi decernat, quisquis ad arctius cum DEO commercium aspirat Ita scribit ad Amicum suum. Placet communicare tecum usum quempiam, quem nuper admodum legi in Osorio tenuisse S. Augustinum in agendo cum Christo JESU Servatore; uno die hebdomadæ sub una, altero sub altera persona, ut nunc tibi exponam, sed ea ratione, quâ ego distinctiùs rem pro meo commodo sum partitus: Die Lunæ tractando cum illo, tanquam cum Judice; die Martis tanquam cum Rege, die Mercurij tanquam cum Medico; die Jovis tanquam cum Sponso; die Veneris velut cum Redemptore, ad restaurandam Passionis ejus memoriam, die Sabbati, velut cum Fratre, qui titulus Beatissimæ etiam Matris ejus recordationem suggeret; & tandem die Dominica, tanquam cum Glorificatore, qui titulus præterea beatitatis cælestis cogitationem excitabit. Puto rem ita bellè succedere, si dictis diebus agamus cum ipso in oratione sub singulis indicatis titulis, dum commendat se illi quisque nunc ut reum, nunc ut subditum, nunc ut ægrum, ab eóque petit gratias his personis respondentes, & voluntatem ad sensa etiam respondentia inflammando: perfacile etiam est, hac ratione interdiu mentem cum DEO conjunctam retinere.

## §. LIII.

## §. LIII.

### *Etiam ad Quietis Orationem ſubinde evehitur.*

CEterùm cum tali orandi DEUM ratione indies in P. Pauli anima augeretur fervor, placuit divinæ Bonitati ſenſim illum attollere ad rationem modúmque orandi valdè ſublimem & excellentem, ſemper illi clariùs revelando faciem ſuam. Teſtis ejus rei nobis eſt ipſemet in quodam è ſuis illis ſchediaſmatis. Hac die Dominus, ait, ut omni anxietate animam meam liberaret, fecit ut legendo inciderem in caput aliquod libri, qui S. Tereſiam authorem habet, vocatúrque; Iter ad perfectionem: in quo inveni minutim deſcriptam rationem orandi, quam ſingulari ſuo favore DEUS mihi impertiit, ſic ut vix ampliùs ambigam, quin ſanctiſſimæ ejus voluntati conformis ſit; id quod etiam mihi affirmavit Pater, quo interioris hominis Magiſtro utor. Eſt autem caput hoc 28. in quo deſcribitur Oratio Recollectionis. Verum quidem eſt, quòd putem aliquoties etiam mihi communicatam Quietem, ſi non omnium trium facultatum ſimul (quamquam & hanc mihi ſatis diu conceſſam arbitrer, cùm illas in DEO fixas cum magna quadam earundem unione expertus ſim) ſaltem voluntatis, quæ ad DEI præſentiam in eo ſe defixit penitus, oblectando ſe in ipſo, & deſiderando penitus in ipſum ſolum transformari. Cogitatio ſi aliò vagatur, id fit tam obiter, ut mox redeat, neque deſiſtat ab oratione. Benedictus ſit in his omnibus bonus DEUS. Hæc ibi P. Segneri. Qui autem nôſſe deſiderat, quàm excellens ſit illud Orationis genus, quod Recollectionis dicimus, legere poteſt dictum caput 28. S. Tereſiæ: nec minùs meretur legi caput 31. ubi

Sancta Mater agit de Oratione veræ Quietis, quam & sibi nonnunquam benignè concessam à DEO fatetur P. Paulus. Hæc, (ita loquitur Sancta Mater) res est ordinis altioris ac divini, nec effici à nobis potest ullâ, quâ utamur, diligentiâ. Intelligit in eâ Anima ratione multum diversâ ab eâ, quâ cognoscimus operâ facultatum ac sensuum exteriorum, jámque vicina est lateri DEI sui, nec multis opus est, ut per conjunctionem fiat unum quid cum illo. Adeò illa contenta vivit, inde solùm quòd tam propinquam se videat fonti, ut etiam absque eo quòd bibat, satur sit, neque putat quidquam præterea esse, quod concupiscat. Facultates penitus quietæ sunt, adeò ut ne moveri quidem vellent, cùm timeant ne res aliqua amorem suum turbet. Similis tum est anima parvulo adhuc lactenti, cui nonnunquam dum è matris pectore & sinu pendet, hæc, lac suis exprimendo manibus in os instillat, quin ipse sugendo illud proliciat. Ex his Sanctæ Matris verbis abunde discimus, quàm excellens fuerit Orationis genus, quo P. Paulus erat donatus; qui insuper continuâ ferè suavissimarum lacrymarum gratiâ præditus erat, nec in Oratione duntaxat, sed dum loca religiosiori DEI cultui sacra obibat; dum familiari in conversatione divinis de rebus differebat, dum dicebat ad Populum, & præcipuè cùm inter litandum jam ad divinam dapem sumendam ventum erat: tum enim exardescebat totus, manabátque illi tam copiosa ex oculis lacrymarum pluvia, ut videretur totus colliquescere. Unde frater Adjutor, qui postremis annis illi ad Aram manè facienti serviebat, refert, semper se ejus strophiolum lacrymis adeò imbutum invenisse, ut necesse haberet, illud auræ liberæ expositum siccare. Sed & alij testantur, sæpius se observâsse, cùm ad sumendum divinum cibum ventum est, tanto fervore Patrem accensum,

censum, ut vehemens cordis agitatio non paucas illi è naribus sanguinis guttas proliceret. Certum porro est erga divinum hoc Sacramentum P. Paulum ingenti & reverentiâ & amore ferri solitum; unde sæpius interdiu ac noctu ad illud adorandum, & sua illi obsequia deferenda prodibat. Quæ tamen ejus in sumenda hac Angelorum esca sensa fuerint, non facile nobis esset exprimere, nisi ille eorum specimen scripto reliquisset. Cùm hodie mane (sic ille in uno suorum illorum foliorum loquitur) à Sacro peracto petiissem à DEO, ut dignaretur mihi suggerere, qui demum affectus sumpto sacro Epulo & magis convenientes, & ejus Majestati acceptiores essent (nec enim ignoro, ab re esse, si quis tunc intellectûs utatur ratiocinio, cùm solius sit voluntatis partibus suis non deesse: stultum siquidem est, extra nos quærere DEUM, cùm illum habemus intra nos) videbatur mihi præ ceteris opportunus esse affectus vehementis admirationis. Revereri illum, parum est; abiicere sese, parum est; agere gratias, parum est; amare parum est. Mirum mirabilium omnium mirabilissimum, quale hoc indigitatur (*Memoriam fecit mirabilium suorum*) non aliud aptius requirere videtur, quam admirationem. DEUS ad me? DEUS mecum? DEUS in me? Quid mihi hæc perpendenti integrum est facere, nisi hærere attonitum, hærere sensûs expertem, hærere infinitâ quodammodo admiratione absorptum? Quando milites Holofernis primò intuiti sunt singularem Judithæ pulchritudinem, proximum videbatur, ut exardescerent, & primus eorum affectus esset ingens in eam amor, & accensum eâ potiundi desiderium: sed non ita fuit: *Considerabant faciem ejus, & erat in oculis eorum stupor, quoniam pulchritudinem ejus mirabantur nimis.* Hic enim admirationis affectus primus est, qui de-

betur rebus magnis, rebus insolitis, & subinde post hunc etiam aliis locus conceditur. Sic omnino par est rem se habere in eo, de quo agimus. Cùm contemplor, non jam divinam Pulchritudinem, nec enim hanc oculorum meorum acies ferret, saltem Bonitatem DEI in me, primo loco valde admirari me convenit, deinceps autem aliis etiam affectibus possum indulgere.

## §. LIV.

### *Orationi Vocali quàm esset deditus?*

NEque tantùm mentalis Orationis operâ suum in DEUM amorem, & devoti animi studium fovebat P. Paulus, sed & Oratione, quam, quia voce peragitur, Vocalem dicimus. Crebrò admodum usurpabat varias breviores ejusmodi orationes, quæ quòd jaculi instar cælum petant, Jaculatoriarum nomen acceperunt; quarum ille bene longum catalogum è Psalmis, & aliis Sacrarum Litterarum locis excerpserat. Quotidianum Sacerdotum pensum sacrum de genibus lentè admodum recitare solenne ipsi erat, & quæ ore promebat verba, intimis animi sensis comitabatur. Ut viva semper animo mortis memoria, quæ tanti momenti est, obversaretur, sæpe recitabat preces, quas morti proximis prælegi vult Ecclesia, séque sibi repræsentabat, ut jamiam constitutum illo momento, ex quo sortes nostræ per totam, quàm longa est, æternitatem dependent. Nec omittebat Sanctissimam DEI Matrem ad globulos salutare, hujus enim honori erat planè devotus, eámque delegerat principem felicis Sacrarum suarum Excursionum exitus Patronam; útque Populum Christianum ad pietatem

tem in hanc Cæli Dominam excitaret, typis edi curavit aureum illum suum libellum, quem *Devotum Mariæ Virgini* indigitavit. Quin extremum operum ejus, cujus filum simul cum vita mors intercidit, fuit expositio egregia Cantici *Magnificat*. Dum foris laboribus illis suis Apostolicis occupabatur, nullo non die recitabat preces bene longas, quas ipsé sibi conscripserat, plenas sensis & affectibus insignibus ad petendas à DEO illas gratias, quæ ad Ministerium tam sanctum magis necessariæ ac opportunæ sunt. Addebat his omnibus frequentem lectitationem librorum sacrorum, & præ ceteris jucundæ semper ipsi erant *Vitæ Sanctorum*: unde evolverat à capite ad calcem sex illa ingentia de Divorum gestis Laurentij Surij volumina, præter complures Sanctorum postremæ ætatis Historias; ad quas lectitandas crebrò etiam alios incitabat, professus, se quamcunque demum viæ spiritualis notitiam haberet, non aliunde, quàm ex his purissimis fontibus hausisse. Et verò videbatur DEUS hoc illi potiùs, quàm quocunque alio adjumento concessisse admirandam illam discernendorum Spirituum gratiam, quâ nunquam non bellissimè hoc in genere noverat discernere aurum verum à fictitio; sic ut aliquando in primo mox congressu retegeret artificiosissimam hypocrisin celebris cujusdam personæ Religiosæ, quam passim alij ut Seraphinorum æmulam venerabantur: etsi subinde rescitum est, infami cum malo Dæmone commercio implicitam fuisse; eâque causâ à morte cadaver ejus sub aliqua horti Cœnobialis arbore terræ infossum; nec multo post eruta humo ossa justâ Sacrorum Quæsitorum sententiâ igne absumpta sunt.

## §. LV.

### *Amor Proximi in Patre quantus?*

VErus intimúsque DEI amor nunquam non comitem habet amorem Proximi : siquidem amor DEI ignis instar est, qui non quiescit unquam, nisi in se convertat omnia : nec quisquam est, quem lateat illud, quod ad amantem Discipulum Servator noster dixit: *Si diligis me, pasce Agnos meos, pasce Oves meas.* Ita se res cum P. Paulo habuit : mox atque in illius animo exarsit beatum illud divinæ Caritatis incendium, non potuit illud sinu suo continere, sed necesse habuit liberam illi pandere viam, cœpitque fovere animo ardentissimum & insatiabile desiderium reducendi ad DEUM, quantum quidem in ipso erat, Mundum omnem. Neque tamen necesse est, me ea de re hîc pluribus agere, cùm jam spectaverimus illum tot lustris occupatissimum laboribus suis Apostolicis, ídque cum tanto ipsius solatio ac gaudio, ut nunquam lætior videretur, quàm quando ampliùs laborabat, sic ut dies illos cælestes appellaret : solebátque dicere, se quemcunque dierum ejusmodi quantacunque Monarchiânon permutaturum. Mox atque destinati Sacris Excursionibus dies aderant, nihil planè erat, quod illi vel tantillam remoram posset injcere; quantumvis non semel sub ipsum illud tempus magni momenti negotia distinerent : nec explicari satìs potest, quàm ille mox atque è Collegiis prodibat, videretur alius à se ipso homo esse, se ipso major, toto habitu spirans Animarum & honoris DEI Zelum, animi alacritatem atque fervorem, sic ut planè divino Spiritu agi rapíque videretur. Agendum illi plerumque erat cum hominibus rudibus ac inurbanis;

banis: neque tamen unquam commercium cum iisdem fastidire ac nauseare visus est; sed semper simili modo affabilis ac comis, nullo discrimine agebat cum omnibus, adjuvabat omnes, serviebat omnibus, & paratissimum semper se præse ferebat, ad fundendum, quidquid venis claudebat sanguinis, pro cujuscunque salute. Testatur Sacerdos ejus Socius, pluries se ex illo audîsse; si Cælum apertum conspexisset cum libero, quandocunque libuisset, eò intrandi commeatu, libenter tamen retracturum fuisse pedem, mansurúmque inter Mortales ad laborandum Animarum causâ; excelso hoc atque heroico actu præclarè imitatus S. Patriarcham suum Ignatium, quem ob hanc amoris excellentiam nemo prudens non vehementer suspicit.

## §. LVI.

### *Rerum hujus Mundi contemptus.*

PRæter has Mortalium Animas nihil quidquam ullius apud eum pretij erat. Sæpius objecerunt se ejus oculis illustres feminæ, vestibus magni pretij, gemmísque ad pompam exultæ. Tam parum abest ut ejusmodi spectacula eum ad se raperent, ut generoso potiùs contemptu animum inde altiora ad sensa attolleret, quæ Socio aliquando suo aperuit, cum dicto. O quàm gratum DEO Sacrificium Dominæ istæ facerent, si has quas tanti æstimant, nugas & crepundia amore ejus contemnerent, & relinquerent! Patrum aliquis, magnæ authoritatis, qui ipsi Romæ præfuit, hæc de ipso affirmat. Quàm animus viri avulsus esset ab omnibus, quæ Mundus æstimat, ignotum esse potest nemini, qui cùm eo egit, intimiúsque illum novit: &

ego

ego ea de re ipsa ejus adducere verba possem. Sæpe enim mecum disseruit, quàm vilia nulliúsque planè pretij censeret omnia, præter DEUM, & æterna. Sed illustrius hac de re testimonium est, quod ex illiusmet ad amicum litteris habemus, in quibus ille sic loquitur. Hodie matutinæ Orationis tempore perpendi illa Psalmi verba, quæ mihi se offerebant: *Diviserunt sibi vestimenta mea.* Veritas, quam mihi DEUS his in verbis manifestare dignatus est, est hæc: Quòd nos passim velimus, quæ DEI sunt; non ipsum DEUM. Si Christus habet quidpiam, quod nostra commoda, nostra emolumenta promovere possit, multi certatim currunt ad illud inter se dividendum: sed quis est, qui nudum illum Cruci affixum habere velit? Nos duo ergo illum inter nos partiri nunc volumus: quid dico partiri, cùm uterque eum habere totum solus possit? Sed ô mi DEUS! dico hoc ego quidem, sed cùm ad rem venitur, facere non possum. Existimo equidem, me haud multum curare hæc Christi vestimenta, quæ corpori serviunt; quin imò bona externa omnia videntur mihi modicum quid, quod ejus causâ deseramus, Amici, plausus hominum, animi laxamenta, & quidquid est aliud ejusce generis: sed illa vestimenta, quæ animæ serviunt, illam exornant, locupletant, corroborant, relinquere; his nuntium remittere, haud paulo difficilius videtur: & tamen his etiam, aut, si non aliud, affectu seu desiderio horum se exuat necesse est, qui solum DEUM quærit. Conforme huic ejus doctrinæ est, quod alibi inter Orationis ejus fructus invenio, dum agit DEO gratias pro sua surditate, tanquam pro favore singulari. Hic siquidem defectus reddebat illum ineptum ad Præfecturas, & alia magis vulgò speciosa in publicum munia sua Religionis; unde sperabat, quod deferendus, & tanquam homuncio me-

cio media sui parte jam præmortuus parùm curandus esset. Non semel invenit Principes paratissimos ad ipsi gratificandum: neque tamen hâc eorum beneficentiâ ad ullum suum commodum usus est; nec admisit unquam rem ullam, quæ præjudicij aliquid ejus vel modestiæ, vel Religiosæ Paupertati, quâ cariorem thesaurum non habuit, afferebat. Quin ne quidem aliorum precibus id dare voluit, ut à Principibus munia in Republica, Beneficia Ecclesiastica, aliáque ejus generis, pro ipsis poscerent; nisi sicubi censebat, resultaturum inde divinæ gloriæ incrementum, & Animis Proximorum emolumentum. Usus tamen est benevolentiâ Principum Magnorum, ad publica scelera tollenda, aut impedienda: quo in genere illustre fuit, quod à Sereniſſimo Ranutio Principe Parmensi impetravit: hic enim Leges in eum finem utiliſſimas tulit, quas deinceps alij quoque Principes suis in ditionibus promulgârunt non sine insigni pietatis in DEUM, morúmque honestatis incremento.

Ruri suis laboribus occupato varij Illustres Viri mittebant esculenta exquisita: sed ipse aut non admittebat dona, aut si per urbanitatem aliter non posset, accepta confestim mittebat ad ædes ægrorum inopum, aut nosocomium publicum. Transeuntem per nobiliores urbes nostra de Societate Patres nonnunquam invitabant ad videnda, quæ iis in locis rariora, & spectatu digniora sunt; sed ille excusabat sese, malebátque suo in cubiculo hærere solus, minúsque urbanus haberi, quàm DEO, & sibi suffurari horas, quarum tantum illi pretium erat. Nullo unquam argumento prodidit animum carni & sanguini, Agnatis nimirum suis, non ordinatissimè affectum: eâ causâ convenerat illi cum fratre suo, qui familiam ducebat, ne secum de iis ageret, quæ ad census, aliáque Familiæ emolumenta spectarent;

rent; quorum si fortè nihilominus ille in literis meminisset, hæc ipse silentio præteribat. Accidit, ut Fratris ejus filius, unicus Familiæ hæres, à DEO ad Societatem nostram vocaretur. Agnati ægerrimè ferebant, in eo stirpem omnem extingui: Sed P. Paulus literas ad eos dedit rationum momentis graves, quibus hortabatur, ne DEO vocanti obsisterent; Adolescenti verò animos addidit, ne ulla ratione à rectè decretis avocari se sineret. Cùm autem Agnatorum nonnemo, vir magnæ dignationis, videretur persistere in differenda saltem in aliud tempus, dum majora ederet constantiæ specimina, adolescenti abeundi ad tirocinium veniâ, obstitit vicissim Pater, professus se, si aliter nihil proficeret, rem delaturum ad Summum Pontificem; nec quievit ante quàm fratris filium in tuto tirocinij portu Romæ conspiceret; eam in rem dicere solitus: parum referre, desit, an non desit, una aliqua in Mundo familia; plurimum tamen referre, Animæ suæ salutem in tuto collocare. Sicubi porro de bono publico, & divini honoris incremento in majoris momenti rebus agebatur, tum enimvero commodi alterius cujuscunque, humaníque respectus curam aliam nullam habuit. Placuit aliquando Summo Pontifici, uti ejus operâ in negotio gravissimo transigendo cum præcipuis magni Principis Ministris. P. Paulus cùm censeret aliter aliquanto, quàm Ministris illis videbatur, statuendum, si divini honoris ratio habenda esset; tum, cùm maximè fervebat negotium, ne tantillum quidem ab animi sui decreto dimoveri se passus est, nullo neque magnorum illorum Ministrorum, neque ejus præjudicij respectu, quod inde timere poterat; facilè prospiciens, non defuturos, qui existimationi suæ, tanquam hominis cerebrosi, obstinati, & ad

tanti

tanti momenti negotia inepti, apud Summum Pontificem essent detracturi.

## §. LVII.

### *In adversis à solo DEO solatium quærit.*

IN eventis præter expectationem adversis nemo ferè est, qui non solatium aliquod ab amicis emendicet, dolorem suum cum illis communicando, ínque eorum velut sinum effundendo. Non ita facere est solitus P. Paulus; qui, cùm simile quid evenisset, nihis opis à mortalium quoquam requirebat: hinc alto silentio premebat offensas, aut molestias, quibus fuerat irritatus, neque à quoquam, præterquam à Solo DEO, solatij aliquid requirebat. Siquis fidei meæ arcanum aliquod suum credit (ita in adversariis suis loquitur) allatam sibi aliquam molestiam, aut animî angorem; sentio me impelli ad ejusmodi hominem ob fiduciam, quam de me concepit, & æstimationem mei, quam præ se fert, amandum; dum cor suum quodammodo mihi credit: at cùm subinde adverto, quòd illud ipsum, quod mihi crediderat, aperiat etiam modò huic, modò illi, imò nulli non, nihili jam æstimo confidentiam, quam erga me præsetulit, sed magis illi irascor, cùm videatur potiùs me voluisse habere ludibrio. Non aliter rem cum DEO se habere censendum est. Magni ille facit, quòd ipsi, tanquam amico carissimo, magna familiaritate confidam omnem meam molestiam, omnem meum dolorem: *Tribulationem meam ante ipsum pronuntio.* At si deinde eundem passim alibi vulgo, si conqueror, & totum animum retego; non potest DEUS amplius

pliùs apparentem illam confidentiam sinceræ amicitiæ pignus reputare. Hinc mihi satis est, molestiarum, quas patior, testem habere DEUM, neque curæ mihi erit ab hominibus solatij aliquid, me ipsis retegendo, mendicare.

## §. LVIII.

### *Honores illi passim habiti.*

VErùm res, & solatia hujus Mundi nullo loco ac pretio habere, non est denique virtutis tam singularis, & heroicæ, ut non etiam Philosophorum Ethnicorum aliqui eò certâ quadam Superbiæ solertiâ pertigerint, quæ tantam sui æstimationem illis instillârat, ut rebus omnibus, quas terra hæc ceteroquin habet, superiores sibi, séque nimium quantum abjicere viderentur, si curâ aliquâ, & amore illas dignarentur. Excellens, & heroe Christiano digna virtus est, hominum de se judicia æstimationémque nullo modo venari; sentire de se abjectè, quin & ab aliis abjici desiderare, ac quærere. Ad hoc enimvero Fide opus est vivâ, & naturæ viribus majore, Caritate perquam luculentâ, & divini Numinis gratiâ singulari. Atque hujus tam eximiæ virtutis quàm latè patet, egregia exempla P. Paulus, divinis favoribus adjutus, sanè quàm multa edidit. Ut autem meliùs assequamur vim ac valorem illius, necessarium judico, enarrare priùs, saltem ex parte, quibus ille ubique terrarum honoribus cultus, quo plausu ejus gesta celebrata sint. Prætereo hîc, quibus passim encomiis exornatæ sint ejus Conciones, & alia opera, quæ typis edita prodierunt; cùm satis constet, communi judicio habitum illum inter nobilissimos Authores,

qui

qui seculum quo vixit, illustrârint, præcipuè ob Hetrusci sermonis elegantiam, sic ut illud virorum Doctorum collegium, quos *Accademici della Crusca* nominant, (qui tam rigidi hoc in genere censores sunt, & tam parci in hoc prærogativo jure etiam Scriptoribus celeberrimis tribuendo) sæpius in illo suo Vocabulario, quod indigitant, afferant exempla è Patris Segneri libris, tanquam Authoris inter Classicos Linguæ Italicæ minimè postremi. Innuam igitur tantùm modicum quid de honoribus, & applausibus, quibus cultus est ob existimationem & famam Hominis Sancti, quam de se passim excitârat. Atque hos quidem summos fuisse certum est; quacunque enim per Italiam ad labores illos Apostolicos excurrit, non aliâ unquam, quàm Patris Sancti, nomonclaturâ compellatus est. Non aljus gratior seu domi, seu foris tum sermo, quàm de ingenti ejus Zelo, de quo singuli mirum quid in medium afferre noverant. Sequebantur illum turmatim & hærebant in ejus vestigiis Populi, & tanquam coram Angelo procumbebant. Variis in locis plurium milliarium spatio noctu verrebant vias, per quas manè ad eos accessurus erat P. Paulus; nec defuere, qui flores per easdem spargerent, & alicubi ad eum excipiendum inquilini cum Baldachino, quod dicunt, accurrebant; nec parum laborandum fuit, ut ab eo honoris genere, altioris tantùm gradius personis debito, abstinerentur. Quis dein explicet attentionem, quâ dicentẽ pro concione auscultabant? quis amorem, quo eum prosequebantur? quis fiduciam, quâ ipsius unius arbitrio lites suas & causas omnes permittebant? quis diligentiam, quam adhibebant in vindicandis sibi reculis, quibus ipse usus fuerat? pertinebat hæc, etiam ad panis frusta, quæ manducanti superfuerant; ad aquam, quâ se,

quin & quâ pedes abluebat: & est constans fama, pane illo, variis ægris præbito, aut aquâ ad bibendum datâ, plures sanitati restitutos.

Quæ non industriæ excogitabantur, ut acciperetur ejus è manibus Numisma sacrum? permutabantur illi pileoli, permutabantur strophiola: auferebantur illi fasciolæ & ligamina pilei: Corona è spinis, quam in Pœnitentium Supplicatione gestârat in capite, materiam sæpe & occasionem præbuit certaminibus inter eos, qui juris aliquid in eam prætendebant; & vir magnæ dignationis, qui unam earum denique obtinuit, tam caram habuit, ut in pretioso illam scrinio abderet, solitus præterea dicere; si aliud præter hanc coronam filio suo non relinqueret, satis tamen locuplerem existimaturum. Ipsæ etiam mensulæ, quibus insistens P. Paulus ad Populum dixerat, in pretio erant ac veneratione, & nonnunquam varij rescissa ex iis fragmenta secum auferebant ut sacra lipsana, quin ij, ad quos pertinebant, etiam fustibus pios ejusmodi fures satis arcere possent. Quando navigare constituerat, ut ab uno loco se transferret in alium, certabant inter se nautæ, quis suæ illum navi vindicaret, cùm singuli existimarent, se naves suas adversùs omnium tempestatum vim Patrem vehendo abundè munire; & mox atque ad littus pervenerat, circumdabatur à plurimis, qui eum expectabant, alius ut osculo manum veneraretur, alij ut suas ejus attactu coronas consecrarent. Et eò res progressa est, ut pluribus in regionibus, maximè in maritimis Liguriæ, necesse esset vallare illum excubiis, quæ eum adversùs vim Multitudinis tuerentur, quæ particulas vestium resecabat, fuitque non semel opus, ut vel nova illis vestis submini straretur, aut quam gestârat, nimium jam brevis resarciretur. Quin & aliquoties in lectica undique

dique tecta gestare eum necesse fuit, cùm ob confertæ multitudinis addensatum agmen via illi aliàs, quò functiones vocabant, non patuisset. In ipsa urbe Genua, in qua tamen laboribus Missionum operam non dederat, cùm ad Ducis Palatium eundum esset, lecticâ clausum gestare oportuit, & per portam non consuetam prodire, ut sic pia innumerabilis Populi, qui præ foribus majoribus expectabat, aviditas frustraretur; & cùm etiam hanc solertiam notâssent aliqui, secuti secticam, obviis omnibus indicabant, Patrem sanctùm eâ vehi.

## §. LIX.

### *Plura in ea rem enumerantur.*

ET quamquàm hæc tanta venerationis cultúsque argumenta nullo non loco ei exhibebantur, nullibi tamen majora, quàm in locis ad omnem morum elegantiam institutis: nec ea à plebe tantùm infima deferebantur, sed viri feminæque nobiles, illustres, Magistratus, Principes etiam supremi, sacri Præsules, Patres Purpurati, in eo simili ratione colendo certabant, quóque illo utebantur familiariùs ac crebiùs, tanto majora in ipsis incrementa hæc æstimatio, ac reverentia sumebant, Hinc Purpuratus nonnemo magni nominis, cùm diuturno examine omnem ejus vivendi rationem explorâsset, asserere non dubitavit uni alicui de Societate, si ipse ad Supremi Pastoris culmen eveheretur, à morte P. Pauli, nulla ratione habitâ tot diplomatum, quæ eâ causâ Pontifices priores ediderunt, confestim illi Sanctorum honores decreturum. Fuit è Cardinalibus Episcopis aliquis, qui nudipes, injecto in collum laqueo,

queo, velut alter S. Carolus Borromæus, ad urbis portam cum toto Principis Ecclesiæ Sodalium Collegio ad eum excipiendum se contulit, & cùm illi Cruci affixi Servatoris simulacrum porrexisset, positis humi genibus rogavit, ad se priùs, tanquam maximè indigum, quàm suas ad Oves verba faceret. Alius Episcopus ad Aram facienti minister esse voluit: alius suis manibus abluere illi pedes; iterum alius publico in foro multa iisdem oscula libare; neque Pater, rubore suffusus, omni suo conatu ac precibus efficere potuit ut absisterent. Bononiæ, & alibi adhuc viventis effigies plures formatæ sunt, & testem habemus qui asserat, se plures spectâsse, qui positis ante illas genibus preces funderent. Respublica Genuensis trirerem illi peculiarem destinavit, quâ Liburnum, aut quoquò placeret, veheretur. Sæpius illum naves bellicæ machinarum curulium fragore salutârunt. Multæ communitates concordibus suffragiis statuerunt parentare illi publico nomine, & compluribus Sacrificiis peractis mox atque mors ejus ipsis esset nuntiata: quin alicubi saxum erectum est cum epigraphe, quæ Sacræ Expeditionis ibi peractæ, & ferventium Concionum memoriam ad posteros transmitteret. Quis jam non videt, quàm constantis solidæque virtutis virum honores isti exigerent, qui in illis non vacillaret, aut evanesceret? & tamen assiduus vitæ ejus arbiter P. Pinamontius certos & securos nos reddit, Patrem Paulum omni hoc honorum apparatu tam parum captum, aut unquam lætatum fuisse, quàm si marmoreæ statuæ esset exhibitus. Ut animum suum adversùs similes vanæ æstimationis ac gloriæ insultus obarmaret, altè in illum demiserat dictamen, quod in uno schediasmatum suorum his verbis exprimit: Ut excitarem me ad contemnendam mortalium æstimationem, perpendi, &

di, & assecutus sum DEO juvante, quàm verum sit illud S. Francisci Assisiatis effatum, tantum valere hominem quemlibet, quanti illum DEUS facit, & non ampliùs. Ab hoc æstimari, satis est; unde curabo cuivis alteri ignotus esse: Videri magnum, & non esse, vanitas est: esse, & videri, veritâs est: esse, & non videri, Sanctitas est. Sic ipse. Atque ut tanto altiùs animo imbiberet sensum tam solidè pium, diu descriptam in charta, & ad lectuli sui caput affixam habuit illam Christi Servatoris gnomen. *Quod altum est hominibus, abominatio & apud DEUM.* Tot de plausibus, quibus celebrabatur, nunquam jactare se, nunquam verbum ullum facere auditus est: siquis verò alius mentionem de illis feciſſet, mox sermonis filum abrumpere studebat. Aliquot viri feminæque illustres non ob aliud ad eum literas dabant, quàm ut vicissim alias ab ipso acciperent, pietatisque studio servarent. Ubi pius horum dolus Patrem advertit, responsis deinceps supersedit, notam parum urbani penitus non veritus. Eminentissimus Rossettus, Præsul Faventinus, jussit typis vulgari res præclarè per Diœcesim in Excursionibus pro DEI gloria gestas, & ejus rei executionem mandavit Sacerdoti in paucis pio ac docto. Rescivit id Pater Segneri, móxque omni diligentiâ præcavit, ne quidquam ederetur de variorum ægrorum, qui suis liberati malis dicebantur, percuratione. Quando pernicioſi errores, & libri, adversantium ipsi Quietistarum summa authoritate proscripti sunt, credebant aliqui, Patrem de successu illo gratulantium encomia ac studia expetiturum: at è diverso nemo non viri summam modestiam obstupuit, tam eo successu non triumphantis, ut ne tantillo quidem indicio privati animi sensum proderet. In oppido Clavario finitâ sacrâ Excursione pictus fuit in muro, omnium oculi

expoſito, eo habitu, quo in Pœnitentium ſupplicatione prodibat. Aliquot abinde menſibus, rogatus à Nobilibus Genuenſibus, rediit eódem Pater ad reſtaurandam Excurſionem: cùm ejus oculos pictura illa ſubiit. Erubuit vehementer Pater, & cùm pridie quàm inde proficiſceretur, loci Magiſtratus ad eum acceſſiſſent, gratias acturi, & omnia, quæ poſſent, delaturi obſequia, Pater omnium loco favorum (cùm priùs ſponſionem extorſiſſet non negandi ipſi, quod peteret) id unum petiit, ut picturam illam abolerent. Quando concordibus Populorum vocibus vocabatur Pater Sanctus, & per compita, ac fora clamabatur: Quis vult emere Canticum Patris ſancti? dum turbæ quantâ poterant ſubmiſſione poſitis humi genibus eum venerabantur, cuncta hæc effectum in eo alium nullum producebant, quàm ut moleſtiam facefſerent, & ipſe talia factitantes increpando abſiſtere juberet.

## §. LX.

### *Sui contemptum paſſim venatur.*

MIra etiam fuit animi ejus libertas, quâ in cunctis ſuis actionibus utebatur, nihil unquam eorum occultans, quæ apud minùs prudentes aliquid de ejus æſtimatione deterere poterant. Cùm corpore eſſet ſatìs vaſto magnísque tam mentis, quàm corporis laboribus animarum bono exhauſtus, cibo opus illi erat copioſiore. Hanc ille neceſſitatem haud quaquam obtegebat, nec videri ulla ratione volebat ſeveris ſe jejuniis macerare, ſed palàm in aliorum oculos ſumebat id quod reparandis viribus neceſſarium exiſtimabat. Et cum aliquando cum Feminis nobilibus

bus Genuensibus colloqueretur, narravit iisdem, quàm commodè ac honorificè quodam loco esset habitus, quàmque se viro cuidam illustri obligatum agnosceret, qui tantis in caloribus de nivibus illi abundè prospexisset. Institerunt apud ipsum nonnulli, postremis Excursionum annis, ne ampliùs nudis per vias pedibus incederet, sed tum solùm poneret calceos, cùm jam loco sacris laboribus destinato propinquaret, omnibus his eodem semper responso obviabat. Avertat à me DEUS ejusmodi hypocrisin: toto itinere aut calceatus ibo, aut nudipes. Non semel tamen usuvenit, ut, cùm nudis pedibus ad ipsas usque urbis alicujus portas accessisset, in ingressu subinde calceos resumeret, nisi fortè urbs illa Sacræ Excursioni destinata esset. Neque etiam refugit sejugi curru vehi, ut Genuæ, Mutinæ, & Parmæ ipsi evenit; sæpius tamen quàm uspiam Faventiæ, ubi Eminentissimus Rossettus hoc ipsi honoris exhibuit, qui tanquam æquus rerum ac virtutis æstimator hanc ejus talia commoda non aspernantis humanitatem virtuti tribuit, & in sermone cum aliis, laudibus celebravit. Nec aliter similem actum interpretatus est Sacer Anconæ Qnæsitor, qui cùm ab bibendum aliquando Patrem invitâsset, is invitanti statim condixit, tam non imminutâ inde præclaræ virtutis existimatione, ut potiùs apud virum illum Religiosum multum augescceret.

## §. LXI.

### *Insignis sui in hoc genere victoria.*

SAtis non fuit P. Paulo non quærere honores ac plausus, sed insuper multis omnino modis sui contemptum &

despicationem desiderabat & procurabat. Ad desideria quod spectat, sufficiat ad hoc asserendum verba afferre, quæ ipsemet in sua, quæ toties diximus, adversaria retulit. Molesta, inquit, valdè mihi per hos dies fuit quædam tentatio: erat autem hæc: cùm offerre me DEO vellem paratum promptúmque ad ferendum ejus amore quidquid grave ac durum foret, imò id ipsum rogare, una quædam se difficultas offerebat ut insuperabilis, si nimirum inter dicendum pro concione memoriæ lapsu progredi non possem. Non se expediebat hîc naturæ propensio. Parte siquidem unâ agnoscebat se obligatam ad acceptandum promptissimè à divina manu, quidquid demum hæc dedisset: parte tamen alterâ metuebat, ne hæc promptitudo sortiretur effectum, & DEUS re ipsa vellet meæ voluntatis sinceritatem periclitari: unde in me nascebatur ingens timor, qui mihi inter offerendum quodammodo guttur stringebat, faciebátque ut propè hæsitarem. Aperui Patri Spirituali internam hanc luctam, & ut ipse suaserat, studui ea de re porro non cogitare; vult enim DEUS ut munere mihi injuncto meliore quo fieri potest modo fungar. Hoc deinde mane rediit tentatio eadem, unde ego DEI gratiâ opitulante pervici me ipsum, & studui timorem hunc meum mutare in desiderium, & vehementer rogavi DEUM, ut hoc ipso mane sineret mihi obvenire hanc rem adeò naturæ meæ molestam, cùm habenda mihi sit Concio coram confertissima multitudine. Hoc tamen me non impediet, quò minùs liberè dicam; quia jam timori succesſit desiderium: & hoc erat in quo ego aberrabam: facit siquidem metus, ne alacriter & animosè dicam; idquod desiderium non facit. Non idcirco quidquam à me omittendum diligentiæ tam ut memoriâ complectar, quàm ut postea perorem quàm possum optimè;

timè; imò hac ipsa de causâ nihil prætermittendum: tum siquidem, si fefellerit memoria, certus sum, quod id sit opus DEI, & manebo planè contentus; cùm è diverso siquid omitterem diligentiæ, penes me culpa resideret. Hoc animi generoso decreto credo me perviciſſe difficultatem; neque enim ad hoc usque tempus ulla se res animo objicit, quam videar mihi DEI amore non alacriter toleraturus, si quidem suâ DEUS gratiâ adjuverit.

Desideriis viri tam sanctis respondebant omni ex parte opera, quibus non solùm nihil spectabat vanitatis, sed unicè eò cuncta referebat ut despiceretur. Præditus ille erat, ut nemo nescit, præclaris omnino dotibus non literarum minus, quàm divinioris scientiæ, promptósque habebat modos aptissimos, quibus etiam civiles controversiæ componerentur: unde earum sanè quàm multas, quæ vel inter Principes extiterant, composuit ac sustulit. Utut autem ista essent, nunquam tamen ille suo se regere arbitrio voluit in re ulla momenti majoris, sed alieno utebatur consilio, illud Sapientis effatum eam in rem afferre solitus. *Fili sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebit.* Atque hoc in genere singulari laude dignissimam censeo illam animi demissionem, quâ in iis quæ docuit, scripsítque usus est: quod equidem paucorum est, & è diverso plus satis verum illud Poëtæ: *Qui velit ingenio cedere, nullus erit.* Suspiciebat eruditus orbis P. Segneri ut insignem Doctorem, & ipse nihilominus, perinde ac si de simplicissima & indoctissima esset tribu nunquam non facilis ac promptus erat ad mutandum delendúmque, quidquid alius, etiam ingenio & doctrinâ multo inferior, suggessisset. Patrum aliquis, quem Rectorem annis pluribus habuit, testatur, P. Paulum ad se accedere solitum animi demissione tantâ, ut ru- Eccl. 32.

borem ipsi excuteret, visúmque sibi Tironis instar, sic ut cùm verecundiâ prohiberi crederetur, ne quod volebat, proponeret, animos ipsi ad proponendum addere necesse esset. Petiit aliquando nescio quid promovendæ lucubrationum suarum editioni, Florentiæ: at cùm Superior difficultatis aliquid opposuisset & incommodi non magni, quod Collegio inde obventurum existimabat, P. Paulus pudore suffusus veniam petiit, quod id ausus esset proponere, tam uberes inter lacrymas, ut jam nec ipse Superior tenere easdem posset. Canebantur in Supplicatione publica Litaniæ Beatissimæ Matris: acceſſit ille propiùs ad Sacerdotem, qui præcinebat, cum dicto hoc unico: Minùs rectè canis. Visum est DEI servo id delictum ejusmodi, ut illiumet diei vesperi cubiculum Sacerdotis accesserit, & de genibus veniam rogârit suæ in corrigendo temeritatis. Imperaverat P. Minister aliquid Coquo in gratiam P. Segneri: at Coquus ægrè tulit imperium, & turbationis aliquid præ se tulit. P. Paulus cùm id resciisset tam non est indignatus hominis rusticitati, ut sequenti manè eum conveniret, & verbis humanissimis rogaret veniam molestiæ suâ illi causâ allatæ. Superiores Socium illi addiderant, qui cubiculi munditiem curaret. At P. Paulus quoad ipse per se potuit, alterius operâ non est usus; sed verrebat suis ipse manibus cubiculum, & ceteris abjectissimis ministeriis defungebatur. Nec contentus sibímet id præstitisse, studebat idemmet obsequij genus proximè habitanti clam præstare. In sacris expeditionibus crebrò abluebat pedes suorum Sociorum, multorúmque peregrinorum inopum, qui illuc malè compti & luto ac sordibus obliti adventabant. Consueverat præterea summo mane ante alios strato se proripere, & perductâ ad finem Meditatione, mediâ etiam, & quantumvis

tumvis sævâ hieme, ipso adeò etiam postremo vitæ suæ anno Romæ, ibat nudipes ad Odæum, à quo in Templum prospectus erat, & cùm ibi sese flagris dirè concidisset, ibat ad fratrem Adjutorem, cui multum fidebat, figebat ejus pedibus oscula, variisque aliis modis coram illo se abjiciebat; atque hac ratione parabat se ad divinum Sacrificium peragendum, ad quod ejusdem fratris operâ utebatur. Eò autem usque se abjecit, ut collum, caput ac vultum conculcari sibi aliquando juberet, multísque interim se probris ac contumeliis onerari.

## §. LXII.

### *Abjectè admodum de se sentit.*

SEd mirum non est P. Paulum talia agere solitum, cùm tam longè aliter de se sentiret ipsemet, quàm res poscebat, ut velut planè oblitus & innocentiæ, & egregiarum virtutum suarum, maximum se peccatorem existimaret. Talem se ipse multoties profitebatur tam in Concionibus publicis, quàm privato cum amicorum intimis sermone. Non tamen hæc ipsi verba in ore duntaxat nascebantur ex assuetudine, aut affectatâ submissione, ut aliquibus assolet; sed imo prorumpebant è pectore, sic ut siquis hujus rei mentionem intulisset, facies illi confestim tota ignescceret, & calentes lacrymæ erumperent. Illa tot ac tanta cultûs, æstimationis ac reverentiæ, de quibus tam multa in medium allata sunt, argumenta, tantum abest, ut ullam elationis præberent occasionem, ut è diverso altiùs animo ejus insculperent, quàm de se conceperat, opinionem hominis verè conscelerati: unde sæpe ad Patrem Socium

Socium ea corporis conformatione, quæ intimum animi sensum loqueretur, aiebat: O si me isti nôssent! prô quo pudore in magno illo Mundi judicio suffundar! Aliàs altè ducto gemitu eundem ad Socium; Pater, inquiebat, putásne me aliquando salutem consecuturum? Si unquam hæc mihi felicitas obtigerit, quàm humili loco in cælo stabo? In postrema Pœnitentium Supplicatione subsistebat nonnunquam aliquanto temporis spatio, ut supplices illos stans & viatorio suo innixus baculo in compitis spectaret, & cùm observaret tantam mortalium multitudinem tam luculenta dolentis animi signa edere, cohorrescebat penitus, & inter imo è pectore ducta suspiria secum tacitus ingeminabat: ô miserum me! ô miserum me! existimabat enim illos tam seriò de admissis dolentium cruciatus, séque affligendi genera aliud non esse quàm tacitas suarum noxarum suíque teporis exprobrationes. Quis ignorat, quot perditas suis flagitiis animas in salutis semitam suâ operâ reduxerit? Si rationes obiter iniverimus, citra dubitationem possumus affirmare; spatio viginti sex annorum, quibus sacras suas Expeditiones confecit, ad multa centena millia earum numerum ascendisse: & tamen videbatur sibi usque adeò partibus suis hoc in genere defuisse, ut exclamare sit solitus. Utinam tot annorum spatio una saltem animula salutem meâ opellâ esset assecuta! unde tanquam alienæ salutis incurius spuriam se S. Ignatij sobolem appellabat.

(*)

§. LXIII.

## §. LXIII.

### *Quàm in se ipsum durus ac sævus fuerit?*

ESt hoc procul dubio sacrum velut ac felix divinæ Gratiæ fascinumquod homines,quamlibet provectæ & excelsæ virtutis, sibi ipsis repræsentat ut è peccatorum tribu primos. Mihi tamen non minus ejusdem Gratiæ prodigium videtur, quòd sciverit animo P. Pauli inserere sanctum sui ipsius odium, & odium tale, quo se haberet ut hostem juratum, séque ipsum insectaretur tam crudeliter, ut mihi horror sit vel narrare. Enimverò labores illi non interrupti dicendi ad populum, & libros scribendi; illa tot terrarum spatia nudis pedibus emensa, illæ sui diverberationes tam immanes, ille tam multiplex sudor, ille tam copiosus sanguis, quem nullo non die proximis juvandis profundebat, videntur non solùm debuisse sufficere, sed præterea postulare, ut omnis generis fomentis quæsitis vitam ac valetudinem servaret; & tamen haud secus ac si cuncta illa nihil essent, aliosidentidem aliósque se cruciandi & excarnificandi modos excogitabat. Sed nihil tantum admirationis Sociis ejus attulit, quàm illa non satìs explicabilis lætitia, quâ asperitates hásce, ut suas delitias, amplexabatur: unde nullus illi sermo jucundior, quàm de his pessimè se habendi modis, maximè si nova quædam in hoc genere in medium adducerentur. Audiamus ipsummet perfectissimo amore succensum quomodo suis illis in chartis cum DEO loquatur.

Aliquoties, ait, ô DEUS! juxta occultissima judicia tua, quæ revereri demisè, non scrutari nos oportet, res postulat, ut Societati huic tuæ adversa aliqua sinas evenire, aliquam insectationem, aliquam calumniam uni alicui ex

ejus corpore impingi, utque unius causâ patiantur ōmnes, & omnes idcirco unum etiam illum insectentur. O mi bone DEUS! *ecce ego mitte me.* Sim ego servus ille electus in ejusmodi occasione, qui ludibrio exponatur publico, & parcatur aliis, qui vitam duxerunt respondentem vestibus, quas gestant, non vero illas, ut ego, libero illo meo & effreni vivendi agendique genere, profanârunt. Aliàs occulta Providentiæ tuæ consilia exigent, ut unus aliquis iter agens in prædonum exulum manus incidat, qui in silvam illum aliquam ejiciant; aut ut mari vectus incidat in Turcas, qui durissimæ illum servituti addicant. *Ecce ego, mitte me.* O ut ego ille sim servus, quo in hunc finem utaris! Tuscis, me sæpius jam antehac, priusquam hodie me eum in finem tibi offerrem, à te magnis precibus contendisse, ut mihi sors talis obtingeret, cogerérque in miseranda illa mancipij conditione vivere vitam, ad eluenda tam multa perperam à me admissa, asperam atque horridam, ad quam ducendam ignavia mea sponte nunquam vult descendere. O me beatum, si me viderem in compedibus ferreis, excalceatum, luridum, seminudum, coactum servire Domino inhumano ac barbaro, qui quotidie flagris in me crudeliter sæviret; cibum, quo vitam utcumque traherem, vix ullum subministraret, lectum in quo quiescerem, planè nullum. Sic, sic tandem luerem illas delicias, quibus corpus meum fovere studui. Verbo, offero me tibi servum vilissimum, cui nulla in re parcas. Utere me ubi ubi vis, in morbis, quibus Mundum purgare oportet; in contagione, in peste, & servando vitam illis, qui proferendo honori tuo magìs idonei sunt, occide me, qui aliud ferè in Mundo non ago, quàm ut offendam te, etsi toties promittam & jurem quòd tibi obedire, te revereri velim. Hoc est pactum, quod te mecum

cum inire convenit: si tamen etiam isto favore me dignari placuerit. Hac ratione in quocunque casu adverso, quamlibet acerbus, durus & ignominiâ plenus fuerit, revocabo mihi in memoriam, quòd utaris me secundùm pacta inter nos hodie conventa, & hac cogitatione conabor acquiescere, me solari, quin & oblectare, si gratiæ tuæ ope, quâ sine nil penitus possum, tantum præstare valuero. Ita sit, ô DEUS meus! Placeat tibi hoc sacrificium meum totâ illâ animi sinceritate, quâ ego id tibi conor exhibere.

## §. LXIV.

### *Narrantur aliquot se divexandi modi.*

VT speciatim modos aliquos recenseam, quibus excruciare, & pessimè habere se consueverat, satis mihi erit narrare quæ sequuntur. Sacerdos, Parochi munere Senensi in Diœcesi functus, meminit, se cùm pluribus locis P. Paulo socius itineris adhæreret, observâsse, illum cùm nudis pedibus itinera perageret, pro eo quòd, ut passim alij, viam minùs impeditam & asperam quæreret, quæsivisse potiùs de industria difficiliorem, arborum truncis, & acutis silicibus horrentem, à quibus malè admodum habebatur: atque ejus rei, ait Sacerdos idem, post tot annorum intercapedinem se probè, & cum tenero animi sensu meminisse. Solenne Patri erat in Excursionibus sæpius interdiu abluere pedes. Sociorum aliquis amore Patris impulsus monuit aliquando; abstineret eâ lotione, ita enim futurum ut occalescerent sensim pedes, illéque tanto minore molestiâ calles tam asperos peragraret: atqui, respondit ille candidè, hæc ipsa toties abluendi pedes causa est, ut tene-

riores maneant, & plus incommodi ac molestiæ in suis itineribus sentiant.

Flagris in se advertere semper illi fuit usitatissimum. In Excursionibus ad illas diverberationes publicas tanti horroris, tres quatuorve alias privatim adjungebat. Quando verò in Domiciliis Societatis versabatur, bis quotidie lege constantissimâ verberibus malè se mulctabat; postremis verò annis etiam ter, mane, à prandio, & vesperi, adhibitis eum in finem funiculis crassioribus, quos subinde etiam stellulis chalybeis exasperabat, ad sanguinem eliciendum. Certis tamen temporibus aut calamitatum communium, aut novendiorum, quæ Patronis suis Cælitibus consecrabat, crebriùs etiam diverberabat sese, ictuum maximè numero plurimum aucto. Interea dum ita contundebat se, solenne illi erat ingeminare à capite ad calcem consuetum illud Ecclesiæ acroama *Dies iræ*, à verbis *Rex tremendæ Majestatis* usque ad illa prope finem, *gere curam mei finis*, durabátque hæc crudelis laniena, tam diu, donec ad duo, aut tria millia ictuum pertingeret. Ad somnum quod spectat, sex illum horis ferme definiebat; & in Excursionibus non parum etiam de his detrahebat. Triginta & ampliùs annis ad finem usque vitæ, pro lecto illi erant nudi asseres. In Excursionibus tamen, cùm tantam duritiem labores non ferrent, aliquamdiu straminis aliquid sibi substernebat. Et licèt pro suâ in virum observantiâ & æstimatione locorum Magistratus, aut alij viri gradus altioris, lectos illi pararent quàm commodissimos, nec ille eos recusare videretur, subinde tamen remotis culcitris saccis tantùm stramine fartis incumbebat, & non nisi ægrè valde induci potuit, ut lanâ stipatis uteretur, ne hospitibus suis plus molestiæ curæque in providendo afferret. Aliàs etiam in Cilicio, lintei lecti-

carij

carij instar extenso, somnum capiebat; sed cùm sic necessariam quietem capere non posset, coactus est hunc usum missum facere.

Ad victum quod attinet, ut jam ante innui, P. Pauli habitudo corporis non permittebat, ut rigidis se jejuniis maceraret, & narrabant Socij, eum cùm per dies aliquot continuos, aut statorum in Ecclesia quatuor temporum, aut aliàs, jejunium produxisset, tam habuisse malè, ut febri infestaretur: unde cùm majus DEI obsequium æstimaret, si vires sanctis suis laboribus pares tueretur, tantum cibi parcè sumere constituit, quantum eum in finem necessarium erat; satis habens, abstinere à delicatioribus omnibus, & quæ gulæ magìs blandirentur. Sed nec hac in parte generosè se ipsum pervincere omisit, cibos gustui ingratissimos, & ipsum adeò cinerem, lentè masticando & ore versando.

## §. LXV.

### *Plura in eandem rem adduntur.*

PLus multo asperitatis vestiendi ratio habuit. Totis annis quatuordecim domi nostræ nec ex lino indusium, nec caligas gestabat, sed harum loco saccum sine manicis horridum, qui ab humeris defluebat ad genua, contextum caprarum pilis, qualem omnino Agasones adhibent ad tegenda jumentorum onera. Hoc vestimenti genus tam non delicatum adeò adamaverat P. Paulus, ut cùm tantillum attritum, usúque tractabilius deprehendisset, alio confestim horridiore mutaret.

Postremis tamen, quibus Romæ degebat, annis, cùm saccus iste æstatis tempore calores non tolerandos afferret,

fætorem insuper multo sudore prognatum exhalaret, substituit illi saccum ex rudi admodum cannabe, multis aculeis hispidum, quibus undique configebatur; ut facilè arguere licet ex uno ejusmodi sacco, qui pro communi exemplo in nostra Tironum Domo servatur. Sic Brachia non nisi simplici vestis ordinariæ nostræ telâ tegebantur, & tibiæ planè nudæ manebant. Ne autem hæc nuditas passim in aliorum oculos offenderet, genere calceorum utebatur, quod non solum pedum extrema, sed tibiarum etiam partem bene magnam tegeret. Hæc autem & brachiorum, & tibiarum malè vestiendarum ratio afferebat Patri hiemis tempore cruciatum frigoris perquam acutum, quo totus contremiscebat: siquidem naturali habitudine tam delicato frigoris sensu erat, ut amico fateretur, Perusiæ sub initia illa vitæ sanctioris, cùm post solitam diverberationem frigidum indusium resumeret, lacrymas frigoris vehementiâ sibe esse expressas. Quo tamen non contentus solebat, asperrimè sæviente hieme, cubiculo suo se claudere, maximè à divino Sacrificio peracto, & inibi nudus planè positis humi genibus coram Christi Cruci affixi simulacro totis contremiscens artubus, suarum petebat noxarum veniam, cùm interim imbres lacrymarum in terram depluerent, & pectus ipse sibi uno eorum, de quibus jam ante diximus, horrescentium aculeis suberum dirè lancinaret: & horum quidem instrumentorum duo à felici Patris obitu inventa sunt, unum recenti adhuc cruore tinctum. Sed parva sunt hæc, si iis comparentur, quæ P. Pinamontius, arcanorum animi arbiter de eo affirmat; nudum scilicet aliquando in nivibus in Collegij nostri Placentini atrio se volurâsse: quin & aliàs Lucæ apud Patres Carthusianos, quo se uterque ad asceſin octiduanam, sacram

cram ſuam à laboribus quietem, receperat, nudum corpus ſpinis lacerâſſe, uſum opportunitate ſepis roſaceæ, quæ in hortulo erat, monaſticæ cellæ, quam habitandam Patres dederant, vicino: addítque idem P. Pinamontius, vix ſibi dubium, ſed multis argumentis vero ſimillimum videri, utrumque aliâs quoque ab eodem factitatum. Ego interim tenere me non poſſum, quin rogem pium Lectorem, ut ſecum ipſe disquirat, quàm alta ſpirantem animum, quàm divinâ ſuccenſum caritate illum eſſe oportuerit, qui quæ in præcipuis Eccleſiæ heroibus admiramur, in Sanctis inquam Benedicto, & Franciſco Seraphico, tam ſtrenuè auſus ſit imitari. Ut autem indies ſimilior fieret P. Paulus DEO pro ſe Cruci affixo, gerebat ſuſpenſum è collo parvum ejus ſimulacrum è ligno, aliquot armatum clavis, quorum cuſpides parte versâ prominebant, eásque ille quàm ſæpiſſime admota pectori manu in vivam carnem adigebat. Curavit inſuper fieri ſibi inſtrumentum ferreum ſatis craſſum & curvum, dentibus ferè inſtar ſerræ inſtructum: hoc, dum tot horis menſulæ aſſidens in Collegiis ad lucubrationes ſuas incumbebat, ſolitus erat alligare ad coxendices, quarum pondere preſſum ſanè quàm crudeliter eas affligebat, & torquebat. Nequa autem corporis pars cruciatûs & tormenti expers eſſet, latera, pectus, brachia, coxendices, tergum cingebat ferreis cingulis multiplici ſerie aculeatis, quæ poſt ejus mortem inventa in cubiculo deprehenſa ſunt longitudine æquare palmos triginta quinque; aculeis verò tribus millibus octingentis horrere.

)o(

§. LXVI.

## §. LXVI.

### *Alios etiam tortores Pater quærit.*

PAuci admodum erunt, qui hæc tot sui excruciandi genera non rigoris nimij, miniméque prudentis damnent. Sed magnus ille animus non contentus semet tam severè & crudeliter tractare, aliena etiam eam ad rem operâ uti voluit. Sacerdos ille, qui Patri perpetuus in Sacris Excursionibus comes adhæsit, juratus asserit P. Paulum cùm jam familiariùs ipsi assuevisset, favorem ab ipso & obsequium aliquod petiisse, quo sibi magnopere opus esse ajebat. Erat autem hoc, ut sua manu, respectu prorsus nullo, verberibus illum quàm pessimè multaret; professus tanto in se fore clementiorem ac benigniorem, quo inclementiùs sævîsset. Cohorruit has ad preces vir bonus, & data non semel repulsâ à tam inhumano ministerio, quoad poterat, refugiebat. Nihilominus denique Patris identidem instantis importunitate victus non perfunctoriè impositio munere functus est. Extendebat se Pater in lecto, solis, quas pudor jubet, partibus tectis; amico interim illo fideli toto virium robore ictus in singula membra, & ventrem maximè, utpote sensus teneritudine suâ delicatioris, strenuè exonerante: serviebant autem hunc in finem ferme flagra ex contortis funiculis ramorum duodecim; aliàs autem catenulæ è ferro aut ære. Durabat hæc laniena spatio plerumque mediæ horæ, aliàs etiam quadrante diutius, sic ut flagra quamvis nova tribus quatuórve vicibus adhibita nulli jam essent usui: & ferme non ante desinebat carnificina, quàm socius verberando fessus finem tandem laboris per DEI amorem exoraret. Tum Pater stato more provolutus

volutus in genua oscula libabat pedibus, & manum, benevolentiæ argumento, arctè stringens, gratias, ajebat, tibi quas possum pro hoc caritatis obsequio ago, Deúmque oro, ut mercedem tibi amplam rependat. Nonnunquam Pater ad columnam lecti sui alligatus, ut propiùs Servatorem suum flagris concisum repræsentaret, verberari ab hoc suo Socio voluit; & tum, si acerbior dolor foret, oculis dulci obtutu in cælum fixis, ô JESU, ô JESU! exclamabat. Perrexit autem sic torqueri, aut veriùs, ut ipse ajebat, hoc solatij genere recreari duodecim omnino annorum spatio diebus singulis, nisi quid incidisset, quod prohiberet. Et verò jam senex Romæ idem obsequij genus à fratre quodam nostro Adiutore impensè petiit: hic tamen cùm tantum animi non haberet, Pater solatio hoc suo carere debuit. Narrat præterea is quem diximus Sacerdos, cùm Pater Medentium judicio coactus esset uti balneis ad sanguinis calorem temperandum, voluisse post lotionem atrociùs quàm unquam cædi, propterea quòd tum caro mollior sensu esset teneriore, nec ille occasionem tam commodam sibi vellet elabi. Aliàs morabatur Pater in quadam Collegij nostri Anconitani villa, extra urbis muros ad littus maris. Sed quia angustior erat domus, & inquilini sat multi, locus non erat huic Patris tam caro, quàm cruciabili laxamento: eâ causâ cum dilecto Socio in remotiores digressus scopulos, ibique denudatus solitam verberum tempestatem in se exonerari jubebat: quin etiam hac opportunitate aliquando pedibus conculcari petiit; & cùm Socius subterfugeret, animos illi addidit cum dicto:

Quid tandem est, vilissimum vermem, qualis
ego sum, calcare?

## §. LXVII.

### *Novissima crudelitatis in se exempla.*

ATrocius tamen quàm jam memorata, supplicium mihi videtur, quod P. Paulus excogitavit ad ingens suum patiendi desiderium explendum. Extensus in lecto, quâ jam diximus, ratione, curabat destillari in omnes corporis partes ceram bullientem; & affirmat testis Sacerdos (is de quo paulò ante) centies facilè Sacrarum Expeditionum tempore se illi crudum hoc obsequum esse gratificatum; nec potuisse non dolorem plurimum crescere ex eo, quòd subinde Pater ipse ceram illam avelleret, id quod fieri non poterat, quin & cutis laceraretur, & pili, quibus Patris corpus scatebat, simul cum cera abstraherentur: Nec inanis est conjectura, cum Romæ, cùm nemo alius operam illi suam hac in re locaret, suum sibi hoc in genere tortorem esse voluisse. Non leve certè ita judicandi fundamentum ex eo habemus, quòd à morte P. Pauli reliquiæ ex facibus, & globi cerei, quibus eam in rem utebatur, inventi sint. Non semel accidit, ut Socius miseratione motus altiùs attolleret manum, ut longiore illo spatio defluus liquor minùs ureret. Sed Pater mox atque ad hanc nimiùm sibi damnosam miserationem animum advertit, apprehensum brachium deprimebat. Non dissimili ratione inter cædendum simulabat nonnunquam Socius, acsi vi magna flagrum torqueret, subinde autem lento illapsu vix leniter cutem titillabat; sed Pater adversùs pium dolum vigil mox querebatur; cùm diceret: joco & simulatione non utendum in negotio, quo de salute sua, & noxis apud DEUM contractis expiandis ageretur. Narrat porro Sacerdos idem,

idem, jurejurando interpoſito, rem à ſe magno cum ſtupore obſervatam, quòd, cùm corpus P. Pauli his vexandi ſe modis non poſſet non livore, puſtulis, plagis undique obſeri, quæ non niſi lentâ & diuturnâ curâ ſanari poterant, ſequenti nihilominus die, nullo humano remedio applicito, caro integra, ſana ac bene habens apparuerit; id quod etiam à plurimis obſervatum eſt in ſævis illis ſui diverberationibus, quibus Pater Expeditionum ſuarum tempore toties corpus ſuum cunctis inſpectantibus laniabat. Unde hæc animum meum ſubit cogitatio, ad augendam ſervi ſui coronam DEUM quotidiana hæc ab eo ſacrificia exegiſſe; & ut illa offerre poſſet, toties nullius alterius operâ adhibitâ ipſummet modo tam admirabili perſanare voluiſſe. Verùm nec hîc ſiſtere potuit magnus P. Pauli animus, nunquam dolorum ſatur. In legenda Sancti alicujus Cælitis vita incidit in genus ſe torquendi, quo inſolentius me legere non memini; ipſe autem, qui ſtudiosè has artes perquirebat, confeſtim deſiderio imitandi exarſit. Fuit autem hæc ſui excruciandi ratio. Circumligabat brachiis ſupra cubitum aliquot funiculos, & iis vel è trabe aliqua laquearis, vel è clavo in parietem profundè adacto totam corporis molem ſuſpendebat: ſic ſuſpenſus libratúsque in aëre perdurabat tamdiu, donec Pſalmos, à Pœnitentiâ dictos, totos percurreret. Cruciatum hunc neceſſe eſt fuiſſe acerbiſſimum tum ob gravem corporis molem, ita contra niſum deorſum libratam, tum ob funes in vivam & muſculoſam carnem profundè adactos, eámque ad cruoris usque profuſionem lacerantes. Cùm tamen nec iſtud ſufficeret, agitando vehementer corpus, & molem ac pondus impetu juvando dolorem intendebat: quin & ita ſuſpenſum ſe dirè jubebat cædi, & tandem velut ex equuleo depoſitus itera-

tis se ictibus nonnunquam contundi jubebat. Facilè centies crudelem hunc ludum iterandum sibi, cogente Patre, fuisse asserit sæpius memoratus Sacerdos: nobis autem constat sub extremos etiam vitæ annos Romæ, fratris cujusdam Adjutoris operâ, magnis precibus exoratâ, ita se suspendere solitum.

Quæ autem causæ magnum hunc animum impulerint ad corpus suum tam diris modis vexandum, juvat è relictis ab eo schedis intelligere, ubi divino amore penitus succensus ita loquitur. Accendit hodie mane in me DEUS propensionem vehementem ad multos cruciatus sponte subeundos, quibus non tam faciam satis pro noxis admissis, quàm ut illas in me ipso vindicem. Non id mihi his tormentis spectandum, ut iis pœnas aliás subeundas, & supplicia tam hac, quàm altera in vita commerita occupem & expiem; siquidem potiùs mihi desiderandum est, ut quod commerui patiar; sed id unum mihi propositum esse debet, ut in me vindicem tot iniurias in DEUM illatas. Hæc ipsa caro est, cui ut blandirer, eámque molliter haberem, tam perfidus, tam injurius in DEUM fui: & hoc est quod vindicari oportet. Hoc de palato, his de oculis, de his aliis sentiendi facultatibus & instrumentis, de toto me, vindicta mihi sumenda est. Tu ô DEUS meus, da veniam huic indignationi meæ; nimis enim quàm justa illa mihi videtur. An enim impunè mihi esse debet toties tibi fuisse ingratum, toties in te injurium, toties improbè conscelleratum? Et quis unquam mortalium talia contra se admissa impunita esse pateretur? Multum, & nimis quàm multum est, ô DEUS meus, quod toties mihi culpæ veniam indulgeas (hoc siquidem à te supplex rogo, ne sim opus tuum

per

per omnem æternitatem tui amore destitutum) sed quid est, cur etiam pœnæ gratiam mihi facias?

## §. LXVIII.

### *Dictorum Epilogus.*

HAc tam multiplici rigidè se habendi ratione P. Paulus sibi comparavit thesaurum rectè meritorum ingentem, nobis autem præclarorum exemplorum insignem apparatum reliquit. His modis carnem, quamdiu vixit, subegit; animo verò vitam quodammodo reddidit. His ipsis custodivit semper, & auxit suas virtutes, illam maximè mirabilem vitæ puritatem, summam illam corporis mentisque munditiem, quâ factum est, ut inter Terræ Angelos ab omnibus haberetur, quicunque eum noverunt; sic ut omnes Expeditionum ejus Socij profitentur; singulari sibi fuisse solatio, videre hominem, habitudine corporis sanguinea, indole ad amorem propensissimâ, agere tot annis familiariter, quantum res poscebat, cum omni sorte hominum, cum feminis tam in urbibus, quàm ruri, & tamen tam ab omni labe se purum tueri, ut non solùm nulla unquam vel umbra maculæ illi adhæresceret, sed ut penitus ineptus videretur ad certas quasdam teneritudines, quibus ceteroquin etiam personæ DEO addictæ devotæque vivunt obnoxiæ. Unde necesse habemus fateri, DEUM non absque ingenti prodigio gratiam illam Patri fecisse, quam tribus illis in fornace Pueris, *Non tetigit eos omnino ignis, neque contristavit.* Rependantur igitur omnium bonorum Authori DEO laudes, cui fidelissimum Ministrum suum tot favoribus ac gratiis ornare placuit,

cuit, sícque illummet ad suam in cælo gloriam perducere, ubi ipsi integri Animarum ejus operâ servatarum exercitus gratulantur. Nec ego ambigo, quin tanto altiori illic loco confideat, quo inferiore se collocandum singulari animi modestiâ sibi persuaserat. Si porro doleret Lector, parcè nimis ac jejunè proposita fuisse merita viri toto Mundo tam æstimati, hanc, quæcunque est, culpam ipsi ante omnia P. Paulo adscribat, cui nihil perinde curæ fuit, quàm mortalium oculis se subdueere, & eo, quo alii quicunque, numero haberi, quamvis ita longè supra reliquum vulgus esset: nec enim eum fugiebat, Magni illud Gregorij documentum: *Deprædari desiderat, qui thesaurum publicè portat in via.*

O. A. M. D. G.



IN-

# INDEX
## Historiæ Vitæ P. Pauli Segneri.

Authoris Præfatio in fronte Operum P. Pauli Segneri Parmæ editorum. Pag. 1. §. I. Ortus P. Pauli & Educatio. p. 1. II. Studia Literarum, & ad Societatem JESU Vocatio. p. 3. III. Disciplinis altioribus studet, & in Concionatorem formatur. p. 5. IV. Inter Literas in virtute plurimum proficit. p. 7. V. Grammaticam docet, & Pistorienses excolit. p. 9. VI. Laborum contentione Surdaster redditur. 16. VII. Concionatur, & ad sublimius Sanctitatis studium excitatur. p. 12. VIII. In Indias mitti petit; sed non impetrat. p. 14. IX. Sacras & Apostolicas Excursiones auspicatur. p. 16. X. Ratio quam in sacris Excursionibus tenebat. p. 17. XI. Prosecutio ejusdem argumenti. p. 18. XII. Ulterior Missionum descriptio. p. 21. XIII. Quibus de rebus in Concionibus actum sit. p. 23. XIV. Apostolicarum Concionum fructus. p. 26. XV. Nocturnæ Diverberationis ratio. p. 28. XVI Ultimæ diei in Missione functiones. p. 31. XVII. Ultimæ Supplicationis descriptio. p. 32. XVIII. Abitus Patris ad Missiones alias. p. 36. XIX. Ratio Missiones in urbibus instituendi. p. 37. XX. Quænam harum Expeditionum emolumenta? p. 38 XXI. Inimicitiæ Patris operâ sublatæ. p. 41. XXII. Singularia Reconciliationum specimina. p. 43. XXIII. Aliæ eundem finem consequendi artes. p. 45. XXIV. Etiam Feminæ ad veniam hostibus concedendam inductæ. p. 48. XXV. Contumacia aliorum aut expugnata, aut punita. p. 51. XXVI Chartarum lusus sublatus. 52 XXVII. Profanæ cantilenæ sublatæ. p 54. XXVIII. Expeditiones passim expetitæ. p. 56 XXIX. Authoritas Missionibus divinitus conciliata. p. 57. XXX Malus Dæmon Missiones variè turbat. p 59. XXXI. Cælum sacris functionibus favet. p 61. XXXII. Ægros multos sanat P. Paulus. p. 63. XXXIII Mira alia patrata. p 67. XXXIV. Alia prodigiis affinia narrantur p 89. XXXV. P. Paulus absentia & arcana prænovit. p. 63. XXXVI Loca, quæ

ca; quæ P. Paulus excoluit, enumerantur. p. 76. XXXVII. Hiemis tempore libros scribit. p. 77. XXXVIII. Evocatur ad munus Concionatoris Pontificij. p. 78. XXXIX. Hoc in munere unam DEI gloriam præ oculis habet. p. 80. XL. Theologus Pontificius eligitur. p. 81. XLI Tentatur Patris valetudo. p. 83. XLII. Postremus morbus. p. 85. XLIII. Pia Patris mors. 86. XLIV. Quæ mortem & sepulturam consecuta sint? p. 89. XLV. P. Pauli in DEUM amor. p. 91. XLVI. Quàm purus hic ejus amor? p. 92. XLVII. Desiderium jungendi se DEO amato. p. 93. XLVIII. Fiducia ejusdem in DEUM. p. 96. XLIX. Alia Fiduciæ in DEUM exempla. p. 98. L. Orationis & Conjunctionis cum DEO studium p. 100. LI. Vocatur à DEO ad sublime Orationis genus. p. 102. LII. Sancta in DEO rogando industria. p. 104. LIII. Etiam ad Quietis Orationem subinde evehitur. p. 105. LIV. Orationi Vocali quàm esset deditus. p. 108. LV. Amor Proximi in Patre quantus? p. 100. LVI. Rerum hujus Mundi contemptus. p. 111. LVII. In adversis à solo DEO solatium quærit. p. 115. LVIII. Honores illi passim habiti. p. 116. LIX. Plura in eam rem enumerantur. p. 119. LX. Sui contemptum passim venatur. p. 122. LXI. Insignis sui in hoc genere Victoria. p. 123. LXII. Abjectè admodum de se sentit. p. 127. LXIII. Quàm in se ipsum durus ac sævus fuerit. p. 129. LXIV. Narrantur aliquot se divexandi modi. p. 131. LXV. Plura in eandem rem addunrur. p. 133. LXVI. Etiam alios torrores Pater quærit. p. 136. LXVII. Novissima crudelitatis in se exempla p. 138. LXVIII. Dictorum Epilogus. p. 141.



La concordia tra la fatica e la quiete nell'oracion

# AUTHORIS PRÆFATIO IN FRONTE OPERUM P. PAULI SEGNERI PARMÆ EDITORUM.

RECtissimè jam olim scripsit inclytus Ecclesiæ Doctor S. Ambrosius: *Primus discendi ardor Nobilitas est Magistri.* Quare cùm parata typo sint, uno alteróve edenda volumine, præclara opera, quæ scripsit P. Paulus Segneri, illustre Societatis JESU Sidus, multis magnæ authoritatis Personis visum est, præponendam, eorum in fronte operum, brevem historiam vitæ Authoris tam excellentis; eum in finem, ut probè perspecta puritate fontis, quilibet tanto majori desiderio & aviditate ad salutares aquas hauriendas accedat.

## §. I.

### *Ortus P. Pauli & Educatio.*

NAtus est P. Paulus 21. Martij anni salutis 1624. Neptuni, celebri oppido Latij, quod situm est ad littus maris Tyrrheni. Familia ejus origine Romana fuit, celebris & muneribus gestis, & affinitatibus, quas cum aliis nobilibus familiis contraxit. Præ reliquis tamen ornamentis hujus Familiæ laudari meretur, dos ejus peculiaris, insignis erga Deum Pietas, & mores ad ejus leges formati; cùm

# CONCORDIA LABORIS CVM QVIETE IN ORATIONE.

*in responso*
ad viri cujusdam Religiosi quæsita,
*à*
V. P. PAULO SEGNERI SOCIETATIS JESU, ITALICO IDIOMATE EXPLICATA,
EX HOC IN LATINUM TRADUCTA
*à*
P. MAXIMILIANO RASSLER
EJUSDEM SOCIETATIS.

Liber quo Quietistarum nuperorum errores solerter retecti; piè, doctè, ac nervosè rejecti sunt:
Omnibus Animarum Directoribus perquàm Utilis.

*Cum Gratia & Privilegio Sac. Cæs. Majest.*
*Et facultate Superiorum.*

*MONACHII*
Sumptibus JOANNIS CASPARI BENCARD
per MATTHIAM RIEDL Typogr.

*ANNO M DCC VI.*

# Approbatio Libri.

PLaceat Patri Jacobo Antonio Morigia Barnabitæ videre, an in præsenti libro P. Pauli Segneri Soc. JEsu contineatur aliquid, quod pugnet cum S. Fide & bonis moribus, & subinde referat. Dat. 23. Aprilis 1680.

Alexander Puccius Vicar. Gen. Flor.

EGo D. Jacobus Antonius Morigia, supradicto libro inspecto, nihil nisi probatissimo Authore dignum reperi, & animadverti sanam undique doctrinam, summa cum religione, ac pietate conjunctam, Sacræ Scripturæ, Sanctorúmque Patrum testimoniis illustratam, pulcherrimè enitere. Opus meo judicio planè egregium, quo mentium ascensus in DEUM, explanato orationis itinere, detectis remotísque offendiculis, mirificè promovetur, ideoque præcipuis Christi Fidelium studiis, non modò perutile, verùm etiam apprimè necessarium &c.

*Imprimatur servat. servandis*

Alexander Puccius Vicar. Gen. Flor.

Bene-

# Benevolo Lectori Interpres.

*Redeo ad Ludum veterem, ex quo, velut rude donatus, abiisse videri poteram. Boni communis studio, multorum desiderio, Authoris ipsius voluntate, latinè ex Hetrusco interpretatus sum aliquammultas P. Pauli Segneri, viri sanè magni, Lucubrationes. Si vera retulit Bibliopola, non displicuit qualiscunque meus stylus Lectoribus, certè emptores non defuêre. Debebam hinc excitari ad ceteros quoque tanti Parentis partus simili veste ornandos, ut pluribus placerent. Voluntas non defuit. Facultatem eripuere negotia, quæ interim alienâ voluntate me distinuerunt. Quamquam nec illud negaverim, cùm Sacri Panegyrici potissimùm operam meam exposcerent, absterritum me nonnihil difficultate operis. Cùm enim hoc maximè in genere Italica triumphet Eloquentia, verebar, ne multum gratiæ tam disertis Orationibus meâ balbutie detraheretur. Ausus sum tamen, cùm otij aliquid indultum esset, & fidem datam Bibliopola, atque Author reposcerent, & non exigui boni spes stimulos admoveret. Prodierunt ergo Idiomate latino Panegyres; utinam quales expectabantur! Sed ego jam pridem novi, quàm longè infra Authorem Interpres sim. Sudabant istæ sub prælo, cùm aurem mihi non leniter vellicat, hæc quam affero, & tibi offero Concordia. Ab hac ne diu discordarem cæpi & ipsam Latinitate donare. Sed monuit nescio quis, ne perderem operam*

*ram néve invisum Romæ partum Romano habitu erudito orbi exhiberem. Non negligenda res visa est: consului Romam ipsam, & sensum ejus exploravi. Absit enim à me, ut prudens ab ejus placitis dissentiam; aut loquar, quod taceri ipsa vult. Jussit me illa bono esse animo: pergerem alacriter: fuisse quidem, rebus nondum satis exploratis, qui censerent; imponendum Paulo silentium, qui ductus Zelo non secundùm scientiam altiùs, quàm res posceret, exclamâsset. Aliud tamen subinde aperuisse diem, nec mitiùs fuisse clamandum contra fures & lupos, qui Quietis sub schemate turbas ciebant, & lectissimo Christi Gregi stragem gravissimam, innocentibus tecti exuviis, inferebant. Magnas deberi gratias Paulo, qui inter primos retexisset fraudem, & vel suo cum periculo perniciem amoliri studuisset. Interesse Orbis Christiani, non nescire & malum quod imminebat, & mali remedia. Sic animatus non destiti à cœptis. Perrexi interpretari stylo, quem argumentum videbatur poscere. Vocibus usus sum receptis apud Ascetas & Theologos; ne rem satis obscuram intricarem amplius, & obscuriorem redderem. Sic visum mihi, & puto, etiam aliis. Moneo etiam, ne suspecta tibi fides mea sit, me non semel S. Salesij, S. Teresiæ, & aliorum verba ex Italico Authoris tantùm quàm candidissimè latinè reddere conatum. Editiones latinæ eorum operum ad manum non erant. Unde mea, non aliorum verba, tibi appendo, fide optimâ; quam si probas gaudeo, tuâ magis, cujus commodo laboravi, quàm meâ causâ: nec enim aliud hîc spectavi, quàm tu ut fieres melior.*

*DEUS semper magis gloriosus.*

Intro-

# Introductio ad Quæstionem.

## *An præstet Animas ducere per viam Meditationis, an verò per viam Contemplationis?*

HAud facilem sanè provinciam imponis mihi, Amice carissime, dum tam crebrò, tamque vehementer me urges, ut meum tibi sensum patefaciam circa Controversiam, nuper adeò apud vos ortam inter varios, quos nôsti, Animarum Duces, seu Patres Spirituales; quorum aliqui affirmant; generatim loquendo, expedire, ut Animæ in Spiritu per viam Meditationis dirigantur: aliis vicissim afferentibus, tutiorem esse viam Contemplationis.

Quomodo in mentem venire tibi potest, ut in causa tam gravi idoneum me judicem existimes? Qui pro Meditatione stant, ad tribunal hominum & doctorum & proborum se non inviti trahi patiuntur; non perinde hoc eorum pace fit, qui pro Contemplatione pugnant. Desiderant isti judices non doctos tantùm & probos, verùm etiam expertos. Unde etsi fortè amor, quo me complecteris, imponere tibi potest, ut me, qui non sum, & doctum & probum existimes, non tamen ille sic fallere te poterit,

ut me etiam expertum ea in exercitatione reputes, cujus ſpecimen me tibi nunquam præbuiſſe certum eſt. Si tamen animum meum eâ, quâ tecum uti ſolitus ſum, ingenuitate aperire neceſſe eſt; non mihi probatur; quòd Authores illi, quorum mihi libros hac occaſione miſiſti, in ſuorum præfatione operum ut principium certiſſimum ſupponant; Indoctos de eorum doctrinis pronuntiare non poſſe, eo quòd eas non intelligant, Doctos verò propterea, quòd eas non ſint experti. Hoc equidem aliud non eſt, quàm velle ſibi ſemper patere aſylum, ad quod ſe recipiant, ſiquo fortè caſu argumentorum & rationum vi de ſua ſtatione dejicerentur.

Experientia utiliſſima quidem illa eſt, fallax tamen, maximè in rebus, in quibus verſamur, quæ non phyſicæ ſed morales ſunt, eâque causâ ſummæ varietati obnoxiæ. Præterquam quòd divina Gratia tam multos mirabilésque modos habet humanis in cordibus operandi, eósque tam inter ſe diſſimiles atque diverſos, ut Gabriel inde occaſionem ſumpſerit, non improbandâ exaggeratione ſcribendi; tam multiplex mente orandi genus eſſe, quàm multæ ſunt mentes. Denique an non videmus illos ipſos, qui Contemplationi dediti ſunt, multis in rebus inter ſe diſcordes eſſe? quorum ergo ex iſtis expertis, tam inter ſe diſſentientibus, judicio ſtandum erit? Veteres illi Eremi inquilini dicere conſueverant. *Non eſt perfecta oratio, in qua ſe Monachus, vel hoc ipſum quod orat, intelligit.* Quid igitur perfecti Contemplativi explicare nobis poterunt, ubi ex illa ſublimi orandi ecſtaſi ad ſe redierint, de mentis ſuæ orando abſorptæ ſtatu, niſi ſpeciali quadam ratione DEUS id ipſis noſtro commodo propoſuerit? Accidit

Caſſ. Collat. 9. c. 31.

dit istis, proportione suâ, quod aliis tota nocte altissimo somno mersis, qui ubi manè evigilârint, dicere quidem possunt, se re ipsa suavissimè ac jucundissimè somniâsse; explicare tamen non possunt, virtute somnij, quid in statu tam jucundo mens illorum tùm fuerit operata.

Atque adeò cum in hâc causâ Experientia supremus arbiter esse non possit, necesse est id muneris deferre Doctrinæ; Doctrinæ tamen non qualicunque, sed virorum spiritualium, virorum inquam qui sinceri sint, & animi perturbationibus non obnoxij, qui suas opiniones tueri non velint, tanquam aquas suis cisternis contentas; sed eas tantùm, quæ tam multis retro seculis in Ecclesia DEI communes sunt habitæ. Hæ enim demum solæ limpidæ illæ aquæ sunt, quas nullo mali metu quivis securus bibat. *In illa die exibunt aquæ vivæ de Hierusalem.* Zach. 4. v. 2.

Ego igitur certus sequi vestigia virorum, quos modò laudavi, eorum inquam, qui partium studio in hac controversia immunes sunt, fide optimâ tibi, amico singulari, & quem plurimi facio, exponam quod sentio: quamquam hoc fieri non potest, nisi ratiocinatione in sua partitâ capita, quæ lucem omnibus dubiis affundat. Cùm enim nonnulli, quantum adverto, hac in materia id egerint, ut suis sophismatis aquam claram turbarent, nihil aliud rectiùs ad veritatem è fundo denuo expiscandam fieri potest, quàm ut turbida iterum clara reddatur.

(o)

# Pars I.

## Quæ viam monstrat ad agnoscendam veram originem discrepantium in hac quæstione opinionum.

## Caput I.

### *Extremum, ad quod declinant, qui animas volunt ducere per viam Meditationis.*

QUi id vitæ genus delegerunt, ut mercibns permutandis dent operam, facilè in alterutrum extremorum inter se pugnantium declinant: alij enim securitatem magìs quàm lucrum spectant: alij lucrum magìs quàm securitatem. Sic & Patres quidam spirituales faciunt in negotio, de quo tractamus.

I.

SUnt ex eorum numero aliqui, qui insolito aliquo eventu, quem sua maximè ætate vel auribus, vel oculis usurpârint, perterriti, mox atque de Oratione mentionem fieri audiunt, quæ paulò altiùs ordinariâ assurgat, consternantur; tam illam periculi plenam existimant. Atque hâc causâ conantur semper Animas tenere intra cancellos puræ Meditationis, sic ut miseræ nihil unquam agant aliud, quam ut trium facultatum, seu potentiarum internarum exercitatione se fatigent, Imaginatricis in formandis præludiis; Intellectûs in punctis, quæ dicunt; & Voluntatis in affectibus, facto discursui respondentibus; quando jam sine tali conatu aptæ sunt ad receptum interiorem, ad primum

primum commotionis ſibilum, aut nutum, quo DEUS eas à centro cordis ad ſe vocet, & trahat, efficatiùs quàm Paſtor ſibilo ad ſe trahat oviculas, in littore aut planitie aliqua oberrantes.

Iſti enimvero videntur ſecuritatem potiùs, quàm lucrum animarum ſpectare. Negari enim non poteſt, quin æquum non ſit Animas, poſtquam diuturnâ Meditatione dederunt operam, ut Fidei axiomata altè animo inſculperent, vitia extirparent, virtutes acquirerent; & diu Scholam illam frequentarunt, quæ ipſis in pulcherrima Chriſti Servatoris vita aperta fuit; ſi ſubinde illas DEUS à ratiocinatione abducat, illásque ſibi uniat, ut in iisdem ſine ullo medio operetur; æquum, dico, non eſt, eas impedire, & quibusdam quaſi compedibus vinctas tenere intra limites diſcurſus, quo eatenus uſæ ſunt. Nec enim hoc aliud eſſet, quàm obligare illas ad aurum magno labore è cavernis eruendum, dum benefico imbre in earum ſinum effunditur.

Facili negotio fieri poteſt, quòd DEUS illas his indiciis vocare velit ad illam Contemplationem, quæ *Infuſa* dicitur, ad illam inquam, quæ, cùm conſiſtat in arcano quodam commercio, quod medio amore intercedit inter DEUM & Animam, inter Animam & DEUM, alio etiam nomine *Myſtica* appellatur, Operationum nimirum tam occultarum, tam arduarum, quæ hac in vita experientiâ meliùs percipi, quàm exprimi poſſunt. *Arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Et licèt DEUS attollere illam non velit ad hoc Contemplationis genus, nihil refert.

Ipſa Meditatio ordinaria, poſt aliquod tempus, naturâ ſuâ producit illam Contemplationem, quæ dicitur *acquiſita*; illam dico, quæ ſimplici obtutu agnoſcit DEUM,

& cum DEO veritates illas certissimas, quæ priùs cùm labore investigabantur, eas admiratur, amat, iisque immoratur contenta, non aliter quàm alius quilibet in bono reperto acquiescit. Et idcirco hæc Contemplatio nemini non permittenda est; cùm in hac non contineatur periculum errorum, sed magìs in Quiete illa altissima, illis unionibus, visionibus, Raptibus, & aliis similibus modis Contemplationis, quæ plus quàm unquam *Mystica* appellatur, cùm sit tota quanta recondita.

Ceterùm quis tam sit audax, ut illis Animabus, quæ in oratione DEUM repererunt, prohibeat, quo minùs illo intus per affectum fruantur, illo se pro arbitrio oblectent? aut ut eas damnet ad quærendum illum per longam velut conclavium seriem, & ejus tanquam Regis sui alloquium petendum, dum Rex ipse suo in solio obviàm sese offert?

## II.

IN hos bene caderet illud S. Thomæ, in Opusculo de Beatitudine, quo nonnulli abutuntur ad damnandam omnem ratiocinationem.

Docet S. iste Doctor, sicut Beatitudo vitæ futuræ erit gaudere DEO, ita proportione suâ eandem debere esse Beatitudinem vitæ præsentis. *In hac vita continuò deberemus frui DEO, tanquam re plenissimè propria.* Et idcirco subjungit maximam esse aliquorum stultitiam, qui per omnem vitam magna solicitudine quærum DEUM multiplici studio, etiam Orationum prolixarum, inquietarum, importunarum; nec unquam se intra se ipsos recipiunt ad illo gaudendum magna tum tranquillitate, perinde ac si non ipsi es-

Opusc. 63. c. 3.

psi essent Templa viva, in quibus certissimò semper DEUM reperturi sint, tanquam domi suæ agentem: cum tamen, dum illum quærunt in Terra, in Aqua, in Aëre, in Firmamento, eum inveniant tanquam Regem in suo Regno, non autem tanquam Regem in sua Regia. Est hæc doctrina extra omnem controversiam posita. Et idcirco cùm animæ, ut sic loquamur, DEUM suum attentâ Meditatione in se ipsis repererint, permittendum omnino ipsis est, ut illo plenâ voluptatis Contemplatione gaudeant, eum admirentur, eum ament, illi gratias agant, seque cum ipso mediantibus actibus illis simplicibus, sive infusi illi, sive acquisiti sint, quos variè in interno illo suo recessu experiuntur, conjungant. Hâc autem doctrinâ non damnantur illi, qui in Oratione ratiocinantur, sed qui ratiocinationem ejusmodi finem suum faciunt. Quâ de causâ, postquam Angelicus perpendit magnam stultitiam non sine anxietate foris quærentis, quod summa facilitate invenire potest intùs, ita tandem concluſit. *Sic est etiam vita cujuslibet Justi DEUM semper quærentis, sed nunquam invenientis.* Non dixit simpliciter *quærentis*, sed *semper quærentis*, in hoc enim totum malum situm est.

Id unicè observandum, quod mortali hac in vita nunquam nobis concessum sit ita invenire DEUM, ut non necessarium nobis sit eundem semper quærere. Quid enim aliud innuit Psaltes Regius verbis illis. *Quærite Dominum & confirmamini, quærite faciem ejus semper?* Subtrahit se nonnunquam DEUS certo consilio aspectui carissimorum suorum, séque abscondit: quo alio fine, quàm ut requiratur? Hinc ipsa tum inquisitio plena est voluptatis. *Lætetur cor quærentium DEUM.* Sic ut de ipso adeò S. Thoma dubium sit, magisne ipse gauderet & frueretur DEO, an dili-

Psal. 104. v. 4.

Psal. 104. v. 1.

an diligentiùs jam possessum quæreret, cùm probè nôsset, veram hac in re esse regulam, quam apud S. Augustinum legerat: Quærendum DEUM, ut majori cum voluptate ipso frui liceat, & fruendum ipso, ut majori desiderio inquiratur. *Nam DEUS quæritur, ut inveniatur dulciùs; & invenitur, ut quæratur avidiùs.*

In Psal.

Proinde sicut Opusculum citatum, etsi sit valde subtile, à plerisque tamen pro legitimo S. Thomæ partu non agnoscitur, sed pro supposititio, ita non multum hac in controversia tanti Doctoris authoritas negotij facessere nobis debet. Animos potiùs addere nobis potest ejus exemplum, dum ipse semper, inveniendo quod quærebat, & quærendo quod invenerat, aliud in omni sua vita non egit, quàm ut facto ipso affirmaret, quàm consonum sit veritati, quod in Summa sua, quæ indubitata ejus partus est, docuerat: nimirum motus operationum, intellectualium, si rectè gubernantur, tam non perturbare quietem contemplantium, ut eam etiam constituant; *Motus operationum intelligibilium ad ipsam quietem contemplationis pertinent.* Et verò, quis unquam docuit, quod, qui meditatur, DEUM extra se quærat? Potest enim verò illum etiam intra se quærere, ut eum quærit, qui contemplatur, etsi ille labore majori. Quia tamen hoc ad finem propositum satis non est, æquum est nos perspecto uno extremo, quo hac in materia peccatur, etiam ad alterum transire, quod est veluti scopulus è regione situs.

2.2.q.180 a.9.ad 1.

)o(

Caput II.

# Caput II.

## *Extremum eorum, qui animas per viam Contemplationis ducunt.*

SUnt igitur alij Animarum duces, qui semitam è diametro oppositam tenent. Hi cùm intelligant, quantum lucri fiat per recessum quendam interiorem, vellent confestim, ut, quod experti ipsi sunt, id alij quoque perciperent: eâque causâ de Animarum, quas ducunt, securitate non nimìs soliciti sunt. Nam etsi istæ necdum satìs perspectam habeant viam, quâ inquirendus ipsis DEUS sit, quem tamen intra se habent, id efficere conantur, ut ipsum ante inveniant, quàm quærant. Atque ita non permittunt, ut vel principio suæ ad DEUM conversionis, & Spiritualis, quam ordiuntur, vitæ, Meditationi se dedant: aut certè mox atque advertunt, quòd hæ in Meditatione siccitatem quandam, aut fatigationem laboremque experiantur, abducunt illas à ratiocinandi via, perinde ac si siccitas illa, ille labor manifestissimum indicium sit, quòd DEUS in ipsis sine ipsis mira quædam efficere velit. Quia autem etiam parte aliâ observant, animas ejusmodi non esse idoneas ad Contemplationem, acquisitam operâ Meditationis, mox illas introducere volunt ad Infusam: præcipiúntque ipsis, ut omisso omni alio conatu & diligentia, quæ serviat ad ipsas præparandas ad Orationem, recipiant sese intra se tanquam ad centrum mediâ Fide, sed hac purâ putâ; omnibúsque dimissis imaginibus, omni facessere jussâ ratiocinatione, ascendant cum Moyse verticem montis Sinai, ut intrent in illam caliginem, in qua

DEO ineffabili modo tanto oblectentur ampliùs, quo minùs ipsum intelligunt.

Isti Duces videntur Animas non simplici discrimini exponere. Illud enim mente tenendum, ex populo tam
Exod. 20. v. 21. numeroso, non nisi unum ac solum Moysen vocatum esse ad sublimen montis caliginosi verticem: *Moyses accessit ad caliginem, in qua erat DEUS.* Minùs perfecti, ipsíque nimirum tam celebres *septuaginta senes ex Israël*, ascendere jussi sunt, sed non nisi ad montis medium; reliquum verò omne vulgus non tantùm ascendere permissum non est, sed ne quidem ad mentis radicem consistere.

Quanta igitur, quæso, fraus ista est, velle hodie tam multis ex plebe quodammodo infimâ, communem facere illam etiam Mysticam Contemplationem, tam rarò concedi solitam? Tantopere solicitus est DEUS, ut constet illam non omnibus esse communem, ut hâc ipsâ causâ præceperit disertissimè Moysi, ut ex illa, in quam erat ingressus, caligine prodiret, & ad montis pedem rediret; ad hoc indicandum Populo, protestationis genere tam terribili, tam serio, quàm unquam fieri posset, ipsam adeò trans-
Exod. 19. v. 21. gressuris mortem interminando. *Descende, & contestare Populum, ne fortè velit transcendere terminos ad videndum Dominum, & pereat ex eis plurima multitudo.*

Et tamen certa res est, Populum illum, etsi ascendisset ad montis jugum, non tamen quidquam cum Moyse de DEO visurum fuisse; neque quidquam aliud in sublimi illo vertice spectaturum, quàm fumum, nubes, nimbos, & horribilem tempestatem. Quin imò, ipsa illa præfidentia
Prov. 15. v. 17. fruendi DEI conspectu magno illi fuisset constitura. *Scrutator Majestatis opprimetur à gloria.*

II. So-

II.

SOlenne quibusdam est, afferre ad doctrinam suam affirmandam celeberrimum illum textum S. Dionysij, quo ad carum suum Timotheum ista scripsit. *Tu autem, Timothee carissime, pro maxima mysticorum spectaculorum exercitatione, quâ vales, prætermitte & sensus & mentis actiones, eaque omnia, quæ & sub sensum cadunt, & animo cernuntur, & quæ non sunt, & qua sunt omnia, téque ad ejus, qui omnem essentiam, omnémque scientiam superat, conjunctionem, & unitatem pro virili parte etiam excita.* De Myst. Theol. c. 1.

Hîc autem ante omnia observandum est, hoc nomen *Mysticæ*, etsi hodierno usu soli illi Contemplationi supernaturali tribuatur, quam etiam Infusam dicunt, non tamen ita illi proprium esse, ut non etiam naturali illi Contemplationi competere possit quæ *acquisita* dicitur. Et ratio est; quia hæc, etsi non sit tam ineffabilis, quàm illa, non tamen facilè, nisi ab expertis, cognosci potest: *Manna absconditum, quod nemo scit, nisi qui accipit.* Apoc. 17. v. 9. Atque ita videmus, sensus quosdam sacrarum Literarum mysticos dici, non quia nullo modo exprimi possunt, sed quia reconditi sunt; sic ut ad eos intelligendos satìs non sit hærere in cortice literæ; sed oporteat penetrare ad medullam, intra quam est spiritus.

Hoc posito, non est adeò certum, ut nennemo putat, quòd S. Dionysius exhortatus hîc sit Timotheum ad Contemplationem supernaturalem, non verò naturalem: quidquid enim hic ab eo desiderat, non in uno minùs, quàm altero Contemplationis genere exercitandum est. Suarez de Relig. to. 2. l. 2. c. 12. n. 19 & 26.

Quid enim re ipsa ille exigit? non exigit ulla ratione S. Doctor à Timotheo, ut non utatur Imaginatione, non

Intellectu, non aliis speciebus sensilibus, ut hinc aliqui arguunt, qui attollere homines volunt ad modum procedendi humano superiorem. Mille aliis locis ille asseruit, sine his agi nihil posse. *Impossibile est nobis aliter lucere divinum radium, quàm varietate sacrorum velaminum circumvelatum.* Jubet tantùm, non sistere in illis speciebus, sed eas transcendere, cùm nulla earum DEUS suus sit (ut tunc existimabat tam magna Mundi pars, quæ sub his illum sexcentis modis adorabat) sed omnes sint tantùm vela, quæ illum abscondunt: ita colligere licet ex eo, quod Sanctus addit, ad tam multos Idololatras alludendo. *Vide autem, ne quis eorum, qui non sunt initiati sacris nostræ Religionis, hæc audiat.* Atque hâc causâ vult ipse, ut Timotheus, neque facultate Imaginatrice, neque Intellectu, conetur fingere sibi DEUM quacunque figura possibili, sed ut omnes transgressus, obtutum ipse, tanto jam intervallo abjecta à plebe elevatus, figat in ineffabili illa, & incomprehensibili eminentia, quæ melius noscitur cogitando quid non sit, quàm quid sit. Et hæc est luminosa illa S. Dionysij caligo, aut lumen caliginosum; cognoscere DEUM superiorem omni illo quod vel imaginari, vel intelligere possit mens illius, qui eum contemplatur, atque ità nôsse eundem, ut non cognoscatur. *Illis veraciter lucet DEUS, qui omnium sanctarum summitatum ascensum transcendunt, cunctáque Divina lumina, & sonos, sermonésque deferentes, caliginem subeunt, ubi veraciter ille est super omnia.* Sed ista lux caliginosior omnibus tenebris, & istæ tenebræ clariores omni luce, communes sunt cuicunque contemplationi excellenti; etsi etiam in quacunque, plerisque idioma quoddam sunt, veneratione, quàm usu notius. Faciliùs multo intelligitur ipse S. Dionysius, ubi ait, ne se ipsum

Cap. 1. de cæl. Hierarch.

De Myst. Theol. c. 1

psum quidem unquam ausum obtutum rectà defigere in solem divinum, sed tantùm in radios ejus repercussos. *Nunquam nos tam magnum solem adversum intueri conati sumus.* De div. Nom. c. 3.

Hæc est prima responsio data ad textum tam insignem. Dato dein etiam, quod S. Dionysius contemplationis Mysticæ nomine intelligat quamcumque, pro cujusvis arbitrio, attendatur tantisper, quàm ille circumspectè eâ in re procedat. Hortatur ille ad hanc, non nego; sed quem? hortatur Timotheum jam exercitatum in eo orandi genere, & valdè expertum: *Tu autem pro maxima Mysticorum spectaculorum exercitatione, quâ vales.* Non hortatur quemquam, qui non pertigisset, ad exercitationem, quam dicit maximam: qui nimirum est error nescio usitatiórne, an major, qui in re nostra damnetur. Atque ita ex sententia & effato tam nobili colligi non potest, quod ad infusam Contemplationem quisquam impelli possit, sed solùm, quòd is qui jam à DEO ad eam admissus est, excitari possit, animari, & adjuvari. Aliter qui agit ad alterum extremum deviat, quod hoc capite damnatur.

# Caput III.

## *Via media, quam Sancti existimârunt inveniri posse, dum qui orat nunc contemplatur, nunc meditatur, pro ut hoc aut illud* DEUS *dederit.*

I.

SIcut aquæ bonæ illæ sunt, quæ currunt meliùs, sic & sententiæ. Statim apparet, quàm sit proficuum &

utile, ut currant sine obice. Ad hoc autem quid requiritur? requiritur, ut non aliter quàm aquæ, inter montes op-
Psal. 103. v. 10. positos medium iter teneant. *Inter medium montium pertransibunt aquæ.* Unde qui nostro in negotio rectè procedere vult, mediam inter extrema jam enarrata viam inveniat oportet. Et hæc est illa, quam Sancti nobis indigitârunt; conjungere in oratione Laborem Quieti pro ratione temporum. Si DEUS quietem dat, donando Contemplationem, illâ frui & se oblectare: Si non dat, laborare Meditando ad illam consequendam.

Et quoniam aquarum exemplo uti cœpimus, ego ad viam ejusmodi explicandam nescio quid facere melius possim, quàm ut utar illâ similitudine tam illustri, quâ S.
Vitæ c. 22. &c. Teresia in re præsenti usa est: aquæ scilicet pluviæ, aut ex puteo, etsi non æquali semper labore, haustæ. Ut enim stultum est, cùm pluit, aquam ex puteo haurire velle ad plantas horti mei irrigandas: sic antequam cadat pluvia, aut cùm pluere desierit, quid mali est, si paritum modo ad puteum recurram ad illud obtinendum, quod cælum mihi negat? Ecquid hac similitudine innuere volo?

Sunt hodie nonnulli, non dico omnes, ex mysticis his animarum Directoribus in via Orationis, qui contendunt, perfectum Contemplativum tam procul debere esse ab exercitatione & usu trium facultatum interiorum, ut paratus esse debeat ad tolerandam potiùs omnem ariditatem & siccitatem, quàm ut earum operâ utatur, sicut illâ utuntur Meditantes: earum enim operâ uti velle, si Magistris his credimus, aliud non est, quàm adhærere velle rei sensili, ad fugiendum omne quod molestum est.

Hoc autem mihi tam absurdum videtur, ut tenui meo judicio errorem reputem. Videtur enim mihi aliud non esse,

esse, quàm prætextu abstractissimæ perfectionis tollere proximam & propriissimam nostram cooperationem, quæ à nobis in omni opere divino requiritur. Unde audito isto loquendi modo ita me sensi moveri, perinde ac si jam jam virentibus sub herbis latitantem serpentem retexissem.

Non oportet, cùm DEUS cordi se nostro non infundit, confugere ad facultatum interiorum exercitationem ut humanæ nostræ propensioni satisfaciamus, cui ejusmodi siccitas molesta est: demus hoc: oportet tamen ad illam confugere eo tantum fine, ne omittamus oportunè aquam haurire ex puteo, quando pluvia terram non humectat, id quod solertibus hortulanis solemne est.

Si neque pluit, neque quocunque nostro conatu aquæ quidquam extrahimus, tum enimvero toleranda est fortiter quæcunque ariditas, quæcunque siccitas, neque idcirco ab Oratione est desistendum, perinde ac si oleum tum & operam perderemus: quod enim tolerando faciemus lucrum, tantum erit, ut DEUS occultis modis tum terram cordis nostri plus sit fœcundaturus, quàm ullius aquæ beneficio, quæ cælo ad nostrum arbitrium delaberetur.

Ceterùm quomodo damnari potest, si cessante beata illa mentis suspensione, quæ communi cunctorum confessione brevi durat tempore, suis ordinariis actibus homo suppleat beatos illos influxus & impressiones, quas tum DEUS retrahit? quam enim orando experimur sterilitatem, ferre quidem debemus coacti, non tamen eam eligere; tanquam veræ Devotioni penitus adversantem.

Si causam quærimus præcipuam Devotionis, quam experimur, eam docet S. Thomas esse DEUM, qui ex indevotis devotos potest reddere, modò ipse velit, mutando rupes in rivos. Hæc tamen, ut idem Doctor adjungit,

causa

causa est extrinseca: *Causa Devotionis extrinseca* DEUS *est.* Intrinseca, etsi minùs præcipua, illa est quæ nostra ex parte se tenet: & hæc est Meditatio, seu Contemplatio. 2.2. q. 82. a. 3. *Causa autem Devotionis intrinseca ex parte nostra oportet ut sit Meditatio, seu Contemplatio:* cùm non possit voluntas promptam paratámque se divino offerre obsequio (in quo Devotio consistit) nisi illam Intellectus corroboret opportunis considerationibus, quæ, si Sanctus hic non erravit, ex parte DEI sunt Miserationes illius ac Merita, quæ faciunt ut illimet adhæreamus: nostra verò ex parte sunt nostræ malitiæ, nostræ miseriæ, quæ faciunt ut intus in animo nos abjiciamus. Quare cùm homo inter Orandum non potest his uti considerationibus Contemplando, quia non pluit: nec uti illis vult meditando, quia non dignatur haurire aquam ex puteo operâ suorum brachiorum, quid tum ad Devotionem excitandam supereſt? id scilicet unum, ut DEUS tanquam causa extrincesa operetur solus, & rupium sinum pandat. Hoc autem velle idem est, quod aliis vocibus appellamus, Tentare DEUM.

Et tamen hoc quilibet tanto studio cavere debet, ut Cajetanus, singulari pietate allatum locum explicans, inde collegerit necessitatem, quâ quisque obligatur ad tribuendum quotidie piis his considerationibus certum temporis spatium; nec dubitârit pronuntiare, indignum esse nomine Religiosi, aut Religiosæ, quin & hominis spiritualis, quisquis id facere prætermittat. Verba ejus sunt. *Religiosi aut Religiosæ, seu Spirituales etiam nomine vocari non possunt, qui saltem semel in die ad hujusmodi se non transferunt.* Et ratio est, quia nisi id fiat, exigit homo, ut solus tum Deus in animo Devotionem aut excitet, aut excitatam conservet. Hoc tamen malè fit. Necesse est causæ extrinsecæ junge-

jungere etiam intrinsecam: unde non dicit Angelicus *Causa autem Devotionis intrinseca est Meditatio, seu Contemplatio*: sed, *oportet ut sit*: quia est necessaria. Verum quidem est, quòd non dicat, *Meditatio & Contemplatio*, sed *Meditatio, seu Contemplatio*: disjunctivè: neque enim omnes apti sunt ad contemplandum, maximè quotidie. Sed qui ad contemplandum aptus non est, saltem meditetur; neque contentus sit hærere in Oratione instar Olitoris obstinati, qui malit videre plantas exarescere, quàm brachiorum operâ aquam ad eas irrigandas ex puteo haurire. Prô! quàm omni in negotio tuta est via media! *Prudentia dat vocem suam*, si Sapienti fides, *in mediis semitis stans.* Prov. 8. v. 2.

## Caput IV.

*Respondetur objectioni, quâ nonnulli hodierni tentârunt claudere viam mediam, docendo, quòd, quisquis aliquando vocatus à DEO est ad contemplandum, nulla deinceps ratione ad meditandum redire debeat.*

I.

NOn defuerunt, qui rationis & argumenti allati vim caperent: eam tamen ut eluderent potiùs, quàm superarent, responderunt: verum Contemplativum debere potiùs omnem in oratione ferre arriditatem, quàm ut quoquo modo meditetur, ne de statu deficiat ad statum. Id quod vetat S. Paulus: *Unusquisque, in qua vocatione vocatus* 1. Cor. 7. v. 20.

*catus est, in ea permaneat.* Quare sicut Cappuccinus ob eas, quas in statu suo patitur difficultates, non debet redire ad statum priorem Ordinis, seu Militaris, seu Monastici, seu Clericalis, à quo ad horridam illam vestem transiit; sed ejus vestis molestias ferendo superare; sic qui manifestis indiciis à DEO vocatus est ad Contemplationem, maximè habitualem & permanentem, non debet ob eam, quam per intervalla patitur, ariditatem desistere à cœptis, & abjectæ Meditationi se dare: id enim tepiditatis, inconstantiæ, & infidelitatis, de statu ad statum revertentis argumentum esset.

Laudetur JESUS, qui me tali responsione reperta, beavit summa quadam luce ad aperiendam scaturiginem, ex qua hodie tam multum aquæ turbidæ exundat.

Itane redire ab actu ad actum, vocetur redire de statu in statum?

Et quis unquam in Mundo omnibus retro seculis audivit, eos qui meditantur, & eos, qui contemplantur tam diversis in statibus versari, ut de iis non dicam loqueretur, non dicam cogitaret, sed somniaret Apostolus, quando scripsit: *Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat?*

Quin imò Meditantes perinde ac Contemplantes eodem in statu sunt, tam propriè ac verè, ut ex accidenti solùm inter se differant. Neque enim Contemplatio est, nisi species quædam orationis in gradu altiore, quàm sit Meditatio: in qua, quantum ad Intellectum spectat, additur ejus actibus major quædam unitas, comprehensio major, & major claritas: quantum autem ad voluntatem, additur tantùm major fervor, qualis est ferri extracti è fornace, compa-

V. Suarez to. 2. de Relig. l. 2. c. 9. n. 13.

comparati cum alio, quod in minore prunarum cumulo excanduit.

Erítne ullus, qui asserat, Contemplantem vel tantillum deficere & recedere à suo statu, ubi deditâ operâ sacras litteras legerit, earum sensum rimari, libros scribere, maximè ad spiritum pertinentes, studuerit, quod fecerunt S. Augustinus, S. Anselmus, S. Bonaventura; & tam multi alij illustres Doctores? non equidem crediderim. Igitur neque affirmari poterit, quòd ille vel tantillum à status sui perfectione recedat, qui nonnunquam cùm arida mens est, meditatur: nisi velimus dicere; illum quoque à statu ad statum regredi, qui cùm certa in occasione efficere non possit opus Perfecti, mavult perficere opus Proficientis aut Incipientis, potiùs quàm planè otiosus residere. Putamúsne S. Augustinum, aut S. Anselmum, aut S. Bonaventuram, qui tam excelso Contemplationis dono prædíti erant, non descendisse sæpiùs ad meditandum etiam post Raptus, quibus in ipsum adeò cælum erant subvecti? Meditatio ferme Contemplationem generat; & Contemplatio Meditationem semper ampliùs nobilitat; nec auditum unquam est, inter ipsas vel minimam æmulationem, aut dissensionis umbram extitisse, tantum abest, ut interno támque intenso inter se rancore dissiderent, ut manum sibi mutuo porrigere, & quidquam commoditatis afferre obstinatè renuant.

## II.

STandum igitur est judicio S. Teresiæ, quæ in similitudine supra adducta non agnovit distinctionem illam recèns excogitatam status, cui nunquam deest pluvia, & status, qui nunquam non cum labore aquam haurire de-

beat: Atque hâc causâ sine exceptione sic pronuntiavit. In Vita sua. c. 18. *Si DEUS nunquam non daret tantum cælitus aquæ, quantum necessarium est, palàm est, quanta in quiete agere posset hortulanus. Sed quia quamdiu mortalem hanc vitam ducimus, id fieri nequit, oportet animam semper vigilare, & solicitam esse, ut unâ aquâ deficiente alteram procuret.* An clarioribus Sancta verbis uti unquam potuisset?

Tanto igitur intervallo illa abfuit à cogitatione tam ignobili, qualis est, existimare aut Contemplationem Meditationi, aut hanc illi inimicam esse, ut cùm ab excellenti Contemplativo, qualis fuit S. Franciscus Borgia, hoc monitum accepisset, ut etiam extra casum siccitatis, solo demissionis studio, orationem à Meditatione ordiretur, subinde autem à DEO se ferri sineret, quocunque huic esset collubitum; non ipsa solùm documentum tam pium usu suo secuta sit, sed idem etiam alios docuerit.

Quis proinde unquam sibi persuaderet, posse inveniri aliquem, non quidem ex ejus filiis, quod sciam, tam cautis & consideratis, ex laudatoribus tamen ejusdem, qui eò progrederetur, ut doctrinam è diametro oppositam traderet? Et tamen est hodie nonnemo, qui audaci calamo chartis committere non dubitavit generale hoc axioma. *Qui vocatus est ad Contemplationem aut ordinariam, aut infusam, non se abjiciat ad Meditandum prætextu demissionis; cùm non desint mille alij se abjiciendi modi, quin eatur extra limites proprij status.* Et interrogatus, ut ediceret, tamquam Director, an saltem hoc facere liceat in summo spiritus languore? respondit, ne tum quidem. An tempore turbationis? neque tunc: an tempore tentationis? nec hoc. Adeò hodie Princeps aliqua, suorum cæteroquin amantissima, qualis est Contemplatio, odio implacabili matrem

ipsam

ipsam suam aversatur. Meditationem inquam illam ipsam, quâ progenita est; perinde ac si ista natalibus sit tam sordidis, ut ipsa ejus filia omne cum ipsa commercium fastidire debeat.

Sed quæ DEI est providentia, non deest Bernardus aliquis, qui ablatam injuriâ existimationem ipsi reparare paratus sit. Hic omnibus, in Asceteriis maximè degentibus, cupiit scalam quandam constructe, illi non dissimilem, cujus species Jacobo dormienti objecta est; per quam sensim eniti possent ad fruendum DEO, conjunctione perfecta. Absolvit autem eam quatuor gradibus. Primus fuit, Lectio librorum Spiritualium: Secundus Meditatio eorum, quæ lecta fuerunt: Tertius affectus eliciti ex iis, quæ meditati sunt, desideria, petitiones, supplicationes, quæ ille Orationis titulo complexus est: quartus Contemplatio alta ac sublimis. Quid tamen ille docet? an ut quisquis ad hanc evasit, nulla vel prece, vel pretio induci se sinat, ut denuo descendat, nisi momento illo ipso excidere velit suo statu; sed ut potiùs in suo Contemplationis fastigio ferat omnem ariditatem, omnem siccitatem, omnem possibilem spiritûs languorem? alia planè omnia. Imò asserit, quando Contemplaturus aut advertit subtrahi sibi, ut solet, lucem, in qua ceteroquin versari consueverat, aut illi porro ferendæ imparem se sentit, descendat, & si Contemplatio non suppetit, orando se juvet: Si neque Oratio procedit, meditetur: si neque Meditatio procedit, lectionis ope utatur: atque ita nunc sursum, nunc deorsum vadat, certus se à summo culmine tanto propiùs abfuturum, quanto longiùs recedit ab infimo. O doctrinam, ab illâ, quam dixi, discrepantem! & tamen hæc melliflui Doctoris est, en ejus verba. *Cùm verò mentis humanæ*

S. Bern. de Scala Clauſtr. *acies infirma, veri luminis illuſtrationem diutiùs ſuſtinere non poteſt, ad aliquem trium graduum per quos aſcenderat, leviter & ordinatè deſcendat, & alternatim modò in uno, modò in altero, ſecundùm motum liberi arbitrij, pro ratione loci & temporis demoretur, tanto jam DEO vicinior, quanto à primo gradu remotior.* Prô, repeto, doctrinam diſcrepantem!

Et hæc eſt ſana illa doctrina, cui confeſtim animus cujusvis acquieſcit. Illa altera, quòd quis ſemper ſupremo in culmine hærere poſſit; aut non creditur, aut exanimat, aut ſtupore quodam afficit, aut potiùs inducit ad judicandum, præſtare ſiquis eò non aſpiret. Sed abſit iſtud. Eum in finem confecta ſcala eſt, ut ejus ope & deſcendatur & aſcendatur. Neque ſit, qui putet, non niſi tum ſe Angelum eſſe cùm aſcendit; ſed etiam Angelum ſe eſſe cùm deſcendit. In ſcala Jacobi an non ſemper iidem erant Angeli? Et tamen ipſi nunc ſurſum, nunc deorſum ibant, nec ideo ſtatum mutabant: neque enim ad hanc usque diem latam intelleximus legem hanc, cujus gratia nullî fiat; ut quisquis vitæ Contemplativæ ſe dedit, nullum unquam faciat opus, quod vitæ activæ proprium ſit: neque qui activam profitetur, unquam agat aliquid, quod ad Contemplativam pertineat. Quin imò cuncti ſummis laudibus efferunt vitam mixtam, ſcalâ illâ mirabili, quæ Jacobo monſtrata eſt, repræſentatam.

Neque ad rem eſt, quod alius quispiam reſpondet; quòd ſicut ubi ad portum navis appulſa eſt, ceſſat Navigatio; ſic quando Animus meditando feſſus, quod ante factitabat, pervenit ad quietem Contemplationis, debeat abſtinere, omni ratiocinatione, quin jam curet aliud præter purum intuitum præſentis DEI. Siquidem S. Petrus de Alcantata, ex quo, ut apparet, ſimilitudo iſta deſumpta

pta est, non id spectavit, ut loqueretur de Portu, quem semel ingressus nunquam porro desereret. Neque enim his in terris ejusmodi portus est, si Sanctis fides, qui ad illum tantopere aspirârunt, tam sedulò explorârunt, ut tandem quiete deinceps non perturbanda potirentur: nec tamen illum nunquam, aut uspiam invenerunt: sed de illo tantùm Portu loqui intendit, in quem per vices intretur. Hinc dicit ipse, debere tunc animam acquiescere in simplici DEI aspectu, non quidem suaviter rejiciendo omnes alias imagines (id quod alter ille pro sua singulari humanitate adjungit) gaudendo tamen illo affectu amoris, aut admirationis, aut gaudij, quem tum in animo experitur. Imò in suo illo documento id propositum Sanctus habuit, ut ostenderet, quomodo in Oratione Meditationi conjungenda sit Contemplatio, ex ipsismet scalam nobis construendo. Et sicut ipse principio articuli affirmavit, quòd ab una ad alteram transeundum sit, sic sub finem ejusdem articuli docet, ab hac ad illam redeundum: id quod tunc præcipuè sit observandum, qnando affectus in Contemplatione tam esset vehemens, ut valetudinem lædere posset. Tunc ille monuit, dimisso illo affectu intenso, resumendam Meditationem de Cruciatibus Christi Servatoris, aut de nostris defectibus ac miseriis, ut hac ratione Animus nonnihil respiret potiùs, quàm penitus opprimatur. Nec scio Sanctorum quemquam scripto tradidisse unquam admirabilem hanc doctrinam, quòd quisquis semel dignatus dono Contemplationis, redierit ad Meditationem, debitum ordinem perturbet, inconstans, perfidus fit, ut insipienter de statu ad statum deficiat. Sit sanè Contemplatio Portus, ad quem naviget qui meditatur; sit etiam nonnullis Portus stabilis, firmus, & finalis: an tamen à statu

ad

ad ſtatum remigrat Mercator ille, qui nonnunquam ſuo commodo, ſuo ſolatio & animi remiſſione, aut alio quocunque fine Portum deſerit, & eò proram iterum dirigit, unde erat profectus, animo tamen ſubinde ad amatum Portum redeundi? Cur igitur vice verſa à ſtatu redibit ad ſtatum, qui à Contemplatione redit ad Meditationem, etſi Contemplatio Portus eſt, & meditari Navigatio?

## Caput V.

*Manifeſtum fit, fundamenta quibus nonnulli hodie Aſcetæ nituntur in hoc Contemplationis & Meditationis negotio, aliud non eſſe, quàm leges arbitrarias ab ipſiſmet propoſitas, ſuæ tantummodo opinioni adſtruendæ.*

I.

AD vitium noxiorum germinum manifeſtandum perveniri non poteſt, niſi ipſa adeò eorum radix è terra ſtirpitus effodiatur; nec tædere quemquam debet, illud aliorum oculis exponere, ubi de publico bono agitur.

Hoc poſito, dicam fide & ſinceritate optima, quod mihi videtur; paratus tamen ſemper retractare, & mutare ſententiam, ſi à vero aberravero.

Varia documenta à S. Tereſia, magna Spiritûs Magiſtrâ, & aliis magnæ exiſtimationis Authoribus in genere Orationis tradita ſunt. Subinde autem alij nonnulli, fines, intra quos dicta Sancta ſapienter ſe tenuit, longè transgreſſi,

greſſi, imò obverſo illi palàm tergo, ejusque ſcholâ deſertâ, conati ſunt Legum quoddam volumen in lucem dare, quas quisquis ſervâſſet, ſine omni dubio ad Contemplationis apicem evaderet: quod volumen proportione ſuâ reſponderet illi, quod vocamus Juris Canonici, Corpori, & Corpori Juris Civilis. Hoc autem Legum iſtarum Volumen, ſeu Corpus, ſi ad illam tantùm Contemplationem referretur, quæ Acquiſita dicitur, paulatim authoritatis aliquid conciliare ſibi poſſet. Sed dum ad Myſticam quoque extendere ſe ſtudet, temerarium videtur: neque enim DEUS in operibus quæ ſupra omnes naturæ vires efficit, quales ſunt animi quædam illuſtrationes admirandæ, Vaticinia, Prodigia, & alia dona purè putè gratuita, ullis ſe Legibus adſtringi patitur. *Dividit ſingulis prout vult.* 1.Cor.12. v. 11. Hinc eſt, quòd conari mediis quibusdam certis ac regulis evadere ad apicem ſummæ Contemplationis, & intimam illam cum DEO conjunctionem, tam incognitam, ut idcirco Myſtica vocetur, labor ſit, qui expertis nihil proſit, ſunde & Doctores Sancti per omnium retro ſeculorum curſum tam animosè eum aggredi auſi non ſunt, perinde, ac ſi hoc aliud non foret, quàm ſuperare columnas Herculis) non expertis autem & rudibus ſemen eſſe poſſit, etſi id non agatur, mille deceptionum. Aliud enim eſt enumerare mirabiles & prodigioſos agendi modos, qui inter DEUM & Animam tali in ſtatu intercedunt, ſicut eos enarrârunt S. Tereſia, S. Bernardus, S Bonaventura, S. Franciſcus Saleſius, & alij hujus claſſis; aliud leges præſcribere, quibus certò ad talem familiaritatem perveniatur: perinde ac ſi ad eam admitti ſit artis opus, & non meri favoris ac gratiæ.

In cartis Hydrographicis ſolent indicari altitudines Poli locorum per quæ tranſeundum, portus, promontoria, loca arenoſa, ſcopuli, ſaxa, & ſexcenta alia, in quæ incurri poteſt pericula, ut ea navigantes omnes eodem modo vitent. Sed quis unquam leges certas præſcripſerit, quando & ubi explicanda vela ſint, quando complicanda? Has non niſi cùm res ipſa poſtulat nôſſe oportet in uſum redigere, cum dependeant à ſexcentis diverſiſſimis circumſtantiis ventorum, velorum, navium, marium, procellarum, viarum, quæ tenendæ ſunt.

Non aliter res ſe habet cum regulis, quæ dantur ad Orationis ſublimis cacumen aſſequendum.

## II.

ET tamen ad tradendas has leges, non remotas tantùm quæ præparent, quales ſunt Mortificatio pravarum propenſionum, animi demiſſio, obedientia, & aliæ ejus generis, ſed etiam proximas, progreſſi ſuut novi iſti quos dixi, Legislatores, ad duplicem quodammodo rempublicam conſtituendam, unam Meditantium, alteram Contemplantium. Atque de hac duplici Republica locuti ſunt tanquam inter ſe pugnante, quæ regi non poſſet utraque eodem Corpore Juris communis: nec attendere voluerunt, quòd re vera hæ non ſint duæ Reſpublicæ, ſed una ſola, cùm earum actiones ſæpe invicem permutentur: neque enim pro mera libidine adſtruendum, eos qui meditantur, non etiam ſæpe alta Contemplatione abſorberi; multos verò eorum qui Contemplantur, non ſæpe ac piè ad meditandum reverti. Id enim ſi ita non eſſet, quid dicendum de Sponſa in Canticis, quæ etiam poſtquam in cellam vinariam

riam fuerat introducta, Regium suum Sponsum vel in pu- Cant. 1.
blicis urbis plateis quæsivisse legitur? Unde colligi necessa-
rio debet, prodiisse illam è Cella illa non jam ebriam, sed Cant. 2.
sibi præsentissimam, & omnium quæ agebat consciam.

Affirmare igitur oportet ad liberandos errore illos, qui legere quidem nôrunt, sed non discernere, Legum ejusmodi nonnullas, ut mihi quidem visum est, certissimò esse merè arbitrarias. Et ut intra certa me capita teneam, vocabo tantùm ad Examen præcipuas, quæ ad tres revocantur: prima versatur circa objectum Contemplationis: altera circa Modum contemplandi, & tercia circa finem, quem præfigere sibi Contemplans debeat. Conabor has expedire quàm breviter ac paucis possum: his enim profligatis patebit manifestè, Meditationem ac Contemplationem non solùm non esse inimicas, quas inter pax sperari non possit, quales illas hodie nonnulli rudibus repræsentant, sed ambas ut cultu, sic animo & corde conjunctissimas esse.

# Pars II.

Quæ continet diversas leges arbitrarias, quas circa Objectum Contemplationis, Modum in ea tenendum, & Finem, quem spectare Contemplans debeat, Novi aliqui Magistri statuerunt, ut his evincerent, Meditationem cum Contemplatione in eo, qui ad Contemplandum vocatus sit, conjungi non posse.

## Caput I.

*Discutitur Lex, quam aliqui statuunt circa Objectum Contemplationis, asserendo, id esse solum DEUM purum purissimum sub conceptu quàm fieri possit abstractissimo.*

I.

NIhil fortassis est, quod perinde obsit consequendis ab aliquo Principe gratiis, quàm Artificium, quo ad illas obtinendas uti quis velit. Ut enim istæ libenter conferuntur meritis, tolerantiæ, precibus, submissioni, ita non minùs promptè ac libenter negantur artificio; quod si non est ipsa fraus, est tamen huic longè simillimum. Unde si hæc norma tenenda est ut manifesta, quando agitur cum Principibus hujus Mundi, quanto magis talis habenda est cum Principe Cæli? Principes nostri perspicaci admodum intellectu sunt; habet tamen hæc perspicacia suos

ſuos limites: vnde fieri nonnunquam poteſt, ut artificium latens non agnoſcant; DEUM hoc latere nunquam poteſt. Quis proinde erit, qui admiſſus à DEO velut ad alloquium in Oratione, ſperet conſequi favores ſingulariſſimos; quibus mediis? non ſolitis, quæ in Oratione mentali ſervantur, regulis, ſed inſolitis, ſed illis, quæ procul abeunt à trita ſemita, quam nobis Sancti monſtrârunt. Sunc enimvero Regulæ iſtæ artificiales. Veræ cum DEO agendi regulæ ad unam omnes revocantur: ut cum ipſo agatur apertè & ſine fuco. *Voluntas ejus in iis, qui ſimpliciter ambulant.* Et tamen ſi diligenter inſpiciantur leges illæ ſingulares, quas ego hîc ad examen vocare cogito, quæ ad Contemplationem præcipuè ſublimen pertinent, apparebit, omnes in id conſpirare, ut arte obtineatur illud donum, quod nec quidem ullis rectè factis, ulli tolerantiæ, ullis precibus eſt debitum: quin imò nec quantæcunque ſimplicitati & ſinceritati, quâ quis orando utatur; usque adeò illud planè liberum atque indebitum eſt. Et quid aliud hoc eſt, quàm arte velle efficere ut pluat? Eſt aliquod pluviæ genus, quod plurimum pendet à vaporibus convenientibus, qui è tellure ſurſum enituntur: huic modo quodam ſimilis dici poteſt Contemplatio illa ordinaria, quæ ſenſim obtinetur conſtanti meditandi exercitatione. Et eſt aliud pluviæ genus, quod ab his vaporibus nullo modo pendet. Et huic comparari debet illa alia Contemplatio, quæ Infuſa dicitur. Si proinde nec primum illud pluviæ genus, quod cum labore noſtro proportionem quandam habet, artis beneficio obtineri poteſt, quanto minùs alterum, quod tam nullam habet cum noſtro conatu habitudinem ac proportionem? hæc eſt illa pluvia, cui maximè voluntariæ no-

Prov. 11. v. 20.

Psal. 67. v. 10. men respondet, *Pluviam voluntariam segregabis DEUS hæreditati tuæ.*

Nunc ut ad primum trium istorum capitum, ad quæ leges, de quibus nobis sermo, revocantur, revertar; docent isti, Objectum perfectæ Contemplationis, non jam esse DEUM sub quacunque imagine & conceptu, tam fertili & fæcundo, quos Sanctorum exemplo quilibet animo informare potest pro arbitrio; sed solum DEUM sub conceptu quàm fingi possit abstractissimo. A que ita respiciendus est DEUS nudus, simplex, purus, & separatus nostro in animo non solùm ab omnibus quæ ipse fecit, quamquam tam pulchris, sed etiam ab ipsis suis excelsis attributis, à Sanctitate, à Sapientia, à Misericordia, à Providentia, à Potentia, à Felicitate: his enim mentem applicare velle, est velle satisfacere sensibili, quod amat varietatem: non est velle contemplari perfectâ quadam ratione: tali enim ratione contemplatur, qui solum illud sibi objicit, quod Moysi dixit DEUS verbis illis: *Ego sum qui sum*: quæ simul ab omnibus divinis attributis abstrahunt, & simul omnia complectuntur, abstractione quadam penitus spirituali.

Veneror hanc legem. Sed quis eam tulit? citatur S. Thomas in Summa. Ille tamen loco adducto hoc non dicit: en ejus verba. *Principaliter ad vitam contemplativam pertinet contemplatio divinæ Veritatis; quia hujusmodi contemplatio est finis totius humanæ vitæ, quæ quidem in futura vita erit perfecta, quando videbimus eum facie ad faciem, undè & perfectos Beatos faciet. Nunc autem contemplatio divinæ Veritatis competit nobis imperfectè, videlicet per speculum & in ænigmate: unde per eam fit nobis quædam inchoatio beatitudinis, quæ hîc incipit, ut in futuro continuetur.* Sed

quia

*quia per divinos effectus in DEI contemplationem manuducimur, secundùm illud*: Invisibilia DEI per ea quæ facta sunt, Rom. 1.
intellecta conspiciuntur: *inde est, quòd etiam Contemplatio divinorum effectuum secundariò ad vitam contemplativam pertinet, prout scilicet ex hoc manuducitur homo in DEI cognitionem.* His sanè ex verbis non apparet, ex mente S. Doctoris, Contemplationem perfectam ab imperfecta ex objecto differre; planè enim utrlusque objectum idem est. Illud tantùm cum S. Augustino affirmat Angelicus, perfectam contemplationem in cælo inveniri, ubi Beati DEUM vident, qualis in se est, purissimum, simplicissimum, plus quàm sol, ubi suos inter splendores nudus radiat. Omnem autem, quæ in terris habetur imperfectam esse; neque enim hîc DEUS videri in se ipso potest, sed solis instar tantùm in splendore à suis speculis repercusso.

Næ ista loquendi ratio longè aliter sonat, quàm Magistrorum nostrorum verba. Quomodo igitur hac nixi doctrinâ tam non timidè definiunt, nunquam me perventurum ad Contemplationis perfectionem, nisi constanter defigam obtutum in DEUM in sua natura purum purissimum adinstar Aquilæ illius grandis magnarum alarum? Non attingam illum apicem, ad quem in cælo Beati evecti sunt, hoc nemo nescit: sed cur, miscllus ego, non eò usque saltem enitar, quousque mortalibus concessum est? Prô quàm longè aliter se hîc res habent in via, quàm ibi in Patria!

Si mihi dicatur; mihi etiam hîc in via amandum DEUM non ob aliud, quàm quia est qui est, haud secus ac illum Beati amant in Patria; confestim acquiesco: nec enim amor aliud vult in bono amato, quàm ipsum illud bonum. At si mihi dicatur, hîc mihi etiam aliud non curandum,

randum, quàm, quòd ille sit, qui est; non possum acquiescere: amor enim vult cognoscere bonum quantum potest cognosci, omni quàm fieri potest minutissima cognitione. Atque inde pro illa vice unica, qua DEUS in sacris paginis de se dixit, *sum qui sum*: infinitis aliis appellavit se Omnipotentem, Bonum, Benignum, Justum: etsi enim primum illud nomen longè plus significet, ut S. Thomas obs. 1. p. q. 13. a. 11. servavit, siquis vim illius intimam penetret, Comprehensoribus tamen quàm Viatoribus magis idoneum est; tam latè nimirum patet.

Inde ut adductam authoritatem retorqueam contra illum ipsum, qui eâ usus est, placeat mentem advertere tantisper, quomodo DEUS tum ipsum se gesserit, quando declaravit, se esse illum, qui est. Vix dixerat ad Moysen. (*sic dices filiis Israel: Qui est misit me ad vos*) cùm mox instar hominis qui timeret, ne aliter quàm vellet verba sua Exod. 2. v. 17. acciperentur, apertiùs dixit. *Dixitque iterum DEUS ad Moysen.* Et quid dixit? repetiit usitatum suum nomen. (*Hæc dices Filiis Israël: Dominus DEUS Patrum vestrorum, DEUS Abraham & Isaac, & DEUS Jacob misit me ad vos*) adeò ille censuit, nomen Misericordis, Rectoris, Benefici, Providi aptius esse ad sui in Gente illa amorem excitandum, quàm nomen *sum qui sum*; quod est quidem nomen multò excellentius, naturâ tamen suâ penitus ineffabile. O quam præclarè istud explicavit S. Augustinus: *Cum hoc i. e. Ego sum qui sum, sit nomen æternitatis, plus est quòd dignatus est habere DEUS nomen Misericordiæ: Ego sum DEUS Abraham, & DEUS Isaac, & DEUS Jacob. Illud in se; hoc ad nos. Si enim hoc esse vellet, quod est in se, quid essemus nos? Si intellexit. Imò quia intellexit Moyses cùm ei diceretur: Ego sum qui sum: multum hoc credidit esse ad Homines, multum hoc*

To. 6. tract. Ego sum qui sum.

*vidit*

*vidit distare ab hominibus.* Et paulò infra. *Erigit DEUS desperantem, quia vidit timentem: quasi diceret: quoniam dixi: Ego sum, qui sum. Intellexisti, quid sit esse, & desperâsti te capere? Erige spem. Ego sum DEUS Abraham, Isaac & Jacob. Sic sum ipsum esse, ut nolim hominibus deesse.*

Et verò sit veritati locus: si ego quantum attinet ad me, advertero manifestè, quòd cogitando distinctiùs de singulis illis Attributis, non tantùm Absolutis, sed etiam Relativis, quæ dicimus, quæ in DEO resplendent, vehementiùs exciter ad eum suspirandum, Cervi instar sitibundi, qui non solùm videt à longè fontem, sed etiam frigus, claritatem, abundantiam aquarum illarum perennium, quæ exundant, cur tamen deliberato animo debebo hærere non in alio, quàm in solo Esse sub conceptu & cognitione abstractissima, sicut tantopere inculcatur? An quia sequor, quod sensile est? Si tamen sequor, ut ad DEUM tendam, quid tandem in eo mali est? Beatum illum, qui aliud sensile hac in vita, præter istud, nunquam est consectatus!

## II.

EGo igitur regulam haud paulò tutiorem esse existimo, quòd quidquid est objectum Fidei, sit etiam objectum Contemplationis, quantumcunque sublimis ac perfectæ: sicut, quod est objectum Contemplationis quamlibet eminentis, est non minùs objectum Meditationis; ut adeò Meditatio & Contemplatio ex objecto non distinguantur: quod est ante omnia DEUS, & dein quidquid ad illum ducit: differunt tamen in Modo spectandi hoc objectum. Contemplatio enim illum intuetur ve-

lut è propinquo obtutu unico; Meditatio verò tanquam ex longinquo, motu, ut ita dicam, progressivo multorum obtutuum. Atque hoc posito asserendum est, objectum Contemplationis quantumcunque concipi potest eminentissimæ, non hujus tantùm, sed alterius quoque vitæ in Cælo, esse tam opera & effecta DEI, quàm ejusdem Attributa ac Naturam, sic tamen ut Natura ac Attributa sint objectum primarium ac præcipuum; opera verò minùs nobile & secundarium.

S. Ignatius in Manresana specu sua tam profundâ Ecstasi absorptus hæsit ipsos septem dies, ut parum abfuerit, quin vivus inferretur tumulo: aliàs autem non tam diuturnis quidem, sed non minùs in suo genere supernaturalibus, sublimibus, & gradus altissimi dignus est habitus. Et tamen sicut his in Raptibus notitias ille hausit non explicabiles circa Mysterium Sacrosanctæ Triados, Personalitatum, Processionum, aliorúmque grandium arcanorum, ita non minùs aliis illustratus est de totius Universi productione. Quis igitur dicat, tunc quidem illum perfectè contemplatum esse, cùm hærebat conjunctus DEO suo sub hac cognitione abstracta, *Ego sum qui sum.* Non verò cùm opera tam suis absoluta numeris efficientem spectabat?

Quin imò hoc Contemplantibus solenne est, non tam cognoscere DEUM in sua natura & Esse, quàm cognoscere opera DEI, ordinationes DEI, decreta DEI, mira-
Isa. 6. v. 1. bilia DEI. Hinc Isaias dixit: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum, & ea quæ sub ipso erant, replebant templum.* Magnum hoc Templum nos sumus, quis
Hom. 14. in Ezech. ambigit? *Templum illius sumus*, verba sunt S. Gregorij, *in quorum mentibus habitare dignatur*; per Contemplationem nimirum eminentissimam, de qua ibi S. Doctori sermo. Et

ecce

ecce quid ad nos erudiendos dicat sacer Vates! *Ea quæ sub ipso erant, replebant Templum.* Non ipse, sed ea quæ sub ipso erant. Et quâ istud causâ? quærit Sanctus Pontifex, admirandâ mentis perspicaciâ, hâc scilicet: *Quia quidquid de illo modò conspicitur, adhuc non est ipse, sed sub ipso est.* Quid multis? nobis his in terris non tam datur implere cor nostrum DEO puro purissimo, quàm illo, quod infra DEUM est. Nec idcirco nobis dolendum. Nôsse enim quod sub DEO est, sicut convenit, jam satis est nobis nôsse DEUM. Sic Jacobus humano sub schemate Angelum vidit, & tamen ille se in Angelo DEUM vidisse professus est. *Vidi DEUM facie ad faciem.* Aspectus enim Angeli fecit, ut sublimiùs, aut intelligeret, aut inde inferret, aut investigaret, quid esset DEUS. *Sic Jacob Angelum vidit, & vidisse DEUM fatetur; quia cùm ministeria ejus conspicimus, jam multum est, quod super nosmetipsos elevamur.* Quid autum sunt ministeria DEI, quàm ejusdem effecta, quæ nostro commodo operatus est, quàm ordinationes DEI, decreta DEI, prodigia DEI? Quisquis proin sibi prò Contemplationis objecto ista proponit, vadem habet S. Gregorium, quod & ipse Contemplantis partes expleat, non utiliter tantùm, sed etiam perfectè. An putat ipse, quòd mentem habeat tam amplam, ut id quod sub DEO est, illam explere non possit? Prô quàm talis fallitur! dicitur idcirco, *Ea quæ sub ipso erant, replebant Templum, quoniam etsi Angelus apparet, infirmæ tamen ejus mentis desiderio sufficit.*

Utut est: an persuadere sibi quisquam potest, S. Gregorium in ea fuisse persuasione, objectum perfectæ Contemplationis esse solum DEUM cognitum abstractissimè, ut est qui est? cùm tamen censuerit, quidquid demum

videre de DEO potest qui contemplatur, non tam esse DEUM ut est in se, quàm id quod sub DEO est? Et tamen satis non fuit sancto Pontifici semel id dixisse: dixit etiam secundò, tanquam præsagus, futuros, qui ab ipso dissentirent. *Et ea quæ sub ipso erant, replebant Templum, quia sicut dictum est, & cum mens in Contemplatione profecerit, non quod ipse, sed id quod sub ipso est, contemplatur.*

## III.

ET verò si solus DEUS, ut cognoscitur notitiâ hac abstractâ *Ego sum qui sum*, objectum esset Contemplationis perfectæ, consequens esset, quòd objectum Contemplationis perfectæ nunquam esse posset ne quidem Christus JESUS. Si enim illud est nomen, quod nobis exprimit Pelagus naturæ infinitæ, & nullis clausum finibus (*Nomen est quod totum in se ipso comprehendens, est velut quoddam pelagus substantiæ infinitum & interminatum*, ut dixit S. Joan. Damascenus) nomen Christi ejusmodi est, quod nobis vastum illud Pelagus velut ripis clausum exhibet.

De Orth. fide l. c. 10.

Hæc sequela tam parum aliquos terruit, ut sine ulla hæsitatione Christum excluserint à perfectæ Contemplationis objecto, & quidem hoc ipso nomine, quòd tanta nobis felicitatis causa extitit; quia etsi ille DEUS est, est tamen DEUS factus Homo.

Vid. Alv. Pelag. de Planct. Eccl. l. 2 Octauus error Begardorum est &c. Vitæ c. 22. & alibi semper.

Fuit eùm S. Teresia lacrymis, quæ solatium non admitterent, deploravit errorem, in quem sui in spiritu Directoris cujusdam merâ ignorantiâ erat impulsa; nec potest explicari, quanto illa studio quámque solicitè viris perinde ac feminis inculcârit, ne unquam eum in animo suo pullulare sinerent, nisi damna gravissima mallent incurrere.

Id

Id tantum dicam: Si DEUS humanam naturam induit, ut nos ipsum admiraremur, amaremus; si se nostro bono eò usque abjecit; videre nullatenus possum, quæ demum ratio postulet, ne ipse tali in statu possit esse scopus ultimus nostræ & admirationis, & nostris amoris.

Tanta est unionis Hypostaticæ vis, ut DEUS humana in carne tam verè DEUS sit, quàm verè erat antequam nobis similis redderetur. Atque hac causâ credo, tam suis absoluta numeris Contemplatione occupatos fuisse Sanctos, quando contemplabantur nunc Christum in horto sanguineo sudore perfusum, nunc Calvariæ in collem raptatum, nunc Crucis in trunco mortuum; quàm quando contemplabantur DEUM in sua natura ac esse purissimo, animo planè penitúsque avulso ab omni imagine, & ratiocinatione: neque enim Contemplationis perfectio, ut jam assertum est, desumi debet ab objecto, sed à majori ejusdem comprehensione, quâ, juxta doctrinam S. Antonij Patavini, illa in aliquibus mysteriis Fidei superat rationem naturalem, quæ oppositum illi repræsentabat, quod Fides docet: in aliis autem non tantùm superat rationem naturalem, sicut superat in Mysteriis minùs arduis; sed eam planè conculcat, ut facit in maximè reconditis. Verba Sancti sunt. *Plura sunt Contemplationis genera: primum consistit in imaginatione, & secundùm imaginationem formatur, in quo quidquid quinque sensibus & immediatè percipitur, officio imaginationis repræsentatur intelligentiæ. Secundum consistit in imaginatione, sed secundùm rationem, in quo sensibilium causa, ratio, ordo, dispositio, utilitas, vanitas, & similia visibilium & invisibilium considerantur. Tertium in ratione versatur, sed secundùm imaginationem, in quo per cognitionem sensibilium ascenditur ad cognitionem invisibili-* S. Anton. Pat. in Concord. Bibl. verbo, Contemplatio, ex Rich. de S. Vict. l. 1. de Cont. c. 6. relatus

à S. Thoma 2.2.q.100 art.4.ad 2. *sibilium. Quartum consistit in ratione secundùm rationem, in quo intelligentia quasi reflexo in se radio invisibiles substantias repræsentat, & earum invisibilia in considerationem adducit. Quintum consistit supra rationem, non tamen præter rationem, in quo DEI invisibilia maximè quæ ad unitatem essentiæ pertinent, in Contemplationem adducuntur, quæ licet à ratione integrè comprehendi & investigari non possunt, ejus tamen affectionem congruè admittunt. Sextus est supra rationem, & quando circa, vel propter rationem invisibilia DEI, maximè quæ ad Personarum distinctionem pertinent, & originem, & ad unitionem Verbi cum humana natura, quæ videntur omnem rationem calcare & confundere, tractant.*

Ceterùm quid tandem prodest inculcare passim, ut dum de Christo cogitatur, curetur, cogitare de illo in abstracto? de Christo inquam ut Christo, & non de Christo, ut efficiente ad nostram utilitatem præclara opera, quàm multa & qualia illa sunt, quæ identidem Sancta Ecclesia nobis proponit tam laudabiliter, non solùm ut de illis meditemur, sed etiam contemplemur in Sacrosanctis illis Mysteriis, quæ ejus Rosarium constituunt.

Bene sit illi fidei tam nudæ, quam tantopere nobis contemplativi aliqui commendant. Non tamen videtur operæ pretium, illam usque adeò denudare, ut in multorum animis frigore emoriatur. Quid tandem detrimenti patitur in me fides, quia juvante ipsâ obtutum figo in DEO nostram naturam induto, ad id inductus exemplo, S. Francisci eundem in Alverniæ montibus contemplanti, quando is ita vulneratum se advertit non tantùm in animo, verùm etiam in corpore, ut vivum Christi cruci affixi simulacrum efficeretur? an fortassis idcirco jam ad contemplandum ineptus sum? an summam meam Spiritus quietem perdam?

perdam? an silentij mei jacturam patiar? an solitudo mihi mea tolletur? an intimam illam conjunctionem amittam, quæ me DEO adstringit, cùm ideo DEUS sit factus homo, ut arctiùs cùm DEO conjungeretur homo? atqui sic sequor, quod sensile est: sequor, non nego; sed ob hoc ipsum, si suis rem momentis libramus, DEUS factus êst homo, ut insensibile nobis sensibile redderetur. Non debeo ego sistere in sensibili, ita est, sed à sensibili transire ad insensibile, juxta illud quod me docet Ecclesia, dum sic illa amatum suum Patrem cælestem alloquitur. (*Per Incarnationis Mysterium nova mentis nostræ oculis lux tuæ claritatis infulsit, ut dum visibiliter DEUM cognoscimus, per hunc in invisibilium amorem rapiamur.*) Sed quis idcirco vetet, quo minùs à DEO insensibili, ubi visum fuerit, ad DEUM sensibilem revertar? Quin Christus ipse sic pronuntiavit: *Ego sum ostium, per me siquis introierit* (h.e. intraverit ad veram Divinitatem cognoscendam) *salvabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua inveniet.* Joh. 10. v. 9. Non est quod metuamus, si modò per Humanitatem intramus ad contemplandam Divinitatem; aliàs eximus à Divinitate ad contemplandam Humanitatem: hunc enim in sensum ea verba jam inde ab initio acceperunt plerique piorum Interpretum, secuti ea in re ducem S. Augustinum, aut alium ipso non multo inferiorem, qui Christum dicto loco sic loquentem introduxit: *Ingredietur ad Divinitatem meam, & egredietur ad Humanitatem, & in utriusque Contemplatione mira pascua inveniet.* De Spiritu & anima. Quale igitur illud idioma est, quo hodie nonnullos loquentes audio, quando orandi leges præscribunt? *Satis cogitat de Christo JESU, qui cogitat de DEO.* Isto sanè Idiomate ad nostram usque ætatem uti non voluit communis Reipublicæ Christianæ Spiritus. Si immunis ab er-

ab errore est hæc loquendi ratio, liceat etiam dicere: satis ab illo pro sacris pulpitis prædicari Christum, qui DEUM prædicat: satis scribere de Christo, qui scribit de DEO: satis studendo speculari Christum, qui DEUM speculatur: satis adorari ab eo Christum, qui DEUM adorat. An non autem ad hæc piæ aures cohorrescant?

Matt. 6. c. 7. S. Teresia censuit; ejusmodi doctrinam idoneam ad inducendos animos, ut ab amore erga SS. Eucharistiæ Sacramentum deficiant. Sed rectiùs, ni fallor, censuisset, jam re ipsa ad hoc esse inductas. Iidem enim Hæretici, qui affirmârunt, deficere ab eminentia Contemplationis eos, quis vel tantillum meminissent Cruciatuum ac mortis Christi Servatoris nostri: *Asserebant, quòd esset imperfectionis eisdem, si à puritate & altitudine suæ Contemplationis tantum descenderent, quòd circa passionem Humanitatis Christi aliqua cogitarent:* affirmârunt etiam, ab eâdem eminentiâ deficere eos, qui de Eucharistiæ Mysterio cogitarent, quod ille instituit jam jam pro nobis moriturus.

An. 1312 Alv. Pelagius de Planctu Eccl. c. 5. Octavus error, &c.

Inde postea factum, ut à non cogitando transirent ad non curandum; quando eò pervenerunt impudentiæ, ut ne in genua quidem procumbere vellent, cùm à sacrificante sacra Hostia atollebatur, perinde ac si suus illis contemplandi ritus jus dedisset, plus sibi arrogandi, quàm ipsis beatis Cæli mentibus concessum est, quæ Christum adorare jubentur. *Et cùm iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli DEI.* Sed præclarè hos suo telo petiit Alvarus Pelagius libro quo Ecclesiæ calamitares deploravit lachrimis, non minùs piis, quàm doctis. Ut enim illi dicunt, cogitare de DEO esse cogitare de Christo; sic ipse eos monuit, quod cogitare de Christo, sit cogitare de DEO: & idcirco rectè inde arguit,

Heb. 1: v. 6.

non

non parum nobis videri debere, quòd Contemplationis nostræ tam nobile & præcellens objectum haberemus. *Quæ major, & purior Contemplatio, quàm cogitare DEUM passum in carne, ad cujus memoriam est illud Sacramentum principaliter institutum?* Hæc tamen Contemplatio puritas illa ipsa est, quam hodie respuit, qui non contentus, crudâ prorsûs similitudine, Sacrosanctam Christi carnem, Carnem puram, Carnem pretiosam, Carnem divinam, comparare sordido luto, quo Christus ad cæcum natum illuminandum usus est, addidit subinde: *Quod sicut lutum decidit, postquam cæco illi à Christo aperti sunt oculi, ita evanescere cogitationes de ejus Humanitate, ut in pace nos sinant intueri Divinitatem.* Perinde ac si cum contemplatione Divinitatis pugnet illa Humanitas, quæ Hypostatica unione eidem conjuncta, eam nobis revelat, eam nobis aperit, & porta illa est, per quam ad eam intramus, & porta quidem perpetua; porta inquam, per quam non semel pro semper ingrediamur, qualem illam sibi aliqui fingunt, sed toties quoties redimus ad ingrediendum in illam Divinitatem, ad quam nostra nobis promerita aditum aperire nunquam possunt. *Quicunque ad Contemplationis quietem, nisi per Christi lateris ostium, voluerit introire, furem se reputet, & latronem.* Sic disertè pronuntiavit S. Bonaventura, ad ruborem illis excutiendum, qui alias portas invenire volunt, per quas ingressum tam præstantem moliantur, parum memores verborum, quæ Christus ipse protulit. *Nemo venit ad Patrem, nisi per me. Si cognovissetis me, & Patrem meum utique cognovissetis.*

Alv. Pel. ib.

In stim. div. Am. p. 1. c. 3.

(o)

F Caput II.

# Caput II.

*Occasione firmiùs asserendi quod sit Objectum perfectæ Contemplationis, ostenditur hanc rationem Christo JESU optimè convenire.*

I.

VT in hoc de Objecto Capite ad usum ipsum accedam, sic differo.

Contemplatio geminum actum habet, utrumquæ præcipuum: unus ad Intellectum spectat, & hic est Admiratio; alter ad voluntatem, & hic est Amor. Objectum primi est DEUS, ut summè pulcher: alterius Objectum est DEUS, ut summè Bonus. Contemplatio tamen, cùm vera est, necesse non habet ad hanc distinctionem attendere, quæ ad speculationem magìs, quàm usum pertinet. Et idcirco Objectum Contemplationis practicè est DEUS sub quocunque conceptu, quo quisque rapitur fortiùs ad illum admirandum, ad illum amandum, & eo fruendum. Hinc est quòd simili sub conceptu objectum maximè conveniens etiam Meditantium debeat esse DEUS, si modò verum est, quòd etiam Meditantes raciocinando tendere debeant ad conjunctionem cum DEO, sicut illi conjungere se curant nullo mediante, qui contemplantur, *Contemplativa vita ad solum videndum Principium anhelat.* Ita sensit S. Gregorius. Vita autem Contemplativa non solùm Contemplationem, sed & Meditationem complectitur: & inauditum est, quòd non in modo tantùm, sed etiam argumento & objecto Meditatio à Contemplatione distinguatur. Quin ipsi illi, qui Meditationi æstimationem demere conantur, ad hoc utuntur effato variorum Sanctorum, qui pronuntiárunt: Meditationem præmandere, Con-

Super Ezech. ho. 24.

2.2.q.180 a.2.ad 4.

Contemplationem gustare. Quod si verum est, idem cibus sit oportet tam Meditationis, quàm Contemplationis, nunc præmansus à Mente, nunc gustatus; atque adeò & Meditans & Contemplans eodem etiam cibo se nutriant: nam & mandere, & gustare ad nihil prodessent, nisi tandem ab omnibus verteretur in substantiam, quâ sese sustentent.

Quare quando Sancti affirmârunt Meditationem mandere, Contemplationem gustare; noluerunt asserere, quòd non eodem cibo & hi, & illi vivant; sed illud indicare voluerunt, eum qui meditatur tantùm, minùs ferè voluptatis sentire, quàm laboris; & ideò mandenti, quàm gustanti esse similiorem. Qui autem contemplatur, tantùm plus voluptatis quàm laboris experiri, atque adeò gustanti, quàm mandenti esse similiorem.

Verum tamen est, quòd ex hoc ipso argui possit, quàm longè abfuerint Sancti ab eorum hodie sensu & doctrina, qui tradunt Meditantes à Contemplantibus toto statu differre: cùm intelligi non possit, quòd is qui ad mensam assidet, alio in statu sit cùm mandit, quàm cùm gustat; quódque cùm à gustato cibo ad mandendum redit, miser non sine ordinis perturbatione à superiore ad inferiorem statum redeat.

Sed ut illò redeamus, unde tantisper nos divelli passi sumus; observandum est, quòd quando DEUS ipse animo infundit claram cognitionem, quòd ipse sit summa Pulchritudo, summa Bonitas, & quidquid aliud vult DEUS dicere verbis illis: *Ego sum qui sum*, alio opus non sit. Hæc tum cognitio in omnibus plus efficit, quàm aliæ quæcunque. At quando talis notitia nostro conatu comparanda est, non est semper magis proficuum ad desideratam con-

junctionem sub his illum terminis cognoscere. Nonnulli enim aliquando magis movebuntur, si sibi objiciant DEUM ut à nullo pendentem, ut Potentem, ut Providum, ut Misericordem, ut Remuneratorem universalem, aut etiam ut humanæ naturæ conjunctum; quàm si illum ut summè pulchrum, summè bonum latiùs patente ratione sibi repræsentent; eâ nimirum pulchritudine & bonitate, quæ quidquid demum in ullo genere nobilitatis ac perfectionis est, sine omni prorsus defectu, complectantur.

Hinc, meâ quidem opinione, æqua lex non est: Qui non proponit sibi DEUM sub ratione quadam abstractissima, non contemplatur perfectè. Hac enim minùs Docti in errorem inducuntur; dum hærere volunt in ejusmodi repræsentatione confusa, quæ sæpe minùs illos movet, & ab iis animum abducit, quæ, pro varia habitudine præsenti, aptiora essent & efficaciora ad illos movendos, Deóque arctiùs conjungendos.

Mans. 6, c. 6. An non S. Teresia ad rectè contemplandum bene fuit parata? fatetur tamen ipsa de se, quod cùm aliquando conaretur animum defigere in DEO sub ratione quadam abstractissima, qualem isti nostri requirunt ad enitendum ad apicem Contemplationis, valdè malè ea in re processerit: cùm enim non semper eodem modo objicere sibi DEUM posset cum suo profectu, animo hinc inde aberrâsse & vagatam se esse ait, tàm vanè & erraticè, ut aviculæ sibi instar esse videretur, quæ quaquaversum volitando locum stabilem & quietem non inveniret: unde tantùm abfuit, ut hoc suo conatu quidquam proficeret in Oratione, ut indies potiùs plus detrimenti pateretur. Ubi tamen mali causam advertit, mutavit orandi modum, mentémque iterum in Christum Servatorem constanter defixit, tanto suo commodo,

modo, ut protestata sit, cariùs sibi deínceps futurum fuisse, carere omni hac in vita bono, utut ceterà sibi debito, quàm illud consequi alterius medio ac beneficio, prætet-quàm ejus, à quos in nos omne bonorum genus dimanavit. Usque adeò verum est, etiam personas clarissima cælitus luce perfusas, novas has regulas non solùm absonas, sed etiam noxias fuisse expertas.

## II.

ET tamen post hæc non deest, qui certo consilio eas tueatur, dicátque, etiam hac ætate, illum Contemplativum, qui mentem non defigat in DEUM purum purissimum, sed pergat animo volvere ea, quæ DEUS hominem indutus pro nobis fecit & passus est, perinde facere, ac si quis singulari favore à Rege vocatus ad alloquium, pro eo quòd oculos in Regem ipsum defigat, nunc regiæ purpuræ splendorem, nunc torquis, coronæ, sceptri aspectu pueriliter se oblectaret. Sed quæ sunt istæ re ipsa delusionis fallaciæ? si ita ratiocinari, seu argutari potiùs, lubet, retorqueo ego confestim argumentum, & sic dissero. Næ ille insignitè lepidus & urbanus esset, qui singulari favore à Rege vocatus ad alloquium profiteretur, nolle se quidquam Regis, quod Rex ipse non esset, intueri: atque ita confestim illum exueret paludamento, diriperet torques, coronam à capite, à manu Sceptrum abstraheret, & omnibus spoliatum vestibus seorsim in conclave aliquod secum abduceret. Sunt hæc facultatis imaginatricis mera ludibria. Ut quid igitur magno simpliciorum incommodo in medium adducuntur, qui miris modis circa illa implicantur? Nec acceditur ad orandum, ut DEUS ve-

ſtiatur, nec ut veſtibus nudetur: ſed ut ſancta ſinceritate adoretur. Quare ſiquis trahitur ad contemplandum DEUM in ſuo ſimpliciſſimo eſſe, ſinatur ſanè mergi in mari illo profundiſſimo, in quo nec anguſtas fauces, nec fundum invenire eſt; tanto enim ibi quisque eſt beatior, quò mergitur profundiùs. At ſi is plus adjumenti capit, ut non ſemel accidit hominibus etiam exquiſitiſſimæ perfectionis, in contemplatione DEI humana carne induti, non idcirco formidet, ne DEUM vivum, DEUM verum, DEUM ſimpliciſſimum non contempletur, non minùs quàm quicunque Contemplativus. Neque enim DEUS humana carne veſtitus eſt inſtar Regis veſtiti purpura, torque, corona, ſceptro, ut dicebatur. Cuncta hæc planè penitúsque à Rege ipſo diſtincta ſunt. At non ita à DEO diſtincta eſt Sacroſancta illa Humanitas, quam Unione Hypoſtatica pro nobis aſſumpſit. Hoc enim ipſum ipſiſſimum eſt, quod DEUS in ea aſſumenda ſpectavit, ut ſimul verè ac in ipſa ſubſtantia & DEUS eſſet, & Homo. De reliquo quis eſt, qui ſi cum S. Tereſia contemplando velit figere obtutum in Chriſtum, non aliud ſpectet, quàm cogitare de Humanitate una ac ſola, divellendo illam à Divinitate tanquam centonem aliquem? Diſcernit ille quidem probè Myſteria, quæ Chriſto ut DEO propria ſunt ab illis, quæ ipſi ut Homini conveniunt; non tamen diſtinguit Chriſtum Hominem à Chriſto DEO; cùm Chriſtum non niſi unum agnoſcat. Hoc autem poſito nunquam per omnem æternitatem verum erit, quòd intueri Chriſtum ſit tantum intueri veſtem Regis, non ipſum Regem.

Non poſſum igitur mihi perſuadere, quòd S. Tereſia probatura fuiſſet legem, nimis ſanè quàm arbitrariam, quam invenio ſtatutam: Quando ad DEUM pervenimus,

ad

ad quem ferebatur noſtra intentio, dum meditabamur vitam Chriſti, non oportet ampliùs redire retro ad conſiderationes de illa, quæ ratiocinando fiunt; neque enim deſerendus finis eſt ut redeamus ad media: & qui pervenit ad aliquem locum quietis, ad quem itinere ſuo tendebat, non attendit ampliùs ad ſemitam, per quam illi fuit tranſeundum, etſi illa marmore porphyretico ſtrata eſſet: quin imò quieſcit, & ſe oblectat; nec enim ampliùs peregrinus eſt, ſed inquilinus perpetuus & civis ejus loci: & ſi ſubinde viæ meminit, id eò duntaxat facit, ne ejus ſubeat oblivio, non autem animo illam relegendi.

Sed quid ego mentionem feci S. Tereſiæ tantùm? Neſcio an Chriſto ipſi lex iſta ullo modo probetur. Eſt ne igitur Chriſtus Via, ut non ſit etiam terminus in quo quieſcatur? Quomodo igitur de ſe ipſe pronuntiavit: *Ego ſum Via, Veritas, & Vita?* Eſt enimverò Ille via, qui lumine tot nobiliſſimarum veritatum nos ducit ad Vitam: ſed ſimul Vita eſt, ad quam tanquam Via nos ducit. *Quò imus, niſi ad ipſum, & quà imus, niſi per ipſum?* ita S. Auguſtinus. Ecquis igitur metuat, ne aliò quàm ad DEUM vadat, dum ad Chriſtum vadit? *Sequamur Domine te per te ad te*: ſenſu animi tenerrimo ad ipſum dixit S. Bernardus, *quia tu es Via, Veritas, & Vita; Via in exemplo, Veritas in promiſſo, Vita in præmio.* Aut ad finem noſtrum adhuc aptiùs. *Via per quam eſt eundum, Veritas ad quam eſt veniendum, Vita in qua eſt permanendum.*

Tract. 69. in Joh.

Ser. 2. de Aſcens.

Serm. 7. in Cæna Domini.

Quin libet etiam hîc retorquere telum. Si enim ſperat quis ita poſſe pervenire ad terminum qui eſt DEUS, contemplando, ut jam porro neceſſe non habeat ire per Viam, per quam ad terminum pervenit, auſim dicere; miſellum illum, cum ad terminum ſibi perveniſſe videbitur, obſervaturum

vaturum se ab illo longiùs quàm unquam, ob animi elationem, distare. Itane igitur unquam venire possit illa dies, in qua per intervalla considerare Vitam Christi, etiam ratiocinando, tam non sit mihi adjumento, ut etiam sit impedimento, obici, & offendiculo ad sublimem Contemplationem? ego enimvero hoc capere non possum; sed quæ mea est felicitas, capere hoc ipsum non potuit S. Teresia, non S. Mechthildis, non S. Lyduina, non S. Ludgardis, non S. Catharina Senensis, non præ reliquis S. Birgitta Vidua, quæ vivere ante desiit, quàm ire quotidie ad audiendas Prælectiones, quas ipsi suffixus in Crucem Christus summè admirandas dictabat. Atque hac causa malo sequi exemplum harum Sanctarum, quàm regulas, quas nonnemo alius mihi præscribit, non aliâ munitas authoritate, quàm hâc, ad propositum nostrum tam non idonea, quòd nemo invento fine rationem mediorum porro habere debeat. An fortè finis noster, qui est DEUS, unquam hac mortali in vita sic inveniri potest, ut necesse non sit eum ampliùs, pauperis instar Peregrini, quærere? Haud
2. Cor. 5. v. 6. sanè credo. *Dum sumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino, ajebat Apostolus, per fidem enim ambulamus, & non per speciem.* Ex hoc ipso igitur desumendum est, quòd nunquam hac in viâ, omittenda sint media, quæ ad DEUM inveniendum nos ducunt. Tale autem medium Christus JESUS est. O quàm ego optem nôsse in hoc exilio, tam lugubri, tam miserabili, quale hoc nostrum est, hos Inquilinos Divinitatis, stabiles & perpetuos!

Quæro deinde. An non certum est, Beatos in cælo invenisse terminum, invenisse Veritatem, invenisse Vitam? quando tamen illi vel ad ictum oculi omittunt intueri

tueri JESUM, qui fuit eorum Via? Quæ igitur insania nostra est, si in terris vel ipsis in cælo Beatis melioris conditionis esse volumus? Quamdiu Viatores erimus, tamdiu incumbet nobis attentione indefessa non Viam minùs, quàm terminum præ oculis habere.

III.

Jucundum etiam mihi est, quòd liceat horum Legislatorum authoritati opponere aliam ejus, qui ipsis profectò nihilo inferior est: Ludovici Blosij inquam, qui dum formatContemplativum tam eminentem, ut in DEUM evolans sensuum usu destituatur, *& se ipsum feliciter perdat*, disertis illi verbis præscribit, ut, *dum sibi restituitur*, mox ad Christum revertatur: atque ita deinceps constanter pergat transire ab Humanitate ad Divinitatem, & ab hac ad illam: usque adeò ille censet id cuilibet, quantumcunque provecto, faciendum. *Expedit prorsus, ut ille nunc incomprehensibilem Divinitatem, nunc nobilissimam CHRISTI Humanitatem attendat, atque per istam ad illam ascendat, & ab illa ad istam redeat. Sic enim tanquam lignum plantatum secus decursus aquarum, flumine cælestis gratiæ mirificè inundabitur.* Quamquam non Blosij tantum hic sensus fuit: idem etiam fuit S. Bonaventuræ, qui cùm dixisset, non esse conditionem hominum ullam, in qua quisquam omittere debeat attentam considerationem Passionis Christi, quæ tamquam palma excelsissima mortales omnes invitet ad fructus ex ea colligendos, Peccatores quidem confusionis, Pœnitentes doloris, Proficientes doctrinæ, Perfectos devotionis, in virtutum studio consummatos conjunctionis cum DEO, tandem ita

Inst. spirit. c. 6.

P. 1. stim. c. 5. concludit: *Nullus ergo se excuset, quin hîc inveniat pabulum suum, quin hîc inveniat portum suum, quin hîc inveniat domicilium, nec tantum domicilium, sed centrum suum.* Et scilicet non sit terminus, quod centrum est? Non aliam pluribus locis suis sententiam expressérunt S. Antonius Patavinus, S. Bernardus, S. Bernardinus. Digna admiratione in eandem rem habet Guilielmus, inclytus Abbas S. Theodorici, qui purgans se quodammodo DEO, quòd cùm Isaia tam propè ejus thronum non accederet: *Non despiciant*, inquit, *me Domine super hoc, qui merentur te videre sedentem super solium excelsum, & elevatum Divinitatis tuæ; quia & ea, quæ sub te sunt, humanæ dispensationis mysteria, omni Contemplatione replent Templum cujuscunque sit magnitudinis.*

Eant proinde, qui volunt, & excludant Christum à ratione objecti perfectæ Contemplationis, in eorum consortio, de quibus Alvarus Pelagius tanta cum abominatione locutus est; ego eum includam, dum spiritus hos reget artus cum præstantissimis quos adduxi Sanctis; imò cum ipsa Virgine sanctissima, cum Prophetis, Patriarchis, Apostolis, qui semper studuerunt altiùs se immergere in Contemplationem DEI humana carne vestiti, & semper deprehenderunt se ulteriùs provehi, antequam ad littus evaderent. Nec unquam affirmabo, ex æquo bonóque latas leges de Contemplatione, quas hodierni isti Magistri tulerunt. Justæ veræque leges illæ sunt, quas Spiritus Sanctus in divinis literis tulit. S. Paulus Apostolus pro objecto contemplationis hac in vita assignavit illud ipsum, quod est objectum contemplationis in Cælo, DEUM, & JESUM Christum: *ut possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum; scire*

Ephes. 4. v. 4.

*etiam*

*etiam supereminentem scientiæ Charitatem Christi.* Quantum ad DEUM, ad cogitationes nostras firmandas, eo processit Apostolus, ut in eo, qui est ipsa Immensitas, mensuras sibi fingeret. Et sic, interprete S. Bernardo, voluit, ut Contemplationis nostræ objectum esset Sublimitas Divinæ Majestatis, Latitudo Pietatis, quâ nobis prospicit: Longitudo præmiorum, quæ nobis promittit, & Profunditas Judiciorum, quibus nos regit: Sublimitati Majestatis conjungitur Profunditas Judiciorum; & his respondet admiratio, Latitudini Pietatis jungitur longitudo Præmiorum; & his respondet Amor. Ad Christum autem quod spectat, satis fuit Apostolo, ut teneremus nos in contemplanda illa Charitate, quæ excedit omnem scientiam. *Scire etiam supereminentem scientiæ Charitatem Christi.* Dixit autem quòd Charitas ista supereminet omni scientiæ: nam, si suis res momentis libretur, ea nostrâ causâ egit Christus, quæ totus Mundus censuit effecta stultitiæ: Mori inter duos Latrones, Dominum pro servo, offensum pro offendente. Charitati in ejusmodi contemplatione respondet Amor, qui nos facit prorumpere in illa verba: *Quis nos separabit à Charitate Christi?* Excessui autem Charitatis admiratio respondet, quæ nobis extorquet illa: *Opus factum est in diebus nostris, quod nemo credet cùm narrabitur.* Nec Apostolus tantùm, sed Christus ipse cùm explicuit, in quo consisteret vita æterna; illa nimirum Visio, quæ omnibus numeris Beatos nos in cælo reddit, in hac autem vita Beatos ratione quadam imperfecta, tali Visioni objectum attribuit tam DEUM purum purissimum, quàm DEUM humanos artus indutum: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum DEUM, & quem misisti JESUM Christum.* Sic ut cùm dicitur: *ut cognoscant te solum DEUM verum,*

De Consid. l. 5. fin.

Rom. 8. v. 25.

Abac. 1. v. 5.

Joan. 17. v. 4.

In hunc locum.

*rum, istud dicatur de tota Trinitate,* ut interpretatus est Hugo Cardinalis, & cùm dicitur: *Et quem misisti JESUM Christum: dicatur de Filij Humanitate.* Et causa est, *quia ista terra viventium,* quæ est ista Sacrosancta Humanitas, *fluit lac & mel,* quæ est promulsis quædam deliciarum cælestium, quæ largè exundant ad animam in excelsa contemplatione beandam. Atque hæc de objecto sufficiant.

# Caput III.

*Perpenditur an circa Modum contemplandi idonea regula sit, initium facere Orationi spontanea suspensione trium facultatum internarum, generatim sumptarum, dum Homo, quoad ejus potest, abstinet ab exercitio Imaginationis, Intellectûs, & Voluntatis, ut sic quietem ingrediatur.*

## I.

SEcunda lex, quæ tironibus Contemplationis, multum negotij facessit, ad Modum contemplandi pertinet. Contendunt enim Magistri isti; ad talis actus perfectionem necessarium esse ponere omnes imagines, omnes intellectiones, affectus omnes; aut saltem illos non excitare: hærendo tantùm, ut supra jam insinuatum est, coram DEO fide quadam simplicissimâ, non spectando aliud, quàm transigere tempus cum ipso in silentio, haud aliter quàm qui scit se amicum habere præsentem, & hoc uno contentus est.

Est

Est ista Quies ineffabilis: ita est: sed hæc non est omnium: eorum tantùm est, qui in perpetua quadam amoris Divini exercitatione vivunt. Sed ne isti quidem jus ad eam ullum prætendere possunt; sed necesse habent ipsi quoque cum sponsa interdum suspirare. *Quæsivi illum, & non inveni.* Siquidem, ut S. Teresia pluribus locis professa est, si DEUS nobis non concedit interiorem illum recessum, quidquid demum nos conemur, nunquam illum consequi licebit. Cant. 3. 1. Man. 4. c. 3 & alibi.

Quid fiet igitur, si hanc nobis Quietem DEUS nos largitur? Perfectus recessus intra se & collectio, est concors illa attentio, quâ DEO suo præsenti auscultant tres facultates, tanto præstantior, quanto simplicior. Quies, est tranquillitas animæ undequaque contentæ, quæ recessui illi, & otio facultatum superadditur. In recessu & otio metuunt facultates, ne à sensibus externis turbentur: unde illi, qui ad talem statum pertingunt in Oratione, claudunt oculos, & metuunt, ut Sancta observavit, tussire, commovere se, expuere, perinde ac si ab his ejus otij conservatio penderet. In plena Quiete non metuunt. Si proin nos conatu nostro non possumus assequi otium illud ac ferias quotiescunque nobis placet, quod tamen possunt histrices, limaces & conchilia, quæ se, quoties lubet, intra sese recipiunt, quâ tandem ratione ipsam adeò Quietem assequemur? *Recessus, de quo loquimur, non est in potestate nostra*, ait Sancta, *sed obtinetur, quoties DEO placet facere nobis istam gratiam.* Manf. 4. c. 3.

Quis igitur capiat, quæ ratio exigat, ut omnibus ad contemplationem aspirantibus scribatur hæc lex, ut Orationem ingressi confestim incipiant desiderare hanc Quietem, quæ est apex illius; à suspendenda inquam exercitatione

tione qualibet internarum trium facultatum, Phantasiæ, Intellectus, & ipsius adeò Voluntatis, cùm Quietem istam à nostro pendere arbitrio DEUS noluerit?

Quin imò sicut Meditantibus istud documentum datur, ut inventa in primo puncto desiderata consolatione, porro non progrediantur, sed in eo sistant ad fruendum DEO; cùm aliter facere esset finem relinquere propter media. *In puncto, in quo assecutus fuero quæsitam consolationem, conquiescere debeo, sine transcurrendi anxietate, donec mihi satisfecero.* Sic contemplanti istud dari debet, ut si quando optata cum DEO conjunctione privatur, ab exercitatione prædictarum facultatum incipiat in puncto aliquo: aliter enim facere, esset velle finem sine mediis: cùm nemo unquam satis capere possit, quòd optimum ad impetrandam conjunctionem cum DEO medium sit, non uti dictis facultatibus, sed iis otium & velut justitium ab omni opere imperare. Quid enim quæso est, si qua Sanctis fides, quærere conjunctionem cum DEO, quàm omnes tres facultates nostras concordi studio ad eam consequendam applicare, etsi hoc sine labore ac difficultate non fiat?

S. Ignat. in Exer. Spirit. addit. 4.

Mortificatio, Humilitas, Obedientia, Abnegatio pravorum appetituũ, optimè præparant hominem ad hanc conjunctionem, quis id nescit? sed ad rem nostram non sufficiunt. Si sufficerent; quid necesse esset ad orandum accedere? acceditur ad orandum, ad dictas toties facultates DEO implendas. Et ad hoc satis etiam non est genibus niti instar statuæ. Hæc siquidem præparatio sanctissima est, sed non est propria & proxima ad efficiendum, ut DEUS se ipsum nobis communicet modo sæpius indicato. Ferre æquo & patienti animo morbos, non est sufficiens ad sanitatem recuperandam præparatio. Necesse

ceſſe eſt huic conjungere proximam, quæ conſiſtit in vocando Medico. Ferre æquo animo ignorantiam non eſt ſufficiens ad ſcientiam obtinendam præparatio: addere oportet proximam, quæ conſiſtit in conſulendo Magiſtro & Doctore. Tolerare forti animo adverſa, imò abjicere ſeſe, obedire promptè, vincere ſeſe & edomare motus animi, ſupra omnem Pachomium, non eſt præparatio ſufficiens ad homines concionando ad meliorem frugem reducendos; neceſſe eſt huic jungere alteram, & excogitare rationes ad eos permovendos idoneas. Non diſſimili modo ad ſatiandas DEO noſtras facultates ſufficiens præparatio non eſt, trunci inſtar ſtare in loco orationis, quando intra noſtros limites juvare nos ipſos poſſumus; nam illa alia, ſi multum, remota tantùm eſt præparatio. Propria & proxima eſt, impendere ipſas illas facultates, ad quærendum DEUM pro illarum modo ſic ut non tantùm fide nôrint, præſentem in ipſis eſſe DEUM, ſed ut eundem etiam quantum valent experiantur, illo gaudeant, eum guſtent, loquentem ſibi auſcultent, & ab eo recipiant gratum illud commercium, quod quietæ orationis mentalis finis eſt.

II.

VErùm, pruritus iſte efficiendi his tempnribus, ut orationis tempore facultates toties mominatæ ferientur penitus, eò usqueque progreſſus eſt, ut, dummodo homo non plena voluntate aberret ad alia, à nonnullis illi ſuadeatur, nec quidquamquærat aliud; quaſi ſola de DEO præſente fides defectum alium omnem ſuppleat.

Citatur in hujus doctrinæ favorem S. Thomas; qui docuit, quòd prima orandi Intentio eam vim habeat, ut poſtmodum omnis ſecuta oratio non tantùm digna ſit mercede, 2. 2. q. 83. a. 13.

cede, sed etiam impetrate aliquid à DEO valeat, vel ingratiis omnium aberrationum, quibus animus aliò non volens evagetur: & tandem est, qui doctrinam hanc suam non ut victor tantùm, sed in re tanti momenti triumphator ita concludat: *Videat nunc qui volet, an S. Doctor clariùs in rem nostram loqui potuisset.* Et tamen S. Doctor, si luberet ejus locum afferre integrum, non autem trúncum & mutilum, ut illis familiare est, qui non veritatem, sed opinionem sum assertam volunt, tam disertè doctrinam oppositam tradidit, ut res admiratione sit digna.

Ait igitur, Angelico illo suo lumine, quo donatus à DEO fuit, triplicem esse, quem Oratio afferat, fructum. Primus est Meritum, qui est communis omni actui bono. Et ad hoc docet, sufficere intentionem primam, quâ quis voluit ponere actionem illam, etsi subinde hæc intentio in operando non perseveret. Secundus fructus est Impetratio, qui est proprius Orationis; & ad hunc docet etiam sufficere intentionem primam, quæ id spectabat ut impetraret: ad hanc enim DEUS præcipuè attendit, & non ad aberrationes, quæ subinde non volenti accidant. Sed ultra duos hos fructus, addidit mox Sanctus, est & tertius, qui consistit in spirituali Refectione animæ: & ad hunc ait non sufficere primam orandi intentionem, sed necessariam esse atrentionem continuaram. *Tertius autem effectus orationis est, quem præsentialiter efficit, scilicet, quædam spiritualis refectio mentis; & ad hoc de necessitate requiritur in Oratione attentio, unde dicitur 1. Cor. 14. Si orem linguâ, mens mea sine fructu est.* Hinc autem S. Doctor præclarè monuit, quæstionem ejusmodi, an sufficiat in Oratione habere intentionem primam orandi, locum propriè non habere in oratione mentali, sed in Vocali tantùm, quæ fit recitan-

2.2. q. 82. a. 13.

recitando v. g. officium divinum, Litanias, Coronam B.V. aut alias similes preces. *Quæstio hæc præcipuè habet locum in Oratione vocali*: Quia in oratione mentali rationi huic locum non esse ambigere prudenter nemo potest; cùm hujus scopus non sit mereri tantùm & impetrare, sed animum pascere.

Quomodo igitur fieri potuit, ut locus hic S. Thomæ adduceretur ad asserendum, debere hominem adstare coram DEO sine ulla cura impendendi, licet possit, facultates suas internas, contentum primo illo suo actu, quo se ibi constituit ad orandum in Fide; dum his ipsis S. Doctoris verbis è diametro opposita sententia adstruitur?

Si Homo, quantumcunque conetur, efficere tamen non potest, ne mens aberret aliò, & cogitationes effrenes evagentur, tum enimvero non est quòd se affligat, aut animum despondeat, quasi operam orando perdiderit: tum enim pro Refocillatione, quæ deficit, dabit illi DEUS vigorem illum internum, quo ipse animum etiam absque cibo restaurare potest: mera temeritas est velle vivere sine cibo, aut nolle cibum alium, quam qui cælo sicut Manna depluat.

## III.

SI proin placuerit evolvere, quidquid Sancti de Contemplatione tractando scriptum nobis reliquêre, patebit manifestè, nunquam illos condemnâsse Imagines & Phantasmata, sed eorum strepitum: nunquam condemnâsse ratiocinationes, sed earum strepitum; nunquam affectus voluntatis, sed eorum strepitum. Si enim dicatur quòd in Contemplatione ista nimis anxiè procurare, multum no-

ceat, bene habet. At non ita, si dicatur, quòd Contemplationi impedimento sit hæc placidè, & sine nimia solicitudine procurare: neque enim hæc unquam fuit Sanctorum doctrina. Imò S. Mater Teresia, quæ tam egregiè hanc Contemplandi formam examinavit, quam novi isti Magistri docent, sic pronuntiavit: *Cùm DEUS nobis facultates nostras nobis dederit, ut illis ad operandum utamur, non oportet eas incantare, sed permittendum est, ut officio suo fungantur, donec eas DEUS ipse ad altiora evehat.* Perpendit tantùm, quòd quietis tempore hoc fiat sine strepitu, ne ignis suffocetur parùm opportuna exaggeratione lignorum, quibus ille esset nutriendus. Atque hoc est, quod & ego strenuè propugnare toto hoc libro constitui.

Mans. 4. c. 4.

Vitæ c. 15.

Sed en! adverto esse aliquem, qui imponere hîc mihi conetur, mutando vocem Incantationis facultatum in vocem Obtutûs fixi, quòd nomen veræ Contemplationi convenit, usque adeò splendidum est. Huic igitur discutiendo danda est opera: ut enim in Oratione dari potest Obtutus fixus, cujus summa sit utilitas; ita dari alius potest, qui nullius penitus sit valoris. Rogo igitur Lectorem, ut hîc sit perquam attentus; nec enim leve fraudis periculum est: *Nemo vos seducat inanibus verbis*, clamat Apostolus; *Nemo, Nemo.*

)o(

Caput IV.

# Caput IV.

## *An ſpontanea trium facultatum interiorum in Oratione Incantatio, nomine Obtutus fixi cohoneſtari poſſit?*

### I.

PUlchrum vocabulum puchræ inſtar veſtis eſt, quæ indicio eſt, Perſonam eâ ornatam magnæ dignationis eſſe: atque ita fit, ut non ſemel longè, quàm illi debeatur, major honor, obſervantia & reſpectus tali Perſonæ habeatur, ſicut ſatelles Totilæ, regio amictus habitu, Rex fuit exiſtimatus.

Vellem equidem non idem accideret hodie certo Vocabulo, ad ſupremum faſtigium in Oratione promoto: & eſt hoc ipſum Obtutus fixi. Audio enim mihi dici, Obtutum hunc plus valere, quàm valeant omnia ſenſa nobiliſſima, quæ mens unquam in Oratione poſſit producere, quàm omnes affectus, omnes adorationes, omnes laudes, omnia obſequia, omnes obſecrationes, omnes gratiarum actiones, quæ ipſius loco exhiberi DEO poſſint, imò quòd multis paraſangis actus hos omnes ſuperet.

Quid igitur, per DEUM, rei eſt Obtutus iſte fixus, quocum non ſolùm ſtare in Oratione debeo; ſed eandem inchoare, proſequi, & finire? Fateor hebetudinem meam; quantumcunque legam, & relegam, naturam tamen ejus intelligere non poſſum. Si enim per obtutum fixum aliud non intelligitur, quàm ut homo deſtinata voluntate abſtineat ab animo ad ullam cogitationem applicando, quamlibet cæterà piam ac ſanctam, abſtineat ab omni doctrina, omni ratiocinatione, ab omni motu, qui devotionem in

ipso excitet, hoc non est aliud, quàm suadere Incantationem trium facultatum interiorum, quam S. Teresia passim tanto ardore damnavit. Quodsi hoc inculcetur, ut homo non penitus ferietur, sed mentem applicet; non applicet tamen, nisi ad actum quendam vivæ Fidei, quo DEUM præsentem consideret, respondeo, actum ejusmodi verè esse actum & utilitatis, & virtutis singularis. Sed si hic sufficeret ad assequendam Orationem quietis, felices nos! Credere omnis Orationis principium est: *Credere oportet accedentem ad DEUM.* Sed à prima porta atrij interioris usque ad ultimam, quæ in Templum ipsum ducebat, affirmat Ezechiel, in mensuris his ac distantiis metiendis accuratissimus, quòd quacunque ex parte mensuram aggressus est, ab Ortu, ab Occasu, ab Aquilone, ab Austro, semper spatium inter portas medium centum cubitorum deprehenderit: *Mensus est à porta usque ad portam centum cubitos.* Prô quantum, ultra actum Fidei, requiritur in hominibus etiam Sanctis ad assequendam Orationem Quietis! Possunt illi post talem actum vires præterea omnes impendere in affectibus pudoris & erubescentiæ, in actibus compunctionis, & licet cum his orent præclarè, non tamen orant cum perfectione & excellentia ipsis tantâ facilitate promissâ. Quid fiet igitur, si certo consilio etiam ab his actibus otientur, eo prætextu, quòd unum DEUM velint sinere operari? Quando DEUS loquitur, omnes communi consensu docent mox sistendum Orationis cursum, ut in silentio audiatur, quid ipse dicat, figendúmque in ipso obtutū non firmum tantùm, sed & magnitudine ejus quodammodo attonitum: *Audiam quid loquatur in me Dominus DEUS.* Donec autem DEUS loquatur, non debemus sanè nos illi obstrepere insulsâ, & importuna garrulitate;

Heb. 11. v. 6.

Ezech. 4.

Psal. 48. v. 8.

tate; sed neque debemus rusticâ & cruda inurbanitate muti adstare, & nolle loqui, quia ipse non loquitur: hinc verum quidem est, quòd S. David Rex dixerit: *Audiam quid loquatur in me Dominus DEUS*: sed non dixit, nisi postquam in Psalmo pluribus jam verbis ipse DEUM erat allocutus, rogaverátque infimis precibus, ut desideratum Messiam in Mundum mitteret. Nunc expósita petitione, audiam quid Dominus respondeat, ut idipsum ceteris manifestem. Sic locum hunc exponit Doctissimus Bellarminus.

Quid ergo, per DEUM, sibi vult hic obtutus fixus, quo solo contentos nos esse oportet, cum Orationi nos damus, si Orationem Quietis assequi optamus?

Ad me quod attinet, non video quid aliud dicere possim, quàm quòd sit quidam conatus incantandi semetipsum, contra id quod monebat S. Teresia.

Atque hæc, si Quies erit, non erit nisi Quies illa negativa, quæ capta per intervalla, vocatur Vacatio, seu Cessatio à labore: quando tamen illi plus æquo indulgetur, nominibus haud paulo magis convenientibus vocatur pigritia, somniculositas, non curantia: non est autem illa Quies positiva, in qua acquiescit anima, quæ eam explet & exatiat, facitque beatam, sicut res quælibet est in suo centro. Et hæc est, vera Oratio Quietis. *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua.* Psal. 16. v. 27.

## II.

MEliùs explicari non potest ista Veritas, quàm afferendo communem definitionem Contemplationis Mysticæ, à S. Bernardo traditam. Sic autem respondet iste, quæren- De Scala Claust.

ti quid sit Contemplatio Mystica? *Est mentis in DEUM suspensæ elevatio, æternæ dulcedinis gaudia degustans.*

Non est igitur Contemplatio pura mentis in DEUM ascensio: hæc enim Orationi cuilibet communis est: *Oratio est ascensio mentis in DEUM*: Sed est Elevatio; Elevatio autem naturæ viribus non fit, sed divinis; qualem in Baptismo accipit aqua ad gratiam producendam. Ad hanc autem Elevationem quid requiritur? ut mens se ipsam suspendere conetur? minimè id quidem, sed ut expectet donec suspendatur; & idcirco non dicitur, quòd sit Elevatio mentis se ipsam *suspendentis*, sed in DEUM *suspensæ*. Conetur mens suspendere se ipsam quantum libet suo illo obtutu fixo; laborabit quidem, sed non ideo gustabit cæli delicias.

S. Damas. l. 2. de Fide c. 8.

Et quod hoc ita fit, fingamus Theatrum quoddam pulcherrimum erectum esse, in quo, ut solet, occultis luminibus, objiciatur spectantibus mirabilis illa gloria cælestis; sed ita ut obducto sipario tota Theatri facies ab imo ad summum velata maneat. Ubi siparium sensim demitti cæperit, ò quàm statim omnium illuc oculi convertuntur! Populus, ante tumultuans & inquietus, repentè obticescit: & quò siparium reducitur ampliùs, tantò ampliùs acquiescit populus, eousque ut denique sipario penitus remoto, non oculos solùm in scenam defigat avidissimè, sed in eo sit totâ vi Phantasiæ, tota vi Intellectus, omniúmque quos in corde habet spirituum, tam profundè fixéque, ut Populus quidem, sed statuarum esse videatur. In ejusmodi autem spectatorum potestate non est, ut siparium, cùm illis lubet, reducatur; sed hoc à Principe pendet.

Cogitemus igitur, hoc non obstante illos in cortinam seu siparium sic oculos defixos tenere, perinde acsi reductum

ctum esset, an aliquid eâ re proficient? Haud sanè. Inclusabit populus moram, & mordebit labra, quis ambigat? non tamen obtutu desiderato se oblectabit.

An non igitur, si istud accidat, nihil aget rectiùs, ut Spectaculo amœnissimo fruatur, quo nondum gaudet, quàm si cogitare secum occipiat, quomodo se habeant Ludi, quos dare parat tantus Monarcha, rimetur, investiget, speculetur, atque ita pro modo suo illis oblectetur, nixus tamen credulitate viva, quæ ipsi proponat, quòd quantumcunque de tali spectaculo cogitet, infinitis tamen parasangis minus futurum sit illo, quod re ipsa est.

Ita res se nostræ habent. DEUS obduxit siparium, quo nostro obtutui eripiatur penitus cælestis gloria, non illa adumbrata tantùm, sed vera. Si ipsi placuerit siparium amovere, salva res est: pluribus enim opus non est, ut sequatur obtutus fixus trium facultatum interiorum, quæ Populum repræsentant. Sed si siparium DEUS amovere non vult, quid agemus? an figendo obtutum in cortinam efficiemus ut illa reducatur? Nihil minùs. Eam enim reducere non donum tantùm est, sed donum planè penitúsque gratuitum: quod tamen lege ordinaria sæpius ille accipit, qui se illo magìs indignum agnoscit. Quantò igitur melius est, ut tunc facultates nostræ se occupent in cogitando, quantum demum bonum illa gloria esse debeat? Hic est obtutus, quem nemo non figere debet, & solus ille aliquid conferre potest ad hoc, ut tantò citiùs siparium reducatur. Ille autem obtutus, qui remoto sipario consequitur, non multum, ut arbitror, curandus est,

nisi tunc cùm re ipsa illum DEUS

donat.

III. Du-

III.

DUbium tamen est inter Sanctos, utrum donum Contemplationis Mysticæ à DEO petere, ad illud aspirare, perfectius sit; an verò oppositum? Variæ sunt ea de re opiniones. Mihi, si, quid sentiam in hac controversia, aperire fas est, censeo quòd, sicut demissionis studio potest non appeti, ita à nonnullis non appetit antùm, sed & precibus flagitari possit, dummodo hoc facere nôrint nulla demissionis jacturâ. Sincera tamen demissio hoc semper exigit, ut homo in omnibus donis, quæ ad nos Sanctos reddendos necessaria non sunt, quantum in se est, refugiat potiùs, quàm sese intrudat, sicut ipsa adeò DEI Mater fecit, quando ad dignitatem Matris DEI se destinatam inaudiit. *Oportet humiliter sentire de se nitentem ad altiora*, sic ad rem nostram jam olim S. Bernardus pronuntiavit, *ne dum supra se extollitur, cadat à se, nisi in se firmiter per veram humilitatem fuerit solidatus.* Quomodo autem demissionem tam solidam in se supponere potest, qui deliberatâ voluntate non vult re aliâ uti in Oratione, quàm Obtutu fixo, qualis consequi solet cùm siparium Theatri reducitur? perinde ac si misellus ea ratione experiri tantisper velit, an efficere possit, ut reducatur aut miseratione erga ipsum, aut per modum præmij. O quàm facile tum est, ut citiùs etiam quàm velit reducatur cortina! sed à quo? ab Angelis? ita sanè ab his, sed illis duntaxat, qui se è tenebricosis transformant in Angelos lucis.

Serm. 24. in Cant.

Quid juvat igitur ad Orationem conferre se cum obtutu fixo, etsi sit Obtutus Fidei, cùm satiùs esset, loco talis obtutûs, dare operam multis piis considerationibus, quæ multum conferant aut ad emendationem morum, & vitiorum, aut ad profectum proprium, aut ad augmentum perfe-

perfectionis, aut etiam ad intimam cum DEO conjunctionem? Elationem animi, meo quidem judicio, sapit, dicere cum non nemine, quòd *Contemplativus non velit cognoscere suâ cognitione, sed quòd velit cognoscere cognitione DEI.* Non videtur hoc mihi dictum ad amussim humilitatis, cùm, etsi fieri hoc posset, ne quidem ad hoc anhelare deberet, ne dicam tantum præsumere.

Hoc non est velle operari cum DEO: est velle ut DEUS solus operetur in nobis. Hoc tamen nemo unquam prætendat, clamat Mellifluus, *Cooperatores enim DEI sumus, dicit Apostolus.* In Scal. claustr.

Veniat igitur huc, veniat Obtutus ejusmodi fixus tot laudibus celebratus; dicam ego illi, quod olim S. Benedictus illi Totilæ satelliti: *Depone fili, depone quod geris; nam tuum non est.* Quid dissimulamus? Iste Obtutus fixus in Oratione verè Paludamentum est regium, sed non competit illi Obtutui, quem nos nostris viribus in DEUM figere possumus. Obtutus hic simplex est, communis multis in Meditatione, etiam rudissima; nec cum illo aliquid habet, quem figimus in DEUM, cùm sine velamine ille se nobis videndum exhibet. Et hic est obtutus ille tam sublimis, qui ad cælum usque laudibus effertur, qui tantum valet, quantum sensa omnia nobilissima, quæ unquam concipere mens possit: qui ut amore plenus est, ita tantundem valet ac affectus omnes, omnes adorationes, omnes laudes, omnia obsequia, omnes obsecrationes, omnes gratiarum actiones. Ille quem nostris viribus efficere conamur, valet equidem, valet aliquid; sed nonnunquam tam parum, ut sub velamine tam pulchro Obtuctûs fixi, lateat turpis ille, quem dixi, sensus, quod nos in Oratione nolimus operari, sed velimus ut DEUS pro nobis otiosis operetur.

retur. Atque hinc, si multum non fallor, optima S. Teresia toties, quasi brachiorum nisu, clavum istum figere & firmare conata est, ne in Oratione attollere nos velimus, nisi fuerimus in altum elati. Noverat enim optimè præclara hæc Magistra, lumine illo quo illustrata à DEO erat, quanti hæc doctrina momenti esset.

## IV.

NOn defuit tamen, quis crederet? qui subtili artificio id ageret, ut tantæ Magistræ authoritatem elevaret; & idcirco qui tam solicitè conatur in libello aliquo persuadere oraturis, ut satìs habeant in oratione habere simplicem obtutum stabilem, quam virtute Fidei ipsa in DEO figat, ut hujus ope orationem quietis consequantur; providit apertè bellum manifestum, quo ipsum impugnatura erat Magistra tam sancta, tantæque in hoc genere æstimationis; etsi enim obtutus ejusmodi non sit suspensio perfecta facultatum (satìs enim constat non posse hominem sic omnes earum operationes suspendere, nisi ad somnum sese componat) est tamen continuata actuum cessatio, quæ tantùm non æquivalet illi suspensioni. Hoc autem posito quid egit Lynceus iste scriptor, ut contra talem adversariam se obarmaret? Destinato consilio tulit sententiam, & judicium de illius Sanctæ operibus; & cùm illa generatim ad cælum usque, ut merentur, extulisset; subinde definivit, quòd sicut Sancta in iis scribendis non nimis solicita fuit, ut res propositas ordine tractaret, sed eas implicitas & cumulatas proposuit non sine multis digressionibus etiam longissimis, quibus excurreret ad Zelum suum exerendum, sic in iis exprimendis non semper assecuta

assecuta sit, ut id quod dicere volebat, distinctè exprimeret, sed contenta esset res proposuisse meliore modo quo poterat: atque hoc non sine profundo divinæ Providentiæ consilio: cùm enim DEUS communicâsset Sanctæ doctrinas solidas, sublimes, & humana imbecillitate, ad eas exprimendas, superiores, noluit, ut nimis minuta accuratio, in scribendo illi collata, dubium faceret, an à femina talia proficiscì opera potuerint.

Laudes DEO, quòd tandem hoc nostro seculo inventus aliquis est, cui DEUS contulerit gratiam explicandi res solidas, sublimes, & humanaad res dilucidandas facultate superiores, felicitate tanto majore, quàm illa fuit, quâ sponsam sibi tam caram dignatus est.

S. Teresia conceptus suos & notitias clarè proponere ac distinctè non potuit? agnosco me vilissimum tertæ vermiculum, cui vox nulla est: qualem tamen cunque habeo, omnem illam colligam, & deinde clamabo, ut Christianus me Orbis quaquaversum exaudiat; Falsum hoc est, falsum. Quin imò ego paratus sum propugnare, Sanctam hanc, siquam habuit in scribendo excellentiam & jus prærogativum, hoc præcipuè fuisse, res propositas dilucidè explicandi. Scio equidem, luscum, qualem me non nego, de coloribus, quibus telas suas manus tam artifex tinxit, nunquam rectè posse judicare. Dico tamen, pro diuturno illo studio, quo in id solerter incubui, ut discerem animi mei sensa, quantum fieri poterat, calamo exprimere; S. Teresiam eam esse, quæ istâ eâdem in re ruborem excutere possit omni superbè se efferenti; dummodo stulta de se præsumptio mentem illi omnem non excusserit: tam vivida in iis omnia, tam propria, comparationes tam aptæ, tam perfecta adjunctorum omnium, quæ rem, de qua agit,

circumstant, comprehensio: quæ ipsa causa est cur ejus doctrinæ ad incudem vocatæ tam solidæ inveniantur, nec vel summus Scholarum rigor reprehendere in iis quidquam possit.

Quomodo igitur invenire erit aliquem, qui ad propugnandam voluntariam ab agendo in Oratione cessationem, non vereatur dicere, Sanctam Magistram non potuisse in præsenti argumento mentem suam exprimere? Expressit enimvero plus quàm clarè ac distinctè, non ita tamen, ut hæc ejus claritas lucem etiam iis afferret, quibus non est propositum ejus doctrinam hac etiam in quæstione sequi, sed satis habent apparentem saltem aliquam ejus reverentiam præseferre.

Femina erat, sic est: eo tamen non obstante contulit in illam DEUS donum tam prodigiosum mentem suam explicandi (etsi ipsa dicat, se id non semper paucis præstare potuisse) ut appareret feminam scripsisse, DEUM tamen ipsum feminæ voces dictâsse. Quodsi nonnunquam digreditur (quod nemo non in itinere difficili etiam de industria facit) nunquam tamen non in semitam prudenter valde regreditur. Ideo explicari non potest, quantopere ego obstupescam, quòd non desit, qui, ad persuadendam Mundo doctrinam non solùm, si momentis res suis libretur, pugnantem cum sensis talis Sanctæ, sed omnium etiam qui ante ipsam hoc argumentum tractârunt, tentet tam præclara opera non sine considerabili exceptione laudare.

## V.

ET quid aliud, ad nostram usque ætatem, inculcârunt, quotquot de Oratione tractârunt, nisi, ne quis sua optione

ptione priora subsellia ambiat? Innumerabiles sunt qui ad hoc adstruendum afferunt ipsum adeò præceptum, quod Servator noster tulit: *Cùm invitatus fueris ad nuptias, recumbe in novissimo loco.* Matth. 4. v. 8. Nec minore numero illi sunt, qui vehementer improbant, si quis confestim in Oratione prosilire velit ad osculum faciei. Principiò multò satiùs est semet ad pedes abjicere, & illorum osculo esse contentum. *Pedibus Christi oscula casta figamus*, ajebat S. Paulinus, *ut mereamur à pedibus in caput surgere.* Ep. 4. ad Sever.

Cui ejusmodi effata Sanctorum non sufficiunt, Albertum Magnum audiat pulcherrimè differentem, nobisque demonstrantem, quàm proprium sit de se demissè sentientium, existimare se indignos omnibus divinis favoribus, antequam illos accipiant, & postquam acceperint, expavescere. *Argumentum veræ humilitatis est, cùm in tantum se homo dejicit, quòd omni gratiâ se indignum sentit, nec audet etiam aliquam gratiam appetere; & si præterea à DEO super se ipsum absque suo desiderio effluxerit, cum timore percipit, immo laudabilius judicat carere DEI gratiâ, quàm habere gratiam DEI, quam toties diversis modis demeruit, quam toties diversimodè deturpavit, quâ nunquam secundùm ordinationem DEI fruebatur.* Parad. an. c. 2. Sic scripsit Albertus calamo non inferiore illa mente, quæ Magni nomen promereri potuit.

An autem præceptis ejusmodi obtemperant, qui mox sub orationis initium volunt defigere obtutum suum in DEUM purum purissimum, & sic illius tempus transigere, ut lumen habeant omni nostra capacitate & aptitudine superius? Mihi quidem istud haud quaquam videtur. Quodsi progredienti in Oratione DEUS voluerit suspendere usum omnium facultatum, concedendo lumen quoddam admi-

rabile, eja, faceſſat ſanè, dicam etiam ego cum S. Tereſia,
Vitæ.c.22. faceſſat, bona mea pace, omnis non tantùm imago, omnis non ſolùm ratiocinatio, omnis non ſolùm affectus, elicitus modo naturæ noſtræ reſpondente, ſed ipſa adeò præſentia Chriſti JESU, quâ priùs fruebar; ejus enim tunc jacturam facio, ut meliori illam modo lucrifaciam. Antequam tamen DEUS me ſuſpendat, non ita ſit. Etſi enim hoc aliud non foret, quàm tenuis pulviſculus ſuperbiæ; hic ipſe tamen pulviſculus etſi oculos ipſos fugiat, repetam cum eadem Sancta, plurimum tamen damni affert ipſi Con-
Ibid. templationi, quæ deſideratur. *Ec quis erit ſuperbus ille, qui etſi laboraverit per omne vitæ ſuæ tempus omni genere aſperitatum, perſecutionum, orationum, quas vel cogitare poſſimus, non ſatis ſibi præmij obtigiſſe exiſtimet; ſi conceſſerit ille DEUS, ut ad pedem Crucis cum Joanne illi ſtare liceat?* Ita loquebatur Sancta, ſatis, nî fallor, magnâ animi ſui ſenſa exprimendi facultate. Atque ita optem & ego id dicere poſſe, ſi non eâdem facultate, quod parum intereſt, eodem
Pſal. 103. certè ſpiritu: *Montes excelſi cervis; petra refugium here-*
v. 18. *naciis.*

Et idcirco concludamus, quòd multo meliùs ſit Orationis initio hiſtricis inſtar indigni comparere, intra latibulum ſe recipere, aut vulnerum Chriſti, aut aliarum conſiderationum magis vulgarium & uſitatarum, quàm repentè Cervum velle imitari, & ad Montes procurrere; niſi tamen ipſe nos DEUS noſtris illis è latebris evocet, ut, quoad ejus poteſt, nos dignetur clara ſui cognitione altiſſimo genere Contemplationis.

(o)

## Caput V.

# Caput V.

## *Ostenditur, Contemplari in mortali hac vita in nullo de via ordinaria posse esse statum fixum & permanentem.*

I.

VIdetur tam multis, quæ in medium allata sunt, clausus esse omnis effugio exitus, & tamen etiamnum hæremus in limine. Isti enim, ut fugiant, tempestatem tam atrocem, quâ percutiuntur, dum nunc arrogantiæ, nunc audaciæ, nunc præsumptionis arguuntur, non cessant vociferari; superbiæ ejusmodi tunc locum fore, si, qui vocatus à DEO non est signis indubitatis, præsumeret tamen ad Contemplationem anhelare, nondum in via DEI stabilis, nondum provectus, aut etiam nondum contemplandi habitum assecutus. Ubi tamen quis ejusmodi habitum consecutus est, tum, inquiunt ipsi, Contemplatio certis aliquibus Animabus est status permanens, aut fixus. Tunc enim quid porro quæritur? Potest enimvero tunc anima in ipso adeò Orationis principio cessare ab omni usu facultatum ad hoc ut recipiat lumen illud Supernaturale, quod DEUS mentibus infundere consuevit, contenta non aliud cum DEO agere, præter solum illum obtutum fixum: neque enim superbiæ ullo modo damnari potest, si illo se in statu conservare laboret, in quo illam DEUS posuit, quantumcunque ille excelsus sit.

His ego quod porro opponam non habeo, si vera sunt, si tamen Contemplatio, ut ponitur, nonnullis animabus est status permanens; aliud ego ardentiùs non expeto, quàm ut liceat mihi festinare ad eas reverenter amplectendas.

Ah!

Ah! ubi, ubi tandem sunt istæ Animæ? Maximè cùm ipsa adeò S. Teresia nunquam se existimârit tali in statu esse. Felix hoc nostrum seculum, quod tantùm non totas gignit sylvas illarum palmarum, quas aliis ætatibus nonunquam & per intervalla reperire erat in cultissimis campis Casini, Cistertij, Claræ Vallis, & ipsius adeò Nitriæ interioris! Quid non conabantur Sancti illi solitudinis Inquilini, ut novas indies rationes modósque excogitarent, quibus operationum & actuum vi mens DEO conjuncta permaneret? tam rarò ea ætate spes erat obtinendi illius obtutus fixi. Sufficiet hanc in rem legere Cassianum. Si modò Animæ tam Beatæ tanto sunt numero, quo pretio non comparâsset sibi gratiam, hoc demum seculo nascendi, S. Augustinus? Quibus tandem ille verbis DEUM alloqui consueverat? an non fatebatur, se quidem per intervalla jucundissimâ istâ quiete intus frui, omnésque facultates suas cum illo habere conjunctas? non tamen nisi rarò hanc sibi gratiam obtingere: *Aliquando*, non semper, non, *aliquando aliquando* quidem, ajebat ipse, *intromittis me* (nec enim ipse sese intrudere volebat) *intromittis me in affectum multum inusitatum introrsum, ad nescio quam dulcedinem, quæ si perficiatur in me, nescio quid erit, quod vita ista non erit. Sed recido in hæc, ærumnosis ponderibus, & resorbeor solitis, & teneor*: ô doloris summi indices voces! *& multum fleo, sed multum teneor. Tantum consuetudinis sarcina digna est. Hic esse valeo, nec volo: illic esse volo, nec valeo: miser utrobique.* Ubi tandem idioma aliud pulchrius audiri potest, nisi in Cælum eatur? Sed transeamus ad S. Bernardum, & ex ipso audiamus, quid ipse aliquando hoc de argumento

Serm. 11. in Cant. sensérit: *Quis*, ajebat, *quis non dico continuè, sed vel aliquamdiu, dum in hoc corpore manet, lumine contemplationis fruatur?*

*fruatur?* An non & S. Gregorius, sublimi illo è throno suo, audiri in hac causa mereatur? Ipse explicans illa verba Job: *In suavitate Contemplationis intimæ non diu mens figitur: quia ad semetipsam immensitate luminis reverberata revocatur.* Lib. 5. Mor. c. 23. Heu! lux adeò ipsa, cùm crescit, sub auroram eum excitat, qui tam suaviter dormiebat.

Advertendum proin est, aliud esse statum Contemplativi, aliud, statum Contemplationis; si tamen nos quoque istis uti volumus vocabulis, aut potiùs illis abuti. Status Contemplativi non consistit in suspensione trium facultatum, quæ suspensio Quietem illam efficit: Contemplativus siquidem aliis insuper exercitationibus, etiam externis, necessariò defungi debet, nisi planè otiosus ac ignavus hoc in Mundo esse velit. Sic autem, ut docet S. Thomas, si per Contemplationem hujusce generis status intelligitur, Contemplatio, toto vitæ tempore durare potest. Status Contemplationis quantumcunque diligenter quæratur in Mundo, reperitur nuspiam: haud aliter ac non reperitur status citharizandi, saltandi, cantandi; etsi reperiatur status Citharœdi, Salij, Cantoris. Et ratio est, quia Contemplatio non est habitus, sed actus: atque hic, ipso S. Thoma teste, non nisi brevis esse potest: cùm enim Contemplatio consistat in quadam operatione intensissima, quam Anima exercet, quando simul operatur ad levandam se supra se (nisi DEUS opus naturæ viribus superius operari velit) brevi tempore durat: nec enim actus ullus in summa illa intensione diu durare potest. *Nulla actio potest diu durare in sui summo*: id quod nulla non die experimur in arcu intenso, in cantu acutissimo, in cursu præcipiti, in volatu sublimissimo. Atque ita, *Quantum ad hoc*, inquit S. Thomas, *Contemplatio diu durare non potest, licet quantum* 2. 2. q. 18. ar. 8. ad. 4.

*ad alios Contemplantis actus*, qui sunt, legere, recogitare, animum reflectere, piis affectionibus cor inflammare, *possit diu durare.*

Ego igitur, sanctâ quâdam incensus invidiâ quæro ex illis tam multis Animabus, quæ hodie pertingunt ad statum fixum non Contemplativarum tantùm, sed actu Contemplantium, quid tandem ipsæ agant, ut tantum Bonum tam constanter ipsis liceat possidere? O illas verè Beatas! sed me timor angit, ne hæc earum Contemplatio non sit ex illo genere Contemplationis, quæ tantis laudibus effertur. Timeo, ne sit duntaxat habitus quidam, valdè quidem ille Bonus, facilè colligendi animum, eúmque DEO, quoad ejus potest, conjungendi. Iste sanè longe utilissimus est ad profectum; communis tamen etiam illis, qui meditantur. Neque ad hunc assequendum, necessarium unquam fuit, cùm orandum est, solo obtutu fixo ac simplici esse contentum: neque enim colligere tantùm animum, DEOque, se præsentem sistere, solius est Contemplationis Mysticæ, quæ sic definitur; *Elevatio mentis in DEUM suspensæ, æternæ dulcedinis gaudia degustans.*

## II.

VTinam intelligeretur, quàm præclarum hæc Contemplatio DEI donum sit! Est ista donum luminis supernaturalis, sed vivacissimi, cujus ope Anima perspicit res omni humana capacitate superiores, sic ut illa amore ebria incedat, atque ita maneat nunc alienata penitus, nunc absorpta. Videmus autem nos, lumen duplici ratione esse posse in illo, qui id habet. Potest esse in illo stabile ac permanens, sicut illud habet sol: & potest esse in illo transiens,

fiens, ut est in Aere. Nemo tamen sibi persuadeat, lumen, de quo nobis sermo, in cujusquam mortalium Anima posse esse permanens: aliàs sicut qui lumen propheticum permanens haberet, vaticinari posset, quotiescunque illi collubitum est, id quod (sicut à S. Thoma animadversum est) planè pugnat eum eo, quod Prophetæ ipsi professi sunt; ita qui lumen Contemplationis permanens haberet, Contemplari posset quocunque vellet tempore. Hoc autem ubi tandem invenitur? Sancti omnes identidem alia omnia profitentur. Neque enim vult DEUS, ut ulla Anima stultè sibi persuadeat, se Solis instar esse; sed ut omnes contentæ sint habere se instar aëris, quem modò lumen tam splendidum collustret, modò illi subtrahatur. Atque utinam vellent boni Superi, brevius esse illud tempus, quo lumine hoc destituitur, quàm sit illud, quo eodem locupletatur! Nihil profectò minus accidit. Rariùs illo fruitur, quàm Aër diurnâ illâ suâ luce resplendeat in ultimo Grœnlandiæ angulo; & præterea repentè deinde illo privatur. *Rara hora, brevis mora.* Ita hoc de lumine Sanctus ipse Bernardus loquebatur, qui tam præclarè de illo disseruit. S. Augustinus excelsam illam Contemplationem, quam Mysticam appellamus, vocavit: *Momentum intelligentiæ.* Et ne hæc loquendi ratio obscurior videretur, Gilbertus Abbas alicubi clariùs pronuntiavit: *Gaudium Contemplationis est instar puncti*: & alibi cùm ponderâsset illa verba: *Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus*: concluſit denique affirmando; Visionem ejusmodi, quo plus habet suavitatis, tanto etiam magìs esse subitaneam. *Subitanea est, & sui juris hæc visio, in spiritu vehementi vadens, & veniens. Subitanea est, & momentanea; repentè veniens, & repentè vadens. Etsi momentanea est, manent tamen reli-*

2.2.q.171 a. 2. c.

Serm. 3. in Cant.

Confess. l. 9. c. 10.

Serm. 44. in Cant.

Psal. 32. v. 8.

In Cantic. Serm. 6.

*quiæ cogitationis tam succensæ, tam serenæ, & diem festum agunt in animo recordantis.*

Et verò an non satìs videri nobis debet, quòd DEUS supernaturali hoc lumine hac in vita videndum se nobis præbeat, utut parcè: hoc est, aliquando tantùm, aliquibus tantùm, nemini autem, nisi tantùm in transitu. *Cùm transibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, & protegam dexterâ meâ donec transeam.* Sic DEUS Moysi dixit: Eliæ autem in eundem sensum: *Egredere, & sta in monte coram Domino, & ecce Dominus transit.*

Exod. 10. v. 14.

4. Reg. 19. v. 11.

Quid igitur ille tandem sibi persuadet, aut quem se æstimat, qui ita tractari vult, tanquam in ipso gratia Contemplationis non sit transiens, sed permanens? ad me quidem quod spectat, non dispicio, quomodo superbiæ tribui non possit, conferre se ad orandum hoc maximè fine, ut recipiat à DEO illud lumen, quod Animæ minùs est debitum, etiam postquam sexcenties ante eidem collatum fuit, quàm sua lux aëeri. Quisquis ita se gerit, videbitur sibi habere lumen supernatulare, quod à DEO sit; & tamen habebit lumen, non quidem naturale, illius autem generis, quod tribuit non luminis veri author, sed falsi & apparentis malignus simulator.

Hæc autem si ita habent, necesse est dicere, Legem istam, quæ jubet, ut in Oratione cessemus omni meliore modo quo possumus, ab omnibus facultatum nostrarum actibus, si tamen optamus, ut DEUS illas suspendat, Legem, inquam, hanc esse merè arbitrariam; non solùm quia ipsa per se non juvat ad obtinendam à DEO beatam istam suspensionem, quæ à DEO expectanda est tanquam donum, non ut debitum, etiam postquam sæpius antehac collata fuit; sed quia pro eo quòd juvet, obest non parum,

propter

propter grave periculum, quod hîc incurri potest, superbiæ, sepultæ quidem; sed non mortuæ.

Postulat præterea ratio, ut quilibet observet Legis hujus repugnantiam cum decoro & recta ratione; etsi non desint, qui illam tanti æstiment, ut prima ac præcipua videatur. Ad hoc adstruendum dicam aliquid, quod omnes mirentur. Est scriptor aliquis, qui dum instituere vult Animam, quæ ad ipsum accessit, ut ex eo intelligeret prima principia admirandæ hujus Orationis Quietis, jubet ante omnia, ut cum ipso procumbat in genua, non ut Spiritus divini opem imploret Hymno illo, *Veni Sancte Spiritus*; aut *Veni Creator Spiritus*: id quod Sanctæ Ecclesiæ ejusmodi in occasionibus solenne est; sed tantùm ut ibi persistat spatio, quo recitaretur Salutatio Angelica, in summo silentio non modò verborum, sed etiam cogitationum, ut audiat quid confestim ipsi ad cor locuturus sit DEUS: haud aliter ac si ista esset prima & immediata basis totius Contemplationis Mysticæ, non solùm obmutescere penitus, non solùm nihil cogitare, sed desiderare ut DEUS confestim excitetur ad conferendum cordi nostro lumen infusum. Ego hîc Authorem istum nomine suo non compello; cùm mihi cum ipso litis planè nihil intercedat, imò ne quidem illum noverim, maximè si, ut præfert, trans Montes habitat. Res mihi tantùm est cum aliquibus ejus dogmatibus in hoc, quod tractamus, Orationis argumento: cùm illa inveniam pugnare è diametro cum documentis, quæ Sancti tradidêre, ut hactenus videre licuit, & deinceps in decursu meliùs videbitur; cùm ego illa impugnabo, non datâ quidem operâ, sed ex occasione: nec enim is libelli hujus finis est, quemquam rectà petere, & velut

singulari cum illo certamine congredi ; sed tantùm, ut quantum DEUS mihi dederit, triumphet Veritas, prosternendo & humi affligendo nunc hunc, nunc illum, qui importuno occursu victoriam morantur, sive id faciant sine bono, sive malo, cûm hoc perinde sit.

Equidem author ejusmodi, qualis est, cujus præ aliis memini, non injuriâ queri de me potest, si non affero in medium id, quo ipse se purgat, suamque causam tuetur, cur tam pugnantia cum Sanctorum doctrina tradat. Affert autem ad sui defensionem, quòd Sancti illi non observaverint, Contemplationem in quibusdam animabus posse esse statum fixum.

Ego tamen non possum dispicere, quomodo Sancti ad rem hanc animum non adverterint; nisi dicamus, illorum ætate nondum fuisse natas Animas tam nobiles, quales hæc ætas fert. Sed quæso parciùs ista. Quomodo Animæ tam nobiles natæ non erant, si ipsi omnino erant Animæ magìs omnino nobiles, quàm forsitan ætas ista ferat?

)o(

## Caput VI.

# Caput VI.

## *Utrum voluntaria facultatum in Oratione Incantatio honestari saltem possit modestillimo titulo, professionis tacitæ, quâ nihilum nostrum coram DEO venerabundi agnoscamus.*

### I.

NOmen Superbiæ Animabus DEO caris tam formidabile est, ut solum illud abunde sufficere posset, ad pellendam procul voluntariam hanc ab omnibus actibus in Oratione cessationem, quam hactenus impugnavimus, si vel suspicari possent, latere ibi monstrum tam tetrum. O! quanto illis optatius est, excedere potiùs in sui abjectione, & dicere ad DEUM cum S. Petro: *Exi à me, quia homo peccator sum, Domine*; quàm superbiæ periculo se exponere, petendo à DEO cum sponsa osculum vultûs, dum certæ sunt, tanto se meritorum intervallo infra Sponsam esse: *Longus saltus & arduus de pede ad os*, ajebat S. Bernardus. Eâque causâ bonæ istæ Animæ, cùm non credant satìs sibi virium esse ad saltum tam arduum, summæ dignationis loco habent, posse hærere ad pedes; maximè ex quo S. Teresia sine ullo verborum aut fuco, aut involucro, ipsas docuit, gratum valdè DEO esse; si Anima, cùm advertit divinam Majestatem suam id agere, ut ipsam ad sublimem Contemplationem evehat, magna animi demissione, tanquam indigna, pedem referat, ipsa illa, quæ paulò ante citavimus, S. Petri verba proferendo, quæ huic Sanctæ perquam familiaria fuerunt, & quæ ut prorsus mihi persuadeo, hodie quoque rectè à quocunque usurparentur. Luc. 5. v. 8.

Necessa-

Vitæ c. 22. Necessarium proinde fuit animum Cervis istis timidis addere, quæ vel bonum Angelum insequentem fugiunt, cùm radiorum suorum splendoribus illas terrefacit. Idcirco ipsis tanquam Veritas, quæ dubium nullum admittat, inculcatur: voluntariam hanc ab omnibus actibus cessationem, quam hîc ego tam vehementer impugno, in Oratione, exercitationem esse humilitatis exquisitissimæ, & longè omnium, quæ exerceri possint, ad rem aptissimæ: cùm hoc non sit aliud, quàm tacitè quidem, sed ratione perfectissimâ, nihilum nostrum coram DEO profiteri.

Ego hîc confestim ad DEUM versus lumen peto, quo manifestè detegam fraudem occultam: nunquam enim difficiliùs ad primum suum accessum Superbia agnoscitur, quàm quando Humilitatis larvâ velata adventat.

Et primò quidem ego in controversiam nulla ratione vocabo, quòd profiteri coram DEO nostrum nihilum, modo quo fieri possit perfectissimo, sit præparatio longè omnium optima ad recipienda dona tam sublimia, qualia sunt illa, quæ secum fert sancta Quietis oratio: quò enim altius foditur fundamentum, tantò sublimius tam elegans assurget ædificium.

Inprimis tamen metuo ego, ne ipsa ista cessatio superba sit, quando id eâ rectâ & uniceè spectatur, ut in Quiete se Anima collocet: jam enim vidimus, quomodo Albertus Magnus edicat disertè; quòd verus Humilis nunquam credat, se ad eum statum pertigisse, ut ad tam excelsa ipse sese attollere debeat; sed, si multum, dicere tantùm cum Psalmographo possit: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ?* Psal. 54. v. 7. non debet velle, ipse sibi aptare alas, quibus evolet, nisi malit, Alas suas Icari alis similes esse. Nec Albertus solus ita pronuntiat, sed ceteri omnes, qui suâ ætate non

non agnoverunt ejusmodi statum, in cujus notitiam recens perventum est, Contemplationis Mysticæ habitualis: cùm ipsa illa Mulier, sole undique amicta, cujus Apocalypsis meminit, perfecta altissimæ Contemplationis imago, non dicatur habuisse alas humeris suis affixas, sic ut arbitrio suo, quando collubitum esset, recipere sese posset ad quamcunque internæ solitudinis stationem, sed dicatur, quòd ad contemplandum in deserto DEUM, ubi tantumodo cessat omnis tumultus Imaginationum, ratiocinationum & affectuum, pedibus ipsa se suis contulerit: *Fugit in solitudinem, ubi habebat locum paratum à DEO.* Ut tamen tenderet in solitudinem, ubi non tantùm tumultus istarum rerum cessat (ut acutè observavit Hugo Cardinalis) sed cessant etiam istæ ipsæ res, aut saltem dici possunt cessare, dum videri desinunt; eum in finem alæ ipsi datæ sunt. *Datæ sunt Mulieri duæ Alæ Aquilæ magnæ, ut volaret in desertum.* *In Hunc locum.*

Mihi igitur, quod quidem ad me attinet, superbus ipse viderer, si in solitudinem pedibus me meis recipere non curarem, sed ipse mihi affingere Alas vellem, quibus volarem in Desertum.

## II.

SEd demus, facere hoc posse quemlibet pro arbitrio: ego sanè quantum ad me spectat, videre non possum; quomodo perfectiùs profitear coram DEO meum Nihilum, illúdque agnoscam nihil planè agendo, quàm si aliquid agam & operer, illud actu ipso profitendo. Hoc enim modo magis mihi videor ostendere DEO desiderium, quod habeo, talis professionis exercendæ. David Rex an non

sexcenties coram DEO nihilum suum professus est? *Substantia mea tanquam nihilum ante te.* Et tamen non lego, quòd unquam id fecerit, facultates suas ab omni operatione suspendendo, & fugiendo omni conatu cunctas Imaginationes atque affectus. Invenio potiùs, quòd professus id sit junctim ob oculos sibi ponendo sensa illa, quæ magìs erant idonea ad nihilum illud suum quocunque in genere quàm vivacissimè repræsentandum.

Psal. 48. v. 6.

Attendatur igitur, & intelligatur probè: in hoc enim, meâ opinione, rei cardo vertitur. Non elicit actum Humilitatis profundioris, qui magìs cessat ab omni operatione propriâ. Id enim si ita esset, qui nihil faceret pro gloria DEI, neque cum Publicano ad Templum se conferret, neque staret à longè, nec demitteret oculos, nec ad modestiam se conformaret, nec percuteret pectus suum, neque quidquam eorum ageret, quæ ille egit, quando sic DEUM allocutus est, *DEUS propitius esto mihi peccatori*; perfectiùs profiteretur suum nihilum, quàm id fecerit ipse Publicanus, qui cuncta ista faciendo è Templo reversus est, tantopere, ob animi demissionem, à Christo JESU commendatus. Humilitas in duobus consistit. Primum est; facere pro DEO quidquid uspiam possumus, quod non transcendat ordinem Gratiæ, quam nobis prudenter promittere possimus. Alterum, ut sub ipsum illud tempus meminerimus, agnoscamus, & fateamur, quòd quidquid demum facimus, nos faciamus totum virtute adjutorij divini, quod DEUS nobis dat, ut faciamus. Ita me docet Apostolus: *Fiduciam habemus per Christum ad DEUM; non quasi sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex DEO est.* Non dixit Apostolus, *non quasi sufficientes simus cogitare aliquid à nobis*: hoc enim

Luc. 18. v. 13.

2. Cor. 4. v. 7.

enim non esset se abjicere, sed mentiri: dixit, *à nobis, quasi ex nobis.* Proprij enim nihili professio fit, tribuendo DEO laudem ex omnibus, sed planè ex animo. *Omnis sufficientia nostra ex DEO est.* Quomodo igitur ampliùs, & perfectiùs profitetur suum nihilum, qui ad hoc profitendum facultatibus suis penitus nihil agit, quàm qui iisdem aliquid agit? Perfectiùs profitetur, qui magis ex animo. Ceterùm efficere aliquid, aut non efficere in ejusmodi professione, res est penitus indifferens ad bene profitendum. Dico potiùs, quòd quisquis nihil agit, cùm illum DEUS in statu suo naturali relinquit, præfidenter se gerat; cùm, quod supra monebamus, prætendat elevare se non elevatus. Vera animi demissio consistit in agendo, quidquid vires nostræ permittunt; & non in voluntaria cessatione ab omnibus prorsus actionibus, donec DEUS omni nos labore liberet, quem ceteroquin actiones illæ annexum habent.

*Vacate & videte, quoniam ego sum DEUS*: ait Dominus. Quid autem ita loquendo innuit? an ut vacemus ab omni exercitatione nostrarum facultatum, etsi agere aliquid possemus? Nequaquam: id enim si ita esset, dixisset tantùm: *Vacate, & ego ostendam vobis, quoniam ego sum DEUS:* Dixit autem, *Vacate & Videte:* & idcirco vult, ut ipsi nos etiam aliquid agamus. Hic verborum istorum sensus est: *Vacate, non tamen per pigritiam*, addit Hugo. Vult Dominus ut vacemus, ita est: sed à quo nos vult vacare? vult inprimis ut vacemus à vitiis: *Quiescite agere perversè.* Deinde ut vacemus à solicitudinibus, vacemus à strepitu & tumultibus, vacemus nonnunquam etiam ab illis curis, quæ ceteroquin non sine laude sunt; útque tempus deligamus, quo hoc agamus unicum, ut cognoscamus, quo-

Psal. 45. v. 11.

Hugo in Psal. 45.

Psal. 14.

quoniam ipse est DEUS. *Vacate, & videte, quoniam ego sum DEUS.* DEUS, inquam, ut in se est, ut quidam explicant; aut DEUS homo factus, ut explicant alij, quos refert Bellarminus. *Vacate & videte, quoniam ego, qui Homo esse videor, sicut Homines ceteri, verè tamen sum DEUS.* Quænam igitur laudabilis ista ab omnibus actibus nostris cessatio est, quæ nobis in Oratione adhibenda suadetur, ad nihilum nostrum profitendum?

Bellar. in Psal. 45.

## III.

VErum ego necdum fodiendo ad fundum perveni ejusmodi professionis. Favente DEO tribus quatuórve fossionibus quàm citissimè fundum retegam. Ego enim, ut non minùs quàm alij, in Orationis hujus arte instituar; quæro: Quodnam est hoc nihilum, quòd me oportet coram DEO profiteri, quod respondeat cessationi actuum, à quibus abstineo? Estne nihilum meæ voluntatis, aut nihilum meæ scientiæ, aut nihilum meæ potentiæ? aliud enim nullum est nihilum, quod illi respondeat. Si nihilum mei velle; quæ, per DEUM, ista est ridicula professio? Profiteri coram DEO, quòd nolim elicere illos actus, aut Imaginationis, aut Ratiocinationis, aut Amoris erga illum, quos possem elicere modico illo temporis spatio, quod consecro Orationi? Si nihilum mei intelligere, neque hoc ad rem facit; vult enim tantùm DEUS ut intelligam meliore modo, quo possum, quantumcunque hoc modicum sit, cùm à nobis ille non exigat, ut omnes simus Angeli in ejus obsequiis, sed ut in hoc negotio Angeli se gerant ut Angeli, plantæ ut plantæ, lapides ut lapides, bestiæ ut bestiæ, sicut Sanctus Rex David nobis observandum proposuit,

fuit, dum res contitas omnino omnes invitavit ad laudandum DEUM. Si nihilum mei posse, ego hîc profiteor, quòd haud minùs ab ejusmodi professione cavere velim, quàm ab ipso Inferno: hæc enim professio injusta est, iniqua, Diabolica, dum profiteor deesse mihi Gratiam sufficientem ad exercendos illos actus secundùm modum mearum facultatum naturalium. Hæc autem Gratia deesse mihi non potest, siquidem uti illâ velim. Habeat ergo sibi hanc sui nihili professionem, quisquis illam vult, ego illam nec flocci facio. Profitebor ego potiùs coram DEO, quòd possim aliquid efficere amore Ipsius, adjuvante illâ gratiâ, quam Ipse mihi largitur, illos ipsos actus verè producendo; quàm ut profitear mendacissimè, me non posse facere, quod tamen possum facere. Illa est sui nihili professio, quam exemplo docuit Apostolus cum dixit: *Non ego, sed gratia DEI mecum.* 1. Cor. 15. Huic porro professioni non respondet cessatio ab illis actibus, quos salubriter elicere possumus ad honorem DEI; respondet autem cognitio, & confessio, quòd illos possimus producere ope Gratiæ nobis collatæ, sic ut si quid boni est in illis operationibus, laus inde omnis in DEUM resultet: si multum illis inest mali, nobis omne vituperium debeatur. De reliquo ejusmodi cessatione profiteri, nos illos actus producere nolle, est, ut dixi, stultum; profiteri, quòd non sciamus eos facere, est insufficiens; profiteri quòd non possimus facere, est sacrilegum. Estne igitur hoc veri Humilis officium, ut se deprimat, DEUM accusare? O inaudita Perfectionis præcepta!

(o)

IV.

EGo hîc teſtem invoco DEUM, qui me judicaturus eſt, me ad hoc argumentum tractandum calamum non alio fine arripuiſſe, quàm ipſius unius gloriæ promovendæ. Nimis quàm altè fixum animo meo hæret illud dogma; quòd nihil ſciat, quisquis neſcit hac in vita placere DEO. *Et ſi quis erit conſummatus inter filios hominum, ſi ab illo abfuerit Sapientia tua Domine, in nihilum computabitur.* Sap. 6. v. 9.

Ecquid tandem prodeſſet mihi Platonem æquare ſublimitate ſermonis, Tullium eloquentiâ, Tacitum argutiâ, Ariſtotelem ingenij vaſtitate, & non potiùs eſſe Talpam, qualisſum, ſi ſubinde illo exciderem fine, ad quem conſequendum è nihilo me extraxit DEUS? aliud proinde quod hac in vita quæram, non eſt, niſi ut à me quoque tantillum gloriæ redundet in DEUM, ſicut à tam multis aliis redundat, qui modis aptioribus ſciunt ejus honorem promovere. Potuiſſem (ut ad propoſitum redeam) hac ex quæſtione de Oratione expedire me paucis lineolis. Sed proſpicio damnum innumerabilium Animarum bonarum, quæ, dum tam ſerio & totics inculcari ſibi audiunt, perfectionem Orationis conſiſtere in ceſſando tunc temporis ab omni facultatum noſtrarum operatione, exiſtimant, hoc facto, ſi, ut facilè ſibi perſuadere poſſunt, piæ ſunt, ſi humiles, ſi obedientes, ſi mortificatæ, nullo ſubinde negotio ſe ad tertium usque cælum mox attollendas. Et hæc eſt falſitas manifeſta; neque enim Contemplatio Myſtica unquam à re tali dependet. Unde profectò tenere calamum non potui, quo minùs ille magno animo retegeret errorem, etſi certò ſciret talem conarum & tale ſtudium

carò

carò sibi constiturum; sic ut non tantum proscindatur, & laceretur, sed vel in cineres redigatur.

Veneror enimvero illos, qui donum tam excellens, accepere, quale est Contemplationis: & si quo casu mihi permitteretur, excalcearem me cum Moyse quamprimum, ut ego miserrimus nudis pedibus currerem non ad calcandam, sed humili osculo libandam illam terram, in qua stant tam ardentes rubi divini Amoris. Pronuntio tamen, illorum Contemplationem nequaquam esse ejus generis, qualem hodie docent certi libri. Hæc enim Contemplatio suppositicia est, spuria, affectata: & quâ de causâ? Hæc siquidem in eo reponitur, si res accuratè discutitur, ut Orationis initio eliciatur actus Fidei, quo homo credat, se præsentem intra se habere DEUM, caveatúrque deinceps diligenter, ne quid porro animus operetur, nisi ut illum suum actū non retractet. Contemplationis hoc genus jam aliàs in Mundo conspectum, sed mox eliminatum est, tanquam indignum nomine tam præcellenti. Sufficiet legisse in Chronicis S. Francisci id quod de ea pronuntiavit Frater Hugo, homo egregiè doctus, rerum animæ peritus, & non minùs altissimæ Contemplationis dono inclytus, quàm vitæ asperrimæ longo tenore cognitus, ut qui ipsos quadraginta annos interulam supra carnes gestârit ferreis ansulis contextam, à qua dein Hugonis loricati nomen traxit. Hic ob profundam illam, quam habebat rerum cælestium cognitionem, rogatus ut suam de ejusmodi Oratione sententiam proferre non gravaretur, eam citra ambages quadruplici ex capite improbavit: primò quòd esset, ut ajebat irrationalis; secundò quòd impediret perfectionem; tertiò, quod duceret in perditionem, ac denique quartò quod in usum ac praxim redigi nullo modo posset. Irrationalem

Anno 1312. p. 2. l. 7. c. 25. & 26.

nalem dixit, eò quòd inter cetera locum nullum relinqueret ulli bonæ cogitationi, quam industria suggereret. Impeditivam verò perfectionis, eò quòd avertat nos à studio promerendi DEI dona operibus convenientibus. In perditionem autem nos ab illa impelli dixit, quia perniciosa otiositate obnoxios reddit illusionibus Diabolicis: in praxi denique impossibilem, propterea quòd absque summo nisu animus in tali statu contineri nequiret. Et hæc Subinde Oratio tam damnabilis pulchro illo prætextu pallietur, quòd ea nihilum nostrum profiteamur! *O quanto satius est*, ajebat Frater Hugo lumine haud paulò sinceriore, *cogitare de profunda Humilitate Filij DEI, aut aliis rebus piis, qua adjuvant animam, eámque in DEO Domino nostro inflammant, quàm cogitare de non cogitando quidquam*! sicut facere oportet illum, qui post actum Fidei elicitum aliud jam agit & curat nihil, quàm ut mentem avertat ab omni specie seu imaginaria, seu intelligibili, quæ ipsi posset occurrere.

Et quem tandem in finem datæ nobis à DEO sunt facultates tam nobiles, quàm ut illis suaviter in obsequium suum utamur, modo naturæ nostræ respondente, donec ipse nos attollat ad operandum modo, qui supra naturam naturam est? Qui facultate imaginatrice uti non potest, utatur Intellectu: qui hoc uti non potest, utatur illa. Qui neutro uti valet, suaves illos affectus adhibeat, qui magis illum accendere apti sunt. Neque unquam dicatur, quòd vera Orationis Quies consistat in procurata motuum ejusmodi cessatione, cùm S. Thomas divino suo magisterio mendaces ostendat, qui id asserunt, dum docet, motus ejusmodi pertinere ad constituendam Quietem, non autem cum illa pugnare. *Motus corporales exteriores opponuntur*

1.2.q.180 art.6.ad 1.

*tur quieti Contemplationis, quæ intelligitur esse ab exterioribus occupationibus: sed motus intelligibilium operationum ad ipsam quietem Contemplationis pertinent.* Quid igitur juvat excogitare vocabula inania nuditatis voluntariæ à nostris actibus, avulsionis, expropriationis, spoliationis, aut exinanitionis tam profundæ, ut reddat mentem nostram non inanem modò & exhaustam penitus coram DEO, sed etiam annihilatam? Vocabula sunt ista, quorum pleraque opus habent literis commeatus publici, si libero ubique transitu gaudere volunt: neque hic ipsis passim in lingua omnium conceditur, sed tantùm in lingua Amoris: & cujus Amoris? Amoris illius tam agitati, tam ardentis ut Ecstaticus dictus sit.

## V.

AUdiamus tamen, quàm arguta Similitudine nescio quis exprimere conetur discrimen, quod inter Meditantem ut Contemplantem intercedat; inter illum inquam, qui tribus facultatibus animi in Oratione utitur, & inter illum, qui iisdem non utitur. Qui meditatur, inquit, perinde facit ac illi ad Domum Lauretanam Peregrini, qui quam secum gestant peram, omnibus necessariis refertam habent, ne quid in itinere incommodi subire cogantur. Qui contemplatur, illis aliis Peregrinis non absimilis est, qui eodem tendunt re nulla instructi. Atque ita Paupertas ista, soli divinæ Providentiæ in Oratione relicta, multò præstantior est, quàm illa de necessariis honesta cura, quâ distringitur, qui vacat Meditationi.

Si hac similitudine joci gratiâ hic Author uteretur, jocum joco reponerem, & dicerem: multos esse, qui Lau-

retum abeant alienâ quadrâ & benignitate victuri, qui tamen rectiùs facerent, si eo viverent, quod in pera circumferunt, quàm quòd nunc ab hoc, nunc ab illo emendicent, quo non indigent, ut reculis suis parcant. Petere sine reprehensione, generatim illis tantùm conceditur, qui nihil habent; non autem illis, qui suo uti nolunt. Sed loquamur seriò.

Si cui in Oratione ita ligatæ sunt & vinctæ facultates omnes, ut illis suo spiritui adjumenti nihil præstare valeat, nihil opis, nihil alimenti, pendeat sanè iste à divinâ Providentiâ quantum vult; faciet enim rectissimè, ac sanctissimè: quamdiu tamen infelix juvare se ipsum potest, juvet; & multo ille faciet meliùs se ipsum adjuvando, quàm non adjuvando. Ita censuit S. Thomas. *Expectare à DEO subsidium, in quibus se potest aliquis per propriam actionem juvare, prætermissa propria actione, est insipientis, ac DEUM irritantis. Hoc enim ad divinam Bonitatem pertinet, ut rebus provideat, non immediatè omnia faciendo, sed alia movendo ad proprias actiones. Non est igitur expectandum à DEO ut omni actione propria, quâ sibi quis potest subvenire, prætermissâ DEUS ei subveniat. Hoc enim divinæ ordinationi repugnat & Bonitati.* O doctrinam præclaram quæ evertat funditus spontaneam hanc ab actibus in oratione cessationem, eo susceptam prætextu, ut per eam homo instar mendicabuli ab eo uno ac solo pendeat, quod divina ipsi Providentia, ut cibum continuum, subministret! O demissionem cum divina pugnantem voluntate! & huic sit qui studeat? Ego equidem pro me illam nolo: hoc enim est expectare, dum DEUS nobis prospiciat, quando modum nobis relinquit, quo ipsi nobis provideamus. Si in oratione indigemus virtute, destituimur vigore, alimoniâ,

L. 4. cont. Gentes c. 145.

petamus

petamus saltem fidenter, sed non adstemus otiosi animo, tanquam expectantes quidem stipem à DEO, sed non mendicatam. De S. Francisco affirmavit S. Bonaventura, satius illum duxisse, victum suum ostiatim rogare, quàm expectare, dum domum illi magna humanitate submitteretur. *Propter sanctæ paupertatis amorem, omnipotentis DEI famulus ostiatim quæsitis utebatur libentiùs, quàm sponte oblatis.* L. 1. vitæ c. 7.

Quod si subinde salvâ perfectionis integritate potest non peti ab homine id, quo indigemus, semper tamen cum perfectione pugnat, illud à DEO non petere. Hinc Christus, qui nos docuit facere id, quod perfectum est, nunquam nos docuit, ut panem nostrum quotidianum à DEO petere prætermittamus, sive corporis ille sit, sive animi: sed docuit nos illum nullo non die petere. Sic orabitis. *Pater noster, qui es in cælis &c. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Matth. 6 In quonam ego igitur officium non facio, absoluti suis numeris Peregrini, aut mendici in oratione, si priùs ad me pascendum, utor iis cogitionibus, quas habeo, iis considerationibus, quas habeo, iis affectibus, quos habeo: Subinde autem, cùm his destituor, ad DEUM confugio, & eleemosynæ nomine, actibus tamen meis, peto lumen, peto opem, peto adjutorium, peto amorem, peto omne illud, quo mihi opus est ad vivendum ex virtute? Quisquis pronuntiaverit, rectiùs facturum, qui oppositum fecerit, attendat probè quid dicat.

Scio, quid respondere mihi nonnemo possit. Satis nimirum censeri illum petere, qui adstat coram DEO, tanquam mendicus, lacer, luridus, squalidus, qui ut dicatur à divite petere, necesse non habet loqui semper, rogare,

gare, pulsare: satis is petit, si sistere se in ejus oculis novit habitu & gestu petentis.

Ego tam pulchram orationem omninò utilissimam censeo: non tamen perinde facilem illam existimo, quàm illam alius putat.

Ut rectè fiat, omninò oportet se habere instar mendici, non theatralis, non simulantis egestatem, sed veri &, sinceri, qui tam sentiat suas miserias, suam egestatem, ut ab iis animum abducere non possit. Credimúsne, Mendicum illum, qui coram divite adstat, non habere intentas facultates suas ad opem expetendam? Lingua quidem tacet, sed obtutibus petit, petit gestibus, petit corde, quod desideriis totum æstuat.

De Monte Cõtempl. c. 39. & lib. seq. de mendicit. spirit. c. 51.

Fiat hoc idem in oratione, & tum enimvero concedam lubens, hanc orandi normam, tantopere à pio Gersone Parisiensi laudatam, qui illâ uti noverat, normam esse bonam.

At hæc non est illa pulcherrima oratio quietis, quæ promittitur. Hæc est norma orandi, quâ quotidie utitur, quisquis meditatur. Nec solâ istâ utitur; utitur etiam illâ, quâ sistat se DEO nunc ut latro, nunc ut dira contagione affatus, nunc ut Bellua, Hoc tamen totum fieri potest utendo facultatibus Animæ quam intensissimè (quomodo iis usum invenio Gersonem, quando tam bellè Mendicum solertem repræsentabat) & non solùm cùm illæ inerti languore torpent, vix tenui halitu emortuæ propè Fidei, vitæ indicium præferentes. Prô quàm pauci illi sunt, qui horam orationis integram durare in sola illa sua Fide nôrint! Potest DEUS (quis hoc nescit?) supplere defectum omnem, eósque fortissimè sustentare: hoc tamen prætendi non potest tamdiu, quamdiu, ut dicebam, actibus

bus noſtris conſuetis juvare nos ipſos poſſumus. Hæc eſt vera animi demiſſio, hæc genuina Pietas, hæc genuina Prudentia, hæc genuina in omni negotio nos gerendi ratio: Uti mediis & auxiliis ordinariis, quæ DEUS ſubminiſtrat: his ſubtractis, projicere ſe in brachia Providentiæ Fide viva: tum enim nullatenus deſtituemur auxiliis non ſolitis & extraordinariis.

Hinc quando dixit Chriſtus apud S. Lucam: *Nolite ſoliciti eſſe animæ veſtræ quid manducetis*: non reprehendit curam ſibi proſpiciendi, cui Author præfatus præponit fiduciam illius, qui ad orationem accedit ſine omni cura, ſine conſilio, Viatoris inſtar expediti, qui ſtatuit pro Lauretano itinere nihil ſecum ferre; reprehendit ſolicitudinem. Sic docuit S. Hieronymus in illum locum. *Labor exercendus (quia in ſudore vultus tui veſceris pane tuo) Soliciudo tollenda.* Et tamen audiat idem author, audiat quomodo confeſtim S. Doctor limitet quod dixerat, & ſe ipſum explicet. Ait, hoc tantùm accipiendum de cibo corporis: nam ut ſpiritui provideatur, non moderatâ tantùm, ſed ſolicitâ planè curâ opus eſſe. *Hoc quod dicitur, de carnali cibo accipiamus. Ceterùm de ſpiritualibus cibis ſemper debemus eſſe ſoliciti.* Quin S. Thomas procedit longiùs Angelico ſuo lumine, & ita pronuntiat. *Præcepit Dominus, nos non debere eſſe ſolicitos, de eo, quod ad nos non pertinet, ſcilicet de eventibus noſtrarum actionum; non autem prohibuit, nos ſolicitos eſſe de eo, quod ad nos pertinet, ſcilicet de noſtro opere.* Et idcirco Evangelico præcepto etiam ille obedit, qui ſolicitus eſt, ut officio ſuo rectè fungatur: quin imò hoc ſumma laude dignum eſt. Præcepto huic ille non obedit, qui de eventu ſolicitus eſt, qui, poſtquam ſuum officium quàm exactiſſimè fecit, eſt ſecuturus. *Non igitur*

12. 22.

Cont. Gent. l. 4. c. 135.

*igitur contra præceptum Domini agit, qui de iis, quæ ab ipso agenda sunt, solicitudinem habet, sed ille, qui solicitus est de iis, quæ possunt emergere etiamsi ipse proprias actiones exequatur.* Hinc non dixit Christus: *Nolite laborare*: sed: *Nolite soliciti esse*: de quo? *de eventu laboris.* Si enim Pater cælestis nunquam desinit providere illis ipsis etiam liliis, quæ non laborant, ut suo in prato vestiantur; quanto minùs prospicere omittet illi, qui in rem confert modicum illud, quod potest, & otio non indulget? Tandem: si Christus prohibuit solicitudinem etiam in ipso opere, illam scilicet prohibuit anxiam, illam inquietam, illam nimiam. Et hæc, ut jam ex genere suo vitiosa est, ita in re nulla à quoquam laudatur.

## VI.

QUid, quòd studium pendendi penitus ex DEI Providentia etiam in oratione, nonneminem eò impulit, ut diceret, satius esse contemplanti, semper ad eam sine ulla præparatione accedere.

Tract. de amore Dei p. 1. l. 6. c. 9.

Néque tamen hoc me valde angit: angit me, & displicet, quòd hoc documentum conetur fulcire authoritate S. Francisci Salesij, afferendo eam in rem aptissimam, quâ Sanctus usus est, Similitudinem statuæ regia in porticu erectæ, quæ, si judicio prædita esset, quantumcunque opportunè, importunè interrogata, & compulsa, ut tandem edicat, quâ causâ tam contenta sit stare in suo illo loculamento, aliud non responderet, quàm ideò contentam se esse, quòd sciat, ita velle suum artificem, ut ibi stet quieta, quin aliud quidquam agat.

Ego ob addictissimam illam voluntatem, quâ S. Francisco

ciſco Saleſio devinctus ſum, cujus divinorum operum lectitatione ſoleo nonnunquam attollere & erigere animum meum, pronum in terram, & incurvum, magis etiam quàm fuerit mulier illa Evangelica, tam incurva; facere hîc non poſſum, quin eundem purgem à calumnia, meo quidem judicio, manifeſtâ, quæ ipſi impingitur. Affert enim ille, non nego, dictam ſimilitudinem ſtatuæ; nequaquam autem ad finem inducendi quemquam, ut accedat ad orationem ſine præparatione, aut ut ibi hæreat nullam excitando Conſiderationem, nullam cognitionem, nullum affectum, quoad DEUS nos non collocet in quiete. Imò tam fuit ille procul ab hac ſententia, ut quia æſtate quadam neſcio quâ incuriâ bis acceſſerat ad orandum, quin ante cogitaret; de quo puncto eſſet meditaturus, tanquam culpæ admiſſæ ſe reum egerit, etſi utrâque illa vice mox ſe DEO conjunctum expertus ſit. Nec unquam mihi contigit in eo legere, quòd cuipiam ſuaſerit, ut aliter ſe in hoc negotio gereret: ſed ut ad ſummum hortaretur, ne quis nimiùm anxius ſit in præparando ſe ſingulari ſtudio ad orationem, qui idcirco tali præparatione opus non haberet, propterea quòd ſemper ſit paratus; ut illis accidit, qui habent affectus in corde, ut in ſcaturigine, non ut in ciſterna. Part. 1. Epiſt. 1. 1. Epiſt. 21.

Ceterùm illa ſtatuæ ſimilitudo ab ipſo in medium allata eſt, ut exprimeret cauſam, propter quam, qui à DEO poſitus in illo ſupremo gradu quietis, amittit in illa libertatem utendi ſuis facultatibus ſicut priùs, perſuadere ſibi non debet, quòd non perfectè oret, licet magna illa ſuſpenſione videatur ſibi eſſe otioſus; cùm ibi hæreat adorando divinam voluntatem.

Atque in hoc conveniunt omnes, ut notum eſt. Aliud autem eſt, eſſe contentum, ut ſit ſtatua in oratione, poſtquam

quam homo talis effectus est trium internarum facultatum suspensione, quas sibi DEUS conjunxit: aliud est velle se ipsum efficere statuam, ut suum nihilum profiteatur nihil penitus agendo.

Deinde usus est Sanctus eâ similitudine etiam idcirco, ut explicaret plenam illam Voluntatis abnegationem, quæ in cunctis hominis actionibus tali gradui Quietis debet respondere: quæ est illa ipsa abnegatio, quâ tunc facultates in oratione utuntur, dum scilicet non acquiescit voluntas in suomet solatio, sed in eo, quòd fiat quod vult DEUS, non in eo, quod ipsa vult, sed in eo, quod ille jubet eâque causâ dicit Sanctus, quòd tunc etiam, dum cubitum quis concedit, existimatutus sit, se à sculptore suo ita in lectum abjici, ut intra muri concavum collocari solet statua, ut quietem ibi capiat, non tantùm præsente ipso, sed etiam ut exequatur ejus Providentiæ jussa, & ejus beneplacito se conformet.

Ex his autem quid ad finem nõstrum colligitur? an quòd etiam ad orationem accedere debeamus, tanquam si essemus statuæ? Statuæ conformitatis cum velle divino, libenter admitto: statuæ expertes imaginum, cognitionum, affectuum, audacter pernego. Sunt res duæ nimium quantum inte se diserepantes, statuæ instar cubitum concedere, & statuæ instar ad orandum se prosternere. Cubitum concedimus, ut dormiamus, & idcirco eò conferre nos possumus tanquam meræ statuæ conformitatis & Resignationis; ad locum Orationis accedimus ut oremus; & idcirco huc quidem accedere debemus ut statuæ resignationis, sed non ut mentis expertes. Hoc exemplo nos suo docuit S. Franciscus Salesius, quo non est alius melior interpres dictorum suorum; hoc etiam disertis ipse verbis tradidit.

didit. Sic enim, tanquam præsagus injuriæ, à dicto authore quondam ipsi inferendæ, locutus est cum illa devotissima vidua de Cantal, quæ timebat hærere in oratione in perpetua Quiete, etsi hâc tam verâ frueretur.

*Conservare se in DEI præsentia, & ponere se in DEI præsentia, mea opinione duæ res sunt. Ut se quis in illa ponat, necesse est avocare animum ab applicatione ad quodcunque aliud objectum, efficeréque, ut actu stet attentus ad istam præsentiam, ut doceo in libro* (loquitur de sua Introductione ad vitam devotam.) *Postquam autem se in ea collocavit, semper in ea se conservat, dum aut intellectu, aut voluntate eliciuntur actus erga DEUM, aut considerando aliquid de illo; aut considerando aliud quidpiam amore ipsius, aut non considerando quidquam, sed hærendo simpliciter ibi, ubi nos ipse collocavit, ut statuam intra suum loculamentum.* (Ecce non dicit ille, *ubi nos ipsos collocamus*, sed, *ubi DEUS nos collocavit.*) *Et si ad simplicem istam stationem accederet quidam sensus, quòd nos simus DEI, & quod DEUS sit summum nostrum bonum, oportet nos gratias agere suæ divinæ Bonitati. Si statua aliqua collocata in suo loculamento &c.* (Et hîc refert Sanctus totam illam similitudinem, quam legere est apud eundem in Tractatu de Amore DEI, & subinde concludit.) *Hæc, propitius sit mihi DEUS, ô filia, est bona Oratio, & bonus modus conservandi se in præsentia DEI.* (Non dicit *ponendi* sed conservandi) *& faciendi ejus voluntatem.* His in medium allatis indulgendo suo affectui ponit ob oculos, quid significet apud ipsum, & in ipsius idiomate, statuæ instar effectum esse. *O DEUS! quanto meo solatio loquor tecum de ejusmodi rebus! Quàm sumus fortunati & felices, si volumus amare DEUM! amemus ergo ipsum, ô filia, & non nimis auxiè consideremus, quid operemur ipsius causâ: cùm certi simus, quòd*

Epist. p. 1. l. 1. Epist. 60.

P. 1. c. 1.

*nihil unquam velimus operari, nihil propter ipsum. Ad id quod attinet, persuadeo mihi, nos stare in præsentia DEI, etiam quando dormimus, quia in oculis ejus, quando vult, & quia vult, somnum capimus, & ille in lecto nos collocat, tanquam statuam in suo loculamento.*

Jam igitur, an non est injuriam facere S. Francisco Salesio, dicere, quòd ille afferat similitudinem statuæ ad probandum, quòd liceat accedere ad Orationem sine præparatione, aut saltem, quòd in ipsa oporteat servare animum vacuum ab omni actu tam facultatis Imaginatricis, quàm Intellectus & Voluntatis, sicut omnibus his vacua est statua quælibet? *Oportet parte nostra parare nos ad Orationem pro modo nostræ facultatis.* Sic ille scripsit ad aliam personam DEO addictam. *Et quando ipse nos altiùs evehit, soli ipsi sit gloria.*

Epist. p. 1. l. 2. c. 40.

Claudamus igitur caput hoc, quo egimus de voluntaria cessatione ab actibus in oratione, & extra omnem controversiam ponamus, quòd, si subtilis superbia, quæ facillimè latet in tali cessatione, tegere se non potest velo Humilitatis, nostrum non sit procurare talem cessationem, nec quærere, sed totam curam oporteat relinquere DEO, qui si voluerit, bellissimè sciet nos attollere, quin ipsi nostro conatu assurgamus. Rebecca dum actu potabat Camelos Abrahami fessos & de via lutulentos, tot inter illustres puellas electa est in sponsam Isaaci.

Sed quia abunde egimus de ejusmodi cessatione ab omnibus facultatum nostrarum actibus generatim spectatis; æquum est, ad magis manifestandum, quàm arbitrariæ sint leges ad eam persuadendam latæ, ut descendamus ad quamlibet speciatim facultatem, quâ uti prohibemur.

## Caput VII.

# Caput VII.

## *An mysticæ Contemplationis causâ necessarium sit penitus abstinere ab omni imaginatione?*

NOn sunt alij actus, quos producit anima hominis, tam conformes actibus, quos producunt animæ belluarum, quàm actus Phantasiæ. Et hinc aliqui, tanquam eorum vilitatem perosi, procul eos habere à se volunt in oratione, ut in ea utantur quidem animâ, sed modo angelico. Quid igitur prætendunt Contemplativi isti sublimes? An hac in vita videre DEUM, qualis est in se, tanquam solem in sua sphæra? Jam supra diximus, hoc frustra sperari. Vel ingratiis suis opus habent contemplari illum in quodam speculo. *Contemplatio humana secundùm statum præsentis vitæ, non potest esse absque phantasmatibus.* 1.2.q 180 art. ad Sufficit igitur ut in speculo non hæreant, sed ut eo contempto, spectent in speculo objectum amatum, quod contemplantur. Ita Docuit S. Thomas explicando illa Doctorum effata; qui à contemplatione removent omne phantasma. Ait igitur, quod illud removeant tanquam finem; *quia videlicet in iis non sistit eorum contemplatio*: non autem ullo modo, quòd illa etiam ut media removeant.

Et verò quodnam commodum quæritur, dum, ut hodie loquuntur, liberare volunt animum in Oratione ab omnibus Imaginibus non ineptis tantùm, irreligiosis, indecentibus, sed talibus etiam, quæ ad aliud non serviant, quàm ad implicandum animum, cùm pura fides sufficiat?

Sed benè attendant sibi, quicunque ita ratiocinantur. Videmus enim omnes, Ecclesiam tot seculorum decursu atrox bellum iis movisse, qui sacras Imagines oppu-

gnabant, etiam ex hoc capite, quòd eas perquam proficuas judicabat ad orandum. Et ideo in Templis, quæ sunt domus Orationis publicæ, eas statui jussit; in Oratoriis autem, quæ sunt conclavia Orationis privatæ, si non disertè jussit, suadet illas certè etiam Contemplativis. Quomodo igitur unquam verum erit, quòd imagines spirituales impedituræ sint Contemplationem, quas ego formo in anima, si illam, saltem ex natura sua, non impediunt materiales, quæ oculis meis obversantur, nunc in telis, nunc in metallis, nunc in marmoribus, non jam ut ego sistam in Ectypo tam rudi, sed ut ab Ectypo transeam animo ad Prototypon, & in tali transitu, beata oblivione non amplius meminerim ullius Ectypi, Quod spectat ad me, malo ego procul à me esse hoc mysticæ Contemplationis genus, quod mihi commendatur, sine quo tam multi omni ætate DEO placuerunt, hodiéque placent, quam unquam amittere amorem erga illud, quod Ecclesia tot indiciis se magni æstimare ostendit; & à quo S. Joannes Chrysostomus, S. Gregorius Nyssenus, S. Bernardinus, & tam multi alij, singulariter se adjutos, & ad devotionem excitatos fuisse profitentur. Et tamen erga hæc ipsa necesse est sensim perdere amorem & affectum eum, qui audit quotidie ab animi sui Directoribus & Ducibus tantopere commendari avulsionem ab omnibus Imaginibus: non quod hæ, meâ quidem opinione, quidquam obsint habenti veram contemplationem infusam; bene tamen illi, qui eandem vi quodammodo obtinere nititur, & suâmet operâ & industriâ elevare se supra se.

Prô! quanto rectiùs locutus est Hugo Cardinalis, ubi scripsit: debere nos semper in contemplatione facere, quod fecit Narcissus; qui exarsit amore illius pulchritudinis,

quam

quam intuitus est in imagine vultus sui, quando se in fonte contemplatus est: spectando enim imaginem sui vultûs, non cogitavit ullatenus de Imagine, sed cogitavit de vultu suo, in Imagine spectato. Ita nobis faciendum est. Spectandus est nobis DEUS in imagine, sed hoc ipso in actu oportet animum ita fixum habere in DEO, ut tam parum attendamus ad Imaginem, quàm si ipsa omnino non esset. Id si fiat, cujus tunc amore accendetur cor nostrum? an Imaginis? nequaquam sanè. Exardescet amore solius DEI, non aliter, quàm si ille visus fuisset quidem in Imagine, sed non per Imaginem. *In Contemplatione videt anima pulchritudinem per pulchritudinem (sicut ait Augustinus) quia adhuc videt eam per Imaginationem. Sed tantùm intenta est pulchritudini illi, quòd videtur ei, quòd videat eam non per Imaginem, de qua non cogitat. Sicut Narcissus se per Imaginem comprehendens, quòd esset Imago, nullo modo cogitabat.* Hugo in Epist. 1. Cor. c. 12.

Hoc volebat dicere S. Rex David, quando tam ardenti affectu allocutus est DEUM; *Delectâsti me Domine in factura tua.* Non dixit: *Factura tua delectavit me*: sed, *delectâsti me in facturâ tuâ*: nec enim attendebat ad imaginem. Ajebat: *Delectâsti me in factura tua.* Quia in Imagine solum illum spectabat. *Defecit in salutare tuum anima mea.* Quisquis ita se gerere noverit, certus sit, se altissima ratione contemplari posse, etiamsi Imagines intueatur. Tunc Contemplari nescit, quando aut animum suum addicet Imaginibus, aut in Imaginibus se ipsum amabit, Narcissi instar, propriam etiam scientiam admirando. Psal. 91. Psal. 118. v. 81.

Nec satis est dicere, ut hîc nonnemo exclamat, me parum calefaciendum, si oculis meis objiciam Imaginem solis, quamlibet pulcherrimam. Ut calefiam, ad solem me accedere oportet. Si hoc argumentum vim aliquam

habet, oportebit igitur confestim Ecclesiam efficaciter inducere, ut à Fidelibus auferat omnes Imagines; cùm hæ eos calefacere non possint. Quis igitur non videt, ubi pars adversa hallucinetur? Si mihi pono ob oculos Imaginem Solis, non ideo vel tantillum calefiam; quia illum non amo; at si illum amarem (ut amavit Eudoxus ille, de quo scribit Plutarchus; cui si vel semel licuisset contemplari solem vicinum, & inde observare lineamenta, ejus ram splendida, ejus mensuras, ejus motus, pensi ipse non habuisset, tunc inter ejus incendia abire in cineres) pro quantum, meâ opinione, tunc calefierem! Non calefierem tantùm, quantum si soli ipsi præsens essem; calefierem tamen. Sic accidit in re nostra. Qui DEUM non amat, non calefit ejus considerando Imagines; do istud; neque enim istæ accendere ampliùs possunt, nisi jam aliunde calentem. Sed qui amat, saltem tantillum, illis ad amandum movetur, amore nunc magis sensili, nunc magis solido; & sic semper verum est, quòd calefiat. Novi ego, S. Bernardinum Senensem, adhuc Juvenem, non solùm ad præsentiam solis picti, sed etiam ad præsentiam Lunæ calefieri solitum. Cùm enim Virginem Beatissimam amore vehementi complecteretur, ad augendas has flammas nihil habebat aptius, quàm ut identidem ad orandum se conferret in foro coram illa tam venusta ejus Imagine, quam apud Sodales piâ facetiâ Amasiam suam appellare consueverat. Quàm bellè igitur sanctam contemplationem honorat, qui documenta hæc ut necessaria tradit, quæ tamen non sunt apta ad accendendos spiritus devotionis in legentibus, sed potiùs ad omnem calorem extinguendum? Demus, nonnunquam animam Imaginibus opus non habere, nec illas curare, ut mentem in DEO fixam tenere valeat; atque id sine talibus

Plut. in colore.

adju-

adjumentis: id, quod Blosius non improbavit, cùm dixit: *Interdum etiam ipsis Imaginibus Humanitatis piè relictis, at tende placidè amabilem DEI præsentiam si potes. Ita enim nonnullam mentis nuditatem in te senties.* Aliud tamen est, quòd hoc nonnunquam rectè fieri possit à Contemplante; aliud eum damnare, qui hoc non semper fecerit, perinde ac si idcirco primi ordinis Contemplantibus annumerari non possit. Farrag. util. Institut.

## II.

SI fateri volumus, quod res est, an non constat, pulcherrimas animarum purissimarum Contemplationes totas quantas natas formatásque fuisse exhisce Imaginibus, quas earum in mentibus vivis suis coloribus DEUS repræsentavit? Provocarem ad ea, quæ scripsit S. Gertrudis, cum qua DEUS communicabat veritates occultissimas, repræsentando illi nunc prata, nunc palatia, nunc maria, alias alias his non absimiles figuras, quibus nos utimur, & in nostra phantasia effingimus, nisi hac ratione putarem me injuriam facturum manifestam magnis illis Prophetis, qui fuerunt Contemplativi omnium maximè Mystici, præ omnibus utique qui hac nostra ætate celebrentur.

Non ignoro equidem, visiones intellectuales multò perfectiores esse Imaginariis, cùm sint magis conformes omnium in hoc genere perfectissimæ, quæ est Beatifica; ita & Intellectiones multo perfectiores sunt Imaginationibus. Hoc tamen non sufficit fini illius, qui contendit, omittendas imagines, ut intelligamus. Neque enim visiones intellectuales per hoc distinguuntur ab Imaginariis, quòd hæ formatæ sint operâ phantasmatum hominis naturalium,

ralium, illæ autem sine horum opera. Hoc enim falsissimum est, siqua fides S. Thomæ, ubi de visionibus Propheticis tam profundè loquitur, neque enim homo quidquam in hac vita, nisi ope phantasmatum, intelligere potest: *Connaturale est homini, secundùm statum præsentis vitæ, ut non intelligat sine phantasmatibus.* Differunt ergo visiones intellectuales ab Imaginariis per hoc: quòd Imaginariæ infundantur à DEO animo hominis mediis variis Imaginibus corporalibus, quas ipse ibi artifice manu sua pingit, nunc currûs triumphalis, nunc throni, nunc fluminis rapidi. Intellectuales autem infunduntur ope intellectionis simplicissimæ, quæ facit hominem videre aliquam veritatem hoc magis limpidam, quò magis luminosam sine ullis quodammodo exuviis objectivis. Ita res proportione sua in casu nostro accidit. Et idcirco meo judicio non oportet inculcare hominibus, ut si contemplari desiderant, animum ab Imaginibus avocent: hoc enim est illos velle redigere ad insaniam. Contemplatio humana non potest esse sine phantasmatibus. Verum est, non debent miselli id conari anxiè, Pictorum instar, ut in animis suis imagines ejusmodi efforment ductibus penicillorum laboriosis; in eo enim, præter dolorem ex eo conatu, non modicum foret illusionum periculum. Non tamen idcirco statuant secum, quòd, si sine imaginibus cogitare non possunt, eorum idcirco cogitatio imperfecta sit.

Quod si nonnunquam divina virtute eò quis pertingere potest in raptu quodam sublimissimo, ut operetur non aliter quàm Animæ à corporis consortio segregatæ (Id quod fortassis ne Apostolus quidem, quod ad ipsum spectabat, ausus est sine ulla hæsitatione pronuntiare, ibi, ubi dixit:
2. Cor. 12 v. 2. *Sive in corpore, nescio, sive extra corpus nescio, DEUS scit*)

non

non idcirco consequens est, quòd quamdiu hoc corpus circumferimus, conari debeamus intelligere sic, ut intelligimus sine corpore. *Quantum ad me* (ajebat S. Teresia) *capere non possum, quid isti cogitent, dum ab omni re corporea abeunt.* Et tamen hoc confestim capere poterunt tot feminæ, imò addam, tam multi docti, tam multi Doctores, qui, in hoc etiam, longo infra S. Teresiam intervallo sunt.

Atque hæc est ratio princeps & præcipua, quare Legislatores isti arbitrarij Christum excludant a ratione objecti Contemplationis, quia constat corpore. Quamlibet in tali statu deserendæ nobis essent omnes nostræ miseriæ, non deberemus tamen unquam (ut ipsa hæc Sancta locuta est) neque tentare, neque tolerare, ut inter miserias nostras numeraretur etiam sacratissimum illud Corpus, quod tantum laboravit, sudavit, sanguinis profudit, ut nobis succurreret. Et idcirco, qui vult, imaginetur sibi pro arbitrio Christum nunc in cunis & fasciis vagientem, nunc adultum per urbes, oppida & castella Palæstinæ peregrinantem, nunc in Getsemani horto agonizantem, nunc inter flagra & verbera ad columnam deficientem, nunc clavis in Cruce perforatum, nunc à mortuis & sepulchro redivivum, non idcirco ille à statu, ad quem à DEO evectus est, decidet. Imò etiam cùm vult DEUM purum ac simplicem contemplari, imaginetur sibi initio, quòd videat illum in excelso Throno duas inter acies splendidorum Seraphinorum, qui per vices illi canant magnum illud Trisagium, neque enim per hoc vera Contemplatio quidquam patitur. Sic certè Isaias Contemplando eum conspexit.

Nec sit, qui mihi hîc occinat: quas DEUS ipse in nobis formavit Imagines aliarum esse virium ad movendum, quàm sint nostrates. Scio hoc, Scio. Imò ego agnosco,

quòd illæ his comparatæ nobiliores sint sine comparatione, quàm picturæ Apellis respectu rudissimarum delineationum & ductuum, quos faciunt postremi artis pictoriæ tirunculi: id quod S. Augustinum dicere compulit (ut est supra insinuatum) quòd *Anima* in Contemplatione *videt pulchritudinem per pulchritudinem* hoc est, cognoscit pulchrum prototypon per pulchrum ectypon. Non idcirco etiam nostra non prosunt, etsi rudia, dummodo suaviter fingantur.

III.

HInc notissimus ille Sanctorum mos, legere in magno libro rerum conditarum, & ex montium, vallium, fluminum consideratione assurgere ad contemplandum supremum eorum Conditorem, cùm nihil magis ingratum facere possent malo Dæmoni, quàm si per illam ipsam scalam ad DEUM eniterentur, per quam tam multi alij ipsius fraudibus ruunt in præcipitium.

Confess. l. 9. c. 15. Quæ contemplatio magis mystica inveniri potest illâ, quam S. Augustinus cum Beata sua Matre habuit ad ostia Tiberina, cùm hæc jam parum abesset à felici ex hac vita ad meliorem transitu? Satis sit dixisse, illa ex Contemplatione profeciſſe Sanctum, ut quidquid universus hic orbis habet, vile ipsi evaderet. Et tamen ista initium duxit ex conspectu Horti, qui erat è regione fenestræ, ex qua ambo prospectabant. Ab horto transierunt ad sylvas, ab his sensim ad aëra, ad Orbes cæleſtes, ad Sidera, ad Solem, ad Cælum Empyreum, & inde desiit in summum silentium, quo denique Anima in DEO quieta se oblectat.

Quo igitur nititur opinio hæc, quòd Contemplatio, vocata

vocata mystica, impediatur talibus Imaginibus, sic ut vanum sit aspirare ad silentium, cujus modò meminimus, si orationem ego auspicer ab usu ipsarum in Compositione loci, nunc Bethlehemi, nunc in Cænaculo, nunc in monte Calvario, nunc aliis variis locis, quæ suâ præsentiâ, sacravit Servator noster; & non contentus sim actu Fidei puræ, quæ omnibus his nuntium animosa remittat?

Dicemúsne, caruisse pura fide Hieronymum, Pelagiam, Paulam, Birgittam, Ignatium Lojolam, complures eminenti Sanctitate homines? Et tamen hi Fidei hac puritate non contenti, difficillima aggressi sunt itinera, ad sacra illa loca, ut eorum præsentiâ adjuvarentur ad attentiùs contemplanda mysteria, quæ iis locis fuerunt gesta. Quid dici ampliùs potest? Ipsa adeò Virgo Maria morem eundem tenuit, quæ idcirco post glorioſam Filij sui Ascensionem, majus his in terris solatium non habuit, quàm ut & ipsa identidem ad orandum se conferret in illis plateis, in illis campis, in illis collibus, quos ille actionibus tam sanctis consecraverat. *Omni tempore, quo post ascensionem Filij mei vixi* (sic ipsamet oretenus aperuit carissimæ suæ Birgittæ) *visitavi loca, in quibus ipse passus est, & mirabilia sua ostendit.* Revel. l. 6. c. 61. Quâ igitur ratione tanquam in Fide debiles damnabuntur illæ personæ, quæ, cùm pedibus ire non possint ad loca hæc, cùm orare volunt, animo illa sibi suaviter repræsentant, & se præsentes ibi fingunt, quò tam inclytæ personæ maximis sumptibus, navigationibus periculosis, inter incommoda & contumelias, omnis generis inhumanitatem, nec semel etiam fustigationem non perfunctoriam, quibus à Barbaris illis exceptæ sunt, se conferre non dubitârunt.

Quænam fuit illa Anima à DEO electa tanquam Idea

perfectè contemplantium? an non Maria Magdalena? Et idcirco quis dubitet, quin illa, præquam omnis alia, debuerit esse apta ad Conjunctionem cum DEO, ad eundum & procedendum in fide pura? Et ramen postquam hæc se contulit in illud suum antrum Marsilianum, tam inaccessum, tam inhospitum, quid ei evenit? Descendit ad eam inveniendam cælestis Militiæ Princeps Michaël, qui allatum cælo prægrande Crucis simulacrum defixit in limine speluncæ, eámque docuit, nullo non die sibi illud ob oculos ponere. Ipsa autem tam ad amussim obtemperavit, ut quod narratSylvester cæjesti dein revelatione cognitum) nunquam, quamdiu superstes fuit, coram illo trunco contemplari desierit attentione summâ illa opprobria, illos cruciatus, illos dolores, illam mortem acerbissimam, quam olim ipsamet coram spectaverat. Et pergant aliqui inculcare, vanum esse aspirare ad sublimem Contemplationem, nisi à facultate Imaginatrice faceſſere jubeatur omnis Imago, ipsius adeò JESU Servatoris in crucem suffixi? Dico ego potiùs, quòd quisquis ad perfectam Contemplationem evectus est, multò minùs se experiatur impediri ab Imaginibus. Qui ad illam evectus non est, nunc uti illis debet ut adjumentis, aliàs non uti, prout diversimodè se habet ad spiritus sui cum DEO conjunctionem. *Non sumus Angeli*, ajebit S. Teresia, *sed constamus corpore. Velle nos facere Angelos, dum hac in vita degimus, magna stultitia est. Imò plerumque cogitatio indiget aliquo adjumento, etsi nonnunquam Anima incedat tam plena DEO, ut nilla re extra DEUM opus habeat ad sui collectionem, sed hoc minùs frequens est.* S. Franciscus Salesius non dispari sensu pronuntiavit & ipse: *quòd præsensiones tam sublimes rerum extra ordinem, valdè sint subjectæ illusionibus, deceptionibus, falsitatibus*

Sylv. Prier. in Rosa aur. ser. de S. Maria Magd.

Vitæ, c. 22

Introduct. p. 4. c. 4.

*tatibus? Unde nonnunquam accidit, ut qui sibi Angeli videntur, nè quidem bonis hominibus sint accensendi. Neque hoc mirum videri debet.* Frugi homines abjectè de se sentire debent. Sed quomodo ille abjectè de se sentit, qui deliberato consilio cavet, quàm potest diligentissimè, ne in oratione cogitet de doctrina Christi, de imitatione Christi, de beneficiis à Christo acceptis? & quâ id causâ? nè hac ratione locum det in animo Imaginibus, etsi tam sanctis, quales sunt, quæ Christum nobis repræsentant.

# Caput VIII.

## *An necessarium sit ad Contemplationem Mysticam abstinere ab omni usu intellectûs?*

I.

ATque hæc de usu Phantasiæ, seu facultatis Imaginatricis. De Intellectu autem quid dicemus? Potest hic excludi à Contemplatione duplici modo. Prior est suspendere ipsum ab omnibus planè actibus intelligendi, qui ibi interveniant: Alter abstinere ab omni ratiocinatione, quâ veritas una ex aliâ colligatur.

Si sermo nobis sit de omni actu intelligendi, quo abstinendum sit, hoc quidem, secundùm communiorem & veriorem sententiam, penitus fieri non potest. Contemplatio enim in suo formali conceptu includit actum intelligendi. *Vita Contemplativa, calcatis curis omnibus, ad vi-* Super Eze-

*dendum faciem sui conditoris inardescit.* Ita pronuntiavit S. Gregorius. Et idcirco in nulla quiete, in nullo silentio, in nullo somno, quantumcunque mystico, quibus frui possit homo, cessare unquam potest à cognitione DEI, quem amat; neque experiri illum, possidere, gustare, sicut, cæcus ignem, ad quem assidet.

Sed age. Demus posse nos ita ab intelligendo cessare (ut nonnulli contendunt se experiri, quamcunque repugnante rectâ ratione) quam tandem perfectionem conjunctioni cum DEO talis cessatio adderet? an non est melius, intelligere & amare, quàm, non intelligere hoc quod amas? Nôsse summum Bonum, naturâ suâ non impedit amorem ejusdem ardentem, imo magis illum auget. Beati quò magis cognoscunt DEUM, hoc majori ardore illum diligunt. Eccur igitur nos, ut eum amemus, non procuremus aliquid de illo intelligere; sed tantùm, ut isti hodie loquuntur, studeamus collocare nos in pura Fide? etsi DEUS ipse nobis tam multiplicem sui notitiam dederit in sacris Libris, tot parabolas, tot vaticinia, tot præclaras notiones, ut locupletemus iis nostrum Intellectum, non obstante Fide, quàm à nobis exigit.

Neque respondeatur mihi, cognitionem Beatorum esse perfectam, nostram imperfectam. Id enim ego sine mora totum do. Sed per hoc quid quæritur? ut ametur ampliùs sine cognitione, quàm cum cognitione? Hoc insolens est: cognitione enim movetur homo ad amandum, ampliùs etiam quàm cognoscit. *Ex his, quæ animus novit, surgit ad incognita, quæ non novit.* Atque ita possunt quidem in progressu multi magis amare DEUM, quàm cognoscant: amare tamen non possunt, quin cognoscant, ut docuit, S. Thomas. Scio enimvero, quòd ea essent quo-

1. Greg. ho. 11. in Ev.
2. 2. q. 37. a. 3. ad 1, & 4. & ar. 4. ad 1.

rundam

rundam vota, ut DEUS in oratione animis nostris auferret actum cognoscendi ipsum modo nostro, qui tam est imperfectus, & tam non respondens objecto cognito; ejúsque loco insculperet quodammodo alium multo sublimiorem (haud aliter ac certæ formæ imprimuntur) qui non à nobis, sed ab ipsomet proveniret. Atqui hæc est vera præsumptio. Præterquam quòd Actus, hoc modo à DEO impressus opus foret non nostrum, sed DEI. Quam ergo tum in se perfectionem haberet Intellectus Contemplantis? illam scilicet, quam haberet membrana, aut charta, cui insculpta aut impressa esset sublimis aliqua S. Thomæ, S. Augustini, aut Sancti Ambrosij doctrina, aureis literis expressa. chiel hom. 15.

Atque hinc captum meum superat, quid sibi velit, quod nonnemo pronuntiavit: *Contemplationem esse quandam rationem perfectissimam redigendi quasi ad incitas spiritum, propterea quòd ipsam adeò Rationem mori faciat.* Si hæc esset ratio, perfectissima spiritum ad incitas & inopiam redigendi, aliam ego proponere possem, quæ contemplationem in hoc multum superaret. Est autem hæc: dare locum scrupulis: hi enim mactant rationem sic, ut nonnunquam hominem ex sano malè sanum, & ex sensato phreneticum efficiant. Contemplatio non solùm non occidit rationem, sed eam vivificat in his, in quibus aut mortua est, aut mortificata: facit enim ex languida vivacem, ex lusca perspicacem, ex tarda velocem, ex gravi & crassa agilem ad se vel supra nubes evibrandam: id quod patuit in tam multis rudissimis virgunculis, quæ Contemplationis beneficio vel præcipuos sua ætate Doctores erudire, & earum esse Magistræ potuerunt. Rationémne in Catharina Senensi sustulit contemplatio, quæ puellari in ætate

ætate Europæ & Christiani orbis universi Oraculum evaserat? Si unquam Contemplatio mortem rationi inferret, aliud scilicet non faceret, quàm ut tolleret Homini decorum, quæ habet, nobilissimum, quóque differt à belluis: non igitur affert illi injuriam tam gravem; facit tamen ut mox ille Rationem Fidei subjiciat vi quâdam admirandâ; & quàm vivacissimis coloribus illi repræsentat veritates, quas antea capi non posse existimaverat: id quod non est occidere rationem, sed illam summè perficere. Verùm ut rem compendio, qui hîc ejusmodi idiomate utuntur, & Rationem occisam appellant, persuadere nobis vellent, quòd in Contemplatione perdamus omninò vim omnem intelligendi nobis à natura congenitam, & quòd acquiramus aliam penitus, nobis velut appensam, & peregrinam. Hoc autem falsum est. Intelligimus enim actibus nostris, multo tamen validioribus, adjuti scilicet auxiliis, quæ nobis DEUS ad illos producendos confert.

II.

QUod si sermo hîc est de suspensione ratiocinationis, quâ unum cognoscamus ex alio, extra controversiam est, Contemplationem non posse pertingere ad gradum sibi proprium, nisi postquam ratiocinatio & Discursus, quem dicimus, suspensus est. *Cessante Discursu figitur animus in Contemplatione unius simplicis veritatis.* Ita pronuntiavit S. Thomas. Est Contemplatio actus ille simplex, quo, quasi obtutu unico, videtur, quod ratiocinio ante investigabatur; atque idcirco mox atque ad talem actum pervenitur, jam non potest esse locus discursui, tanquam importuno & inutili, haud aliter ac canem omnem venaticum

1.2.q.189. art.6.ab 1.

loco

loro revinctum tenemus, cùm quæsita præda jam ipsa in avidi Venatoris manus venit.

Advertendum tamen, quòd totalis ista ac plena ratiocinij suspensio, meâ opinione, voluntaria esse non debeat; sed tunc solùm locum habeat, quando DEUS nullâ nostrâ ope nos sibi conjungit mediante illa Fide vivâ, quæ superat omnem discursum: aut quando nos cum ipso cognovimus veritatem tam claram, tam certam, ut nobis jam opus non sit cognitione aliâ, sed tantùm ut moveamur ad eam alacriter affectibus convenientibus amplectendam. An non idcirco vim istam ratiocinandi DEUS contulit, ut eâ tanquam homines rationales utamur? Quomodo igitur hodie constituitur perfectio orationis in hoc profundo axiomate; quòd deliberato consilio nuntium remittere oporteat omni discursui, quamlibet suavi, quamlibet spontenascenti, & non nimium quæsito? nam hunc quidem nemo, quod sciam, laudavit, in quacunque Oratione mentali: cum in hac servire debeat ad excitandam de admissis pœnitudinem, non ad ingenium ostentandum.

O Davidem miserum! qui toties cùm ad orationem se pararet, sic DEUM est allocutus. *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam, & custodiam illam in toto cordo meo*: tótque aliis modis petiit à DEO oculis mentis suæ lumen perspicax, & penetrans, ad considerandà tam multa mirabilia. *Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. Meditabor in operibus tuis. Meditabor in Justificationibus tuis. In matutinis meditabor in te.* Fateri oportebit, nescisse eum quanto satius sit in oratione locum nullum relinquere discursui, quàm eodem uti. Psal. 118. v. 44.

Tunc nocet fidei discursus, quando hic illam tractare vult ut Dominus, & sua tantum pari passu vestigia premere:

mere: & idcirco plus non vult credere de rebus revelatis, quam quantum assequi ipse potest.

Non nocet autem, quando ille Fidei vestigia ut servus sequitur, atque adeò non aliud propositum habet, quàm ut benè intelligat, quod credit. Tunc, si Magistrum audimus S. Thomam, Ratio humana tantùm abest, ut tollat meritum Fidei, ut augeat etiam; sic enim ostendit, quanti faciat Fidem. Atque ita quomodo inter se pugnant duæ istæ functiones, quæ ut inimicæ nobis repræsentantur, ratiocinari tempore Orationis mentalis, & credere? O Ignotum Idioma! an S. Augustinus, qui in meditationibus, quas nobis reliquit, discursu tam divino est usus, Fidem amisit? jacturam illius fecit Bernardus, jacturam Bonaventura, jacturam Anselmus cordis tam teneri? Et Apostolus ille, qui cùm Timotheo suo proposuisset veritates Christianas, hortatus eundem est, ut eas identidem meditaretur: *In his meditare, in his esto.* An simul hortatus eundem est, ut deficeret à Fide, aut saltem à Fide pura?

1. 2. q. 1. art. 10.

1. Tim. 4. 5.

Miseram Fidem! sunt hodie, qui ad hanc conditionem redire illam cuperent, ut aliam ancillam non haberet, præter ignorantiam. Non hoc propositum fuit S. Thomæ, qui docuit, ipsas etiam naturales scientias, quoquo demum sunt numero, ad unum omnes famularum numero censeri, quibus utatur Fides, ut ad illam arcem animam evocet, in qua eam DEUS expectat; ad centrum inquam cordis. Et in hoc sensu existimat de ea scriptum: *Misit ancillas suas vocare ad arcem.* Quis ergo unquam dicet, Hominem Doctum, si in oratione etiam quietissima, utatur illis cognitionibus & notitiis, quas in animo habet, ut ad DEUM accedat, mox jacturam Fidei facere? Imò ipsa ipsissi-

1. p. q. 1. a. 5.

ipsissima Fides ad intellectum ancillas istas mittit, ut eum ad alacriùs currendum fortiùs stimulet.

Hinc idem ipse S. Thomas alibi scripsit, si nonnunquam Personæ rudes & indoctæ magìs in contemplando devotæ fiunt, quàm doctæ, id ex accidenti fieri; indescilicet, quia illæ faciliùs sese abjiciunt. Ex ipsa autem rei natura id non fieri. Naturâ enim suâ doctas magìs esse idoneas ad devotionem acquirendam, quàm indoctas, si illæ paratæ sint suam DEO scientiam submittere. *Si scientiam & quamcunque aliam perfectionem homo perfectè DEO subdat, ex hoc ipso devotio augetur.* 1. q. 82. art. 6. ad 46.

Eat igitur nunc qui vult, & inter DEO addictos divulget, non posse in oratione adhiberi ratiocinium, & simul persisti in Fide. Hoc non est aliud, quàm eâdem operâ Personæ geminæ calumniam impingere, Fidei scilicet & Facultati ratiocinandi.

## III.

AT hodie tandem eò ventum videtur, ut oculos jam fugiat finis orationis mentalis. Neque enim Finis hujus est aut persistere in Fide, aut uti Discursu. Finis est illuminari, inflammari, purificari, & sic ad intimam cum DEO conjunctionem disponi. Quando proin ad finem hunc sufficit Fides sine discursu, quid ultra quæritur? quando autem non sufficit, ut quid prohibetur Discursus, qui nunquam se reflectit meliùs, quàm cùm solem è regione respicit?

Fidem solam ego in pauciſſimis sufficere judico ad benè orandum mente: in plerisque enim Fides est; sed non est viva; & si viva est, saltem non semel dormit. Et hoc

si ita est, quâ tandem causâ tantopere abhorrere debemus ab illa excitandâ opportunis illis, & non arduis considerationibus, quas ipse homo producat ope Discursus proprij, aut etiam alieni? Quæ hæc novitas? quæ axiomata, quæ documenta sunt hodie ista, quæ mihi suggerere nonnulli volunt? Scio Fidem Dominam esse; & has considerationes Ancillas esse ad Fidei obsequium destinatas. Estne autem res tam absona, tam non conveniens, ut Ancillæ Dominam excitent? Imò eum in finem, excitandæ scilicet Fidei, tam necessariæ ad orandum cum plena & debita attentione, scripti sunt omni ætate libelli pij. Opponetur mihi: nonnullos istorum forsan scriptos esse multo adhibito studio. Sed perpendatur, id inde factum, ut leventur labore studendi, qui iis utuntur. Qui dedignatur penitus uti illo dono, quod in eum DEUS contulit, ratiocinandi facultate illum donando, aliud non agit, quàm ut se eo indignum demonstret.

Inde est, quòd S. Teresia loco non uno valde eos vituperet, qui deliberata voluntate abstinendum sibi ducunt omni ratiocinio: maximè autem id facit c. 7. Mansionis suæ sextæ, ubi sic loquitur: *Invenire est aliquas Animas, quæ, cùm à DEO perducuntur ad Contemplationem perfectam, non ampliùs possunt discurrere circa mysteria vitæ Christi, ut priùs faciebant. Quæ ejus rei causa sit, ego nesco. Ut tamen intellectus maneat satis ineptus ad meditationem, & quidem plerumque, credo id inde esse, quòd cùm Meditatio omnis referatur ad quærendum DEUM, cùm hic semel inventus est, & Anima assueta quærere illum per operationes voluntatis, non vult ampliùs fatigari operationibus intellectûs. Videtur etiam mihi, quòd cùm voluntas jam se inflammatam invenit, generosa*

neroſa iſta facultas vellet non ampliùs uti illâ aliâ Intellectûs, ſi id fieri poſſet: ſed tantùm manere occupata amando, quin ampliùs animum ad aliud applicet. Sed hoc fieri non poteſt, maximè antequam perveniatur ad ultimum gradum Orationis: atque adeò hoc eſt perdere tempus; ſæpè enim voluntas opus habet auxilio Intellectus ad hoc ut accendatur. Ratio hujus rei eſt: quia etſi mortuus non ſit, mortificatus tamen & ſopitus eſt ignis, qui illam facit ardere, & opus habet aliquo, qui flatu illum iterum animet, ad hoc ut producat calorem. An rectè ageret anima, ſi maneret in illa ariditate & frigore, & expectaret, donec è cælo deſcenderet ignis, qui comburet ſacrificium, quod ipſa parata eſt DEO offerre, ut fecit Sanctus noſter Pater Elias? Haud quaquam ſanè: Non eſt bonum expectare Miracula. DEUS hæc operatur, quando ipſi collubitum eſt. Vult tamen, ut ipſi tam perverſos nos exiſtimemus, ut non ſimus digni, propter quos ea ipſe operetur: & ut idcirco ipſi conemur, quantum poterimus. Mea opinio eſt, quòd quamdiu vivimus (quantumcunque ſublimi orationis dono prædita ſimus) hoc auxilio nobis opus ſit, licèt denique rariùs. Sic ut, quando in Voluntate non reperitur ignis ita accenſus, neque ſentitur præſentia DEI (nota, quòd Sancta non dicat, quando non eſt, ſed, quando non ſentitur) neceſſe eſt, ut quæramus, cùm ita velit ſua Majeſtas; ſicut faciebat ſponſa in Canticis; & ut rogemus creaturas, quis eas fecerit? ut S. Auguſtinus dicit, neque hæreamus inſtar ſtipitum, perdendo tempus, dum expectamus illud, quod forſan initio nobis conceſſum erat, fieri enim poteſt, ut DEUS pturium ſpatio annorum illud ampliùs non concedat. Novimus abunde, quâ viâ debeamus placere DEO; quæ eſt illa Mandatorum, & Conſiliorum. Simus diligentes in obſervatione horum, & in meditando

*ditando vitam ipsius, ac mortem, & debita, quibus ipsi tenemur. Reliquum veniat, quando ipsi placuerit.*

Hactenus Sancta illa Magistra, atramento, si non fallor, tam splendido, ut aurum superet & purpuram.

Et tamen quando Anima est in gradu, de quo Sancta loquitur, est in illo tam sublimi, Raptûs: quid igitur erit, si adhuc fuerit in inferioribus? Poterit ne tunc Animæ sufficere, ut maneat in Oratione cum sola sua Fide pura, quin de quoquam alio sit solicita? Ubi DEUS supplet per se ipsum, sicut accidit in multis personis simplicibus & rudibus, quæ etsi in oratione multum ratiocinari nesciant, sciunt tamen suffundi pudore, sciunt dolere de admissis, sciunt modum DEO se commendandi: non inculcatur his, ut conentur ratiocinari. Nolle tamen aliud in Oratione, quàm manere in pura Fide, expectando, ut DEUS ex alto nos ad se trahat, tanquam operâ machinarum, hæc est superbia vera ac propria, quæ non aperit tantùm Ostiolum, sed patentibus portis admittit pigritiam, somnolentiam, stupiditatem, inertiam, quin etiam fortassis illusiones ipsas mali Dæmonis, qui non aliud sanè magis desiderat in Christianis, quàm Fidem ejusmodi, quæ neque cum Voluntate, neque cum Intellectu quidquam operetur.

Jac. 4. v. 17. *Fides si non habet opera, mortua est in semetipsa.*

(O)

Caput IX.

# Caput IX.

*An ad Contemplationem Mysticam necessarium sit suspendere exercitium Voluntatis non tantùm in Oratione, sed etiam interdiu, cavendo ne excitentur affectus repetiti devotionis, ad non amittendum obtutum fixum?*

## I.

SUpereſt nunc ut videamus, quid ſentiendum de ſuſpenſione affectuum, quos elicitos dicimus; hoc eſt, à nobis procuratos. Aliqui enim non contenti damnare in Contemplatione exercitationem facultatis Imaginatricis, & Intelligentis, progrediuntur etiam ad improbandos illos actus, qui Voluntatis ſunt; & commendant ſtudioſè, ut hæc maneat penitus quieta, non excitando proprio conatu affectus ferventiores, ſed expectet donec DEUS ipſos manu quodammodo ſua commoveat, & flatu eorum Organa animet.

An, qui ita ſe gerit, rectè agat, aliorum eſto judicium. Ad me quod ſpectat, caverem ego magnopere ejusmodi præſidentiam: etſi enim ratio poſtulat, ut nemo non à DEO deſideret dona & habitus infuſos, non tamen id de actibus intelligendum, qui ab ejusmodi donis pendent. Actus noſtros vitales eſſe oportet, & nequaquam tales, quales ſunt Organorum pnevmaticorum, qui follium duntaxat operâ producuntur. Et idcirco, ſicut ſi DEUS in Oratione infunderet nobis actus Phantaſiæ, aut actus Intellectûs, non nos eſſemus, qui imaginaremur aut intelligeremus, ſed potiùs eſſet DEUS; ſic DEUS potiùs eſſet, qui amaret, non autem nos, ſi etiam ipſe nobis infunderet

ret actus amoris. Hac autem ratione quid tandem nos promereremur?

Possumus nos in Contemplatione *pati* tantùm *divina*, quantum ad vim ac potentiam eorum auxiliorum, quibus DEUS facultates nostras corroborat, Phantasiam, Intellectum, Voluntatem, communicando spiritum vehementissimum. Non tamen possumus ità pati divina, quantum ad actus ipsos, qui à nostris facultatibus debent procedere. Hi enim etiam nostri sint oportet: aliàs pro ejusmodi actibus non plus præmij & gloriæ nobis deberetur, quàm Organis pnevmaticis debeatur pro sonis illis artificialibus ac harmonicis.

Pauci tamen erunt, qui hac intentione ad Orationem accedant: hæc enim temeraria magis foret quàm salutaris. Et ego, quod ad me attinet, mallem equidem in arbore fructus ex ipsis ramis ejus natos, quàm aliena manu ex ea suspensos, etsi sic suspensi pulchriores essent ibi natis.

Plures dicent, id agendum voluntati initio, ut conjungatur DEO, ubi tamen aliquando conjuncta fuerit, ut aliud non cogitet. Sufficiat ipsi manere sic conjunctam, quin se identidem excitet actibus ejusmodi, quibus illam conjunctionem est consecuta: hoc enim non est aliud, quàm se ipsam turbare.

Hoc est se ipsam turbare & interpellare? credo equidem si de iis loquamur, qui verè gaudent tali conjunctione, qualis illa est, quæ hîc fingitur, altissimæ Quietis; sed in hoc rei cardo est, quòd hæc & rara sit & paucorum. In
Apoc. 8, 1. ipso adeò cælo silentium fuit mediæ horæ: *Factum est silentium in cælo, quasi mediâ horâ.* Et cur hoc? ut innotesceret, quàm brevis sit quies Contemplationis inter mortales. Consulamus S. Gregorium. *Cælum est anima justi* sic ille loquitur,

loquitur, *cùm ergo quies contemplativæ vitæ agitur in mente silentium fit in cælo: quia terrenorum actuum strepitus quiescit à cogitatione, ut ad secretum intimum auris animum apponat. Sed quia hæc quies mentis in hac vita perfecta esse non potest, nequaquam horâ integrâ factum in cælo silentium dicitur, sed quasi mediâ horâ: ut neque ipsa media hora plenè sentiatur cùm præmittitur, quasi: quia mox ut animus se sublevare cæperit, & quietis intimæ lumine perfundi, redeunte citiùs cogitationis strepitu, de semetipso confunditur, & confusus cæcatur*: Quænam igitur mentes istæ sunt, quæ mortali hac in vita gaudent quiete tam insolita, cujus generis ea est, quam necesse non esset identidem integræ horæ intervallo sensim adjuvare & animare? Æmulæ sunt istæ orbium cælestium, & superiorum quidem, ac longè supra ceteros eminentium; quin ipsius adeò cæli Empyrei. Super Ezech. hom. 5.

Et tamen documentum istud usque adeò jam invaluit, ut non defuerit qui scripto asserere auderet, primum illum actum in oratione excitatum, sufficere non solùm pro tota hora, sed etiam pro tota relqua hebdomade, atque idcirco sensuum tantùm oblectamenta eos sectari, quicunque studerent interdiu novos elicere actus, quibus se aut DEO dedicarent, aut illum revererentur, aut gratias agerent, laudarent, de admissis dolerent, se abjicerent, aut aliquid peterent; perinde ac si repetiti ejusmodi actus ad aliud servirent nihil, quàm ad turbandam puritatem actûs illius spiritualis, ad quem pertingit, quisquis, tanquam Homo verè internus, aliud non cogitat, quàm ut vivat quietus in Fide.

Sola doctrinæ ejusmodi novitas sufficere mihi videtur ad eam damnandam; cùm rectà impugnet usum Orationum jaculatoriarum, qui tamen, Cassiano teste, tantâ

concordiâ à cunctis Eremi Patribus probatus est, quin idcirco Contemplativi esse desinerent : imò qui tanto jam olim studio commendatus fuit à S. Augustino in sua ad Probam Epistolam *de Orando DEO* : an non ipsissima hæc ejus verba sunt? *Ideo certis horis ad negotium orandi mentem revocamus, nè, quod tepescere cœperat, omninò frigidetur?* Mox antiquos Ægypti Patres laudando ita pergit : *Dicuntur Fratres in Ægypto crebas quidem habere orationes, sed eas tamen brevissimas, & raptim quodammodo jaculatas, nè illa vigilanter erecta, quæ oranti plurimum necessaria est, per productiores moras evanescat, atque hebetetur intentio.* Et nónne hoc ipsum est, quod aliqui nobis dissuadent, dum id spectant, ut nos hodie faciant vivere in sola Fide, perinde ac si omnes actus, quæ huic adjunguntur sint actus inutiles?

Epist. 121. c. 9.

Sed fortassis S. Augustinus cum aliis illis solitudinis inquilinis minùs doctis, non tantum profecerant, ut cum hujus ætatis Doctoribus perpenderent, sicut ineptum est, cùm quis Principi aliquando donavit gemmam aliquam, identidem illi iterum ad nauseam inculcare. *Princeps, ego hanc tibi gemmam dono : Princeps, ego hanc tibi gemmam dono :* jam enim primo illo actu satis illam donâsse intelligitur; sic qui semel DEO donavit suum cor, ab re esse, si donum non revocat, illud denuò ipsi donare velle.

Sed quæ tandem Comparatio minùs ad rem facit? si illa idonea est, oportet Ecclesiam tandem desinere toties interdiu repetere illud. *DEUS in adjutorum meum intende &c. DEUS in adjutorium meum intende &c.* Si enim id quis cum Principe aliquo ageret, & septies illi interdiu in memoriam revocaret, ut opem suis in necessitatibus ferre ne gravetur, utique is tandem septima vice tantùm non baculo facessere juberetur : usque adeò similium repetitio actum apud

um apud homines non importuna tantùm esset, sed cum recta ratione pugnans.

Ad hoc proinde animum advertere oportet, hanc nostri dedicationem DEO factam non repeti (ut isti sibi persuadent) eo fine, ut DEO notus sit noster animus, ejus nos obsequiis addicendi: jam enim ejusmodi intentio, si retractata non fuit, ipsi est notissima per primum actum: Repetitur tamen: ut nobis id in memoriam revocemus, quod primò est actum. *Ideo per certa intervalla horarum etiam verbis rogamus DEUM, ut illis rerum signis nos ipsos admoneamus.* Ita S. Augustinus pronuntiavit. Idcirco quisquis ita stabiliter conjunctus DEO est, ut actibus ejusmodi repetitis conjunctionem hanc non promoveat, sed turbet potius, is in hac conjunctione perseveret, hæc enim illi sufficit. Sed quàm pauci inter mortales sunt, qui tantam conjunctionem consequantur; cùm ne illi quidem Sanctissimi Eremi incolæ ad illam ausi sint aspirare? Vita contemplativa si suis res momentis libratur, perpetua quodammodo lucta est spiritus, qui DEO suo frui concupiscit, cum corpore, quod illam impedit: Ita censuit S. Gregorius. *Anima cum Contemplari DEUM nitur, velut in quodam certamine posita, modò quasi exuperat, quia intelligendo & sentiendo, aliquid de incircumscripto lumine degustat; modo succumbit, quia ex degustando iterum deficit.* Ibid.

Quomodo igitur Spiritus in tam difficili pugna sic potest superare corpus, ut illi porro non cedat? Multum erit, si identidem vires resumat ad vincendum adversarium. Et hoc est, teste S. Thoma, quod auget summam, quam Spiritus in Contemplatione DEO conjunctus percipit, voluptatem; frui bono, quod nunquam sine magna lucta sit assecutus. 2.2 q.180 a. 7. ad 2.

Hinc etsi S. Franciscus Salesius pro Venerabili vidua de Cantal probaverit doctrinam, non repetendi multos actus, considerata difficultate longè majori, quam ipsa experiebatur ad se conjungendam DEO, quàm ad tuendam conjunctionem obtentam; multæ tamen valde sunt illæ, quibus documenta prorsus diversa suis in literis dedit. Imò solebat ipse plerumque animabus etiam Sanctis, quas regebat in spiritu, præfigere certum numerum aspirationum, quas vocabat amorosas, certo temporis intervallo eliciendas. Cùm probè intelligeret vir Sanctus; ignem caritatis non nisi tunc obtenturum quietem propriam, cùm stabilem in cælesti sua sphæra locum fuerit affecutus. Quamdiu autem his in terris exul manserit, majori quiete eum non gaudere, quàm cùm sursum enititur. Et ita ipse pro sese paratum quotidie habebat subsidium similium aspirationum, quas desumebat ex argumento, de quo manè erat meditatus, ut per has identidem anhelare ad DEUM posset.

S. Teresia an non hortatur omnes, quicunque Orationis studio tenentur, ut quinquagies per diem sui oblationem DEO iterent? Non tamen mihi persuadeo, voluisse illam hâc doctrinâ cujusquam quietem interpellare. Et verò quomodo potuit velle interpellare, aut impedire, si affirmat, illis, qui ad supremum Conjunctionis cum DEO gradum pertingunt, quem ipsa Matrimonium spirituale appellat, minùs facere non licere, quàm ut quotidie multas exhalationes amoris erga ipsum DEUM emittant, quales essent: *O vita vitæ meæ! O salus! O spes*: aliæque similes, quæ vi quadam ex imo cordis erumpunt.

Mans. 7. c. 3.

S. Bartholomæus Apostolus centies de die & toties noctu procumbebat in genua ad certum quemquam honoris

DEO

DEO debiti actum repetendum, in hoc non animi tantùm sui, sed & corporis quietem reponendo. De sancto autem Rege Davide non ignotum, septies interdiu solitum repetere illas DEI laudes, quas jam semel DEO exhibuerat: *septies in die laudem dixi tibi super judicia justitiæ tuæ.* Tam non satis illi erat prima intentio semper illum laudandi. *Semper laus ejus in ore meo.* Nimium quantum intra nos ponderis habemus à natura nostra destructa, quod sufficiat ad animum nostrum deorsum trahendum, nisi (ut in machinis horologis fieri assolet) identidem ea pondera sursum trahantur. *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.* Psal. 118. v. 194. Sap. 9. 5.

## II.

QUid juvat igitur hunc in finem afferre S. Thomam; quia ille docet, voluntatem tendendi ad ultimum finem non ideò cessare, etiamsi non continuò renovetur? Verum est, illam non cessare, distrahitur tamen nonnihil aliò, debilitatur, & idcirco, daro etiam, quòd ejus renovatio non sit necessitatis (quod solùm eo loco intendit S. Doctor) non ideo consequens est, quòd etiam nullius sit utilitatis. Qui Romam proficiscitur, stultus esset, si brevissima per intervalla tacitè secum mussitaret: *Necesse est ire Romam. Necesse est ire Romam.* Naturale enim illud desiderium, quo fertur ad videndam denuo urbem Mundi Reginam, sàtis per se hoc ipsi in mentem revocat. In re autem nostra similem instinctum reperire non est. In hac enim *evanescit intentio*, aut saltem hebetatur, ut ajebat S. Augustinus, nisi restauretur. Omnes nimium quantum propendemus ad infima, quantumcunque intendamus ire ad 1. 2. q. 1. a. 1. ad. 2.

Rom. 7. 22. supera. *Condelector legi DEI secundùm interiorem hominem: Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati.*

Idcirco ut multa paucis complectar. Habeat sanè Anima gratiam vivendi semper in tam arcta cum DEO conjunctione, ut respectu ipsius superfluum sit dirigere versùs eundem identidem jacula ferventissimorum suspiriorum (quæ si ita loqui fas est, sunt totidem impetus, totidem conatus, atque impulsus; per quos ipsa rumpere tentat vincula, quibus innodatur) quomodo tamen ulla ratione damnari potest, ut avidum solatij alicujus sensilis agmen tam numerosum Sanctorum, qui nullo non tempore professi sunt, se illis summo cum animi ardore usos fuisse?

Si hoc est adhærere sensili, necesse erit, ut & Ecclesia decernat tollere atque abrogare tam multas exercitationes pietatis, quibus studet pellicere Animas ad DEUM; eò quòd istæ nimium quantum præjudicent cuilibet, qui statuerit vivere in puro spiritu. Quid ad rem concentus Musici? Quid supplicantium Ordines? quid preces? quid ad rem libri sacri? quid ad rem, profiteamur apertè, Sacramenta? an non ista etiam sensili suavem escam porrigunt? puro spiritui sufficere debet vivere in pura Fide.

Est hæc substantia doctrinæ quorundam, qui præcepta tradunt Perfectionis tam sublimia, ut necesse sit valde attollere oculos, & aciem eorum totam exerere, ut ad apicem usque perspiciendum penetret. Sed ô quàm vereor, nè in tam densa abietum sylva nimis quàm pronum sit cœcutire!

Invenio Sanctos nulli operæ peperciſſe, ut Sanctitatem magìs redderent familiarem, & usu facilem; excogitando eum in finem sexcentas industrias, ut sensibilium semitâ

corda

corda ad DEUM perducerent: propterea, quòd tali in re amare sensile ut medium, nunquam reputatum sit malum hominibus, ut nos sumus, obnoxiis sensui, malum fuit amare hoc ut finem. Donec igitur Ecclesia pronuntiet; pugnare cum perfectione christiana instaurare interdiu suaviter affectus pios amoris DEI, oblationis, obsequij, cavebo diligenter ne fidem habeam audacter sic scribenti. *Hoc est relinquere fontem pro rivulis; obtutum inquam fixum in DEUM, pro aliquibus leviculis affectionibus, quæ ad aliud non serviunt, nisi ut deflorent pietatem.* Credam potiùs, sic loqui idem esse ac conari abducere nos à rivis, qui sensim ad fontem perducant.

# Caput X.

*Ostenditur, quàm arbitraria sit lex, quâ asseritur, quòd sine Contemplatione nemo quisquam pertingere possit ad perfectionem; consequi, nimirum finem præcipuum, qui per Orationem quæritur.*

## I.

APparet igitur, tam leges, quæ spectant ad objectum Contemplationis, quàm quæ pertinent ad modum contemplandi, prout ab istis afferuntur, plurimum habere de arbitrario. Plus tamen de hoc videntur mihi illæ participare, quæ ad Finem Contemplantis referuntur.

Finis hic est, pertingere ad perfectionem. Et quoad hoc rectè omnino res habet. Sed quid necesse est addere: quòd, si pauci ad metam Christianæ perfectionis pertingunt,

gunt, causa non sit alia, quàm quia pauci se impendunt Contemplationi, maximè Mysticæ; sed solùm operam dant Meditationi? Hoc est sententiam ad arbitrium ferre. Neque enim vel S. Augustinus in longa illa Epistola ad Probam data *de Orando DEO*, neque S. Hieronymus, neque S. Gregorius, nec Sanctorum Patrum alij, qui tantopere commendârunt Orationem, unquam ad sic pronuntiandum progressi sunt. Perfectio Christiana non consistit in Oratione, ut contendebant Hæretici Massaliani, consistit in
2. 2. q. 4. a. 1. amore DEI majore aut minore. Qui aliter doceret, admonente S. Thoma, errorem assereret. Oratio tantùm est medium valde præcipuum ad eam acquirendam, ut sunt etiam tria consilia Evangelica.

Omnium maximè necessaria est Oratio, quæ in peten-
2. 2. q. 84. a. 1. do consistit: huic enim DEUS, de lege saltem ordinaria, alligavit largitionem omnium gratiarum: *Petite & accipietis.* Ut sic necessitas nobis imponatur cogitandi, quòd omne nostrum bonum proveniat à DEO. *Omne datum o-*
Jac. 1. *ptimum, & omne donum perfectum de sursum est, descendens à Patre luminum.*

Illa Oratio, quæ Mentalis appellatur, mirum quantum confert; cùm vivo quodam lumine viam hominis dirigat, corrigat Imaginationem, convincat Intellectum, Voluntatem corroboret, & denique hominem avellat ab amore omnium rerum conditarum, efficiendo, ut illa, exemplo Assueri inventa Esthere, divina inquam consolatione, nullam jam porro rationem habeat Vasti, Consolationis nimirum humanæ, tantopere antè amatæ, imò ut hujus planè obliviscatur.

Ista autem Mentalis Oratio duplicis generis est, ut jam pluries fuit inculcatum, Meditatio & Contemplatio;

quæ

quæ ambæ eò tendunt, ut, quam modo indicavimus, utilitatem animæ afferant, etsi motibus non iisdem. Velle autem ferre sententiam, quòd ad hanc utilitatem consequendam generatim pro omnibus medium aptius sit Contemplatio, quàm Meditatio; aut hæc potiùs, quàm illa, conatus est & labor, qui difficulter admodum tueatur respectum, non tantùm, quem personis debemus & partibus, sed etiam quem majorem debemus veritati.

Si dicatur, Contemplationem magis esse attemperatam statui hominis Perfecti, quàm statui Proficientis, aut Incipientis, rectè id asseritur. Contemplatio enim, quæ est felix illud sepulchrum, in quo quiescit Anima Mundo mortua, naturâ suâ exigit ingentem cumulum meritorum, quem habere oportet ante, quàm quis ad illam admittatur: *Ingredieris in abundantia sepulchrum.* Si autem è diverso dicatur, ad statum Perfectionis etiam à multis non posse perveniri meditando, id omnino falsum est. Quod enim Concilium, quis Canon, quæ schola hanc sententiam pronuntiavit? Ne quidem necessarium ad consequendam Perfectionem medium est, sequi Consilia Evangelica; ut manifestè nos docet Ecclesia, dum Sanctorum in numerum refert tam multos, qui liberi omni nexu Votorum, Domini magnarum opum, Patres familias, mortui sunt in suis toris Conjugalibus: & sit medium necessarium impendere se & addicere Contemplationi, & maximè illi Contemplationi, quæ Mystica dicitur? quam vix invenire sit, nisi in Animabus, quas fortasse rariùs detur invenire in Mundo, quàm Phœnices.

S. Gregor. l. 6. mor. c. 17.

Si ita est, jam profectò Perfectio Christiana non potest obtineri à quolibet, etiam, qui Consilia Evangelica sequatur. An non enim in hoc communi judicio planè

omnes consentiunt; Contemplationem ejusmodi esse donum gratuitum; quòd DEUS nulla certa lege conferat, cui vult, quando vult, & quantum vult, & sicut vult, & quòd nemo, quocunque demum adhibito spiritûs conatu certò illud consequi possit, donec mortales has exuvias ponat. *Multi totâ vitâ suâ ad hoc tendunt, sed non pertendunt*, quæ sunt Melliflui Doctoris verba. *Quibus tamen si piè & perseveranter conati sunt, statim ut de corpore exeunt, redditur, quod in hac vita dispensativè est negatum, illuc perducente eos solâ Gloriâ, quò tendebant ipsi cum gratia.* Quomodo igitur in arbitrio & potestate cujusquam erit, licèt ipsa adimpleat Consilia Evangelica, consequi perfectionem, si nulla ratione in ejus manu est illud medium, sine quo Perfectio obtineri non potest? An est, qui speret videre sine oculis, audire sine auribus, volare sine alis? idem est in re nostra.

Serm. 4. de Circumcis.

## II.

SEd nec ego è diverso affirmârim, Meditationem strictè sumptam, medium esse ex genere suo necessarium ad perfectionem obtinendam. Censo enim rudiores quosdam hac in vita animas, si modò se DEO nulla non die toto ex animo commendent, ipsas quoque eò pertingere posse, ut id solùm velint, quod DEUS vult, utque id ipsum velint, quia DEUS vult: qui, si vehementer non fallor, ille est apex supremus Perfectionis, ad quem aspirare possimus. Istud tamen asseram sine hæsitatione, generatim loquendo, Meditationem esse medium longè efficacissimum, non minùs quàm sit Contemplatio, cùm oppositum nullâ vel authoritate vel ratione, quæ vim aliquam præseferat, possit demon-

S. Teres. Itin. Perfect. c. 17.

demonstrati. Quin imò video S. Teresiam, ubi Meditationis specimen his verbis proponit: *Præfigimus nobis ad Meditandum partem aliquam Passionis, qualis esset comprehensio Christi in horto, & in hoc puncto examinamus, quæ in eo continentur &c.* mox subjungere; *Orationem ejusmodi esse valde mirabilem & meritoriam.* Inde dicit, nescire se unde proveniat, ut, qui ad sublimem Contemplationem pervenit, illâ uti non possit: nisi fortè ex eo, quòd Anima tunc intelligat ista Mysteria modo perfectiore, solo scilicet obtutu. Quando tamen excidit unquam S. Teresiæ, quòd Homo meditando ad perfectionem non possit pertingere? Manſ. §. c. 7.

Adverto tantùm, quòd isti alij pro sua contraria doctrina adducant experientiam, dicendo: *Multos post quinquaginta annos exercitationis hujusce exterioris* (sic illi Meditationem contemptim appellant) *manere inanes DEO, & plenos se ipsis, cùm de Spirituali, præter nomen nihil habeant.*

Si argumentum hoc desumptum ab experientia, solum in hac causa deberet habere pondus potissimum, non deessent aliqui, qui mox illud contra eos, qui sic loquuntur, retorquerent, & simile quid de Contemplantibus post tantundem temporis spatium affirmarent.

Ego tamen illud non retorqueo: hæc enim foret ratio arguendi in ordine ad propositum magis exemplo noxia, quàm salutaris; præterquam quòd æquitas non admittat, ut nonnullorùm animositas noceat tam multis bonis, qui hîc extra omnẽ culpam sunt, imò quibus ea nõ parvo dolori est.

Dicam tantùm; Experientiam hîc parum valere; cùm defectus illi, qui tribuuntur Meditanti, inveniri etiam possint in Contemplante: & defectus, quos notamus in Contemplante, reperiri etiam possint in Meditante: omnes enim eodem ex luto ficti sumus. Defectus tamen ipsi non Artis sunt, sed Artificis. Unde sicut Contemplans respon-

det; quòd non idcirco damnanda sit Contemplatio, quia aliqui, qui certo consilio illi addicti sunt, prodeunt subinde Homines sui judicij tenaces, intolerantes injuriarum, asperi, & inimici laboris; cùm totum hoc ex eorum vitio nascatur. Ita non minùs respondebit Meditans, si audierit, reos non paucorum defectuum agi eos, qui diu Meditationi operam dederunt.

In hoc igitur genere potiùs dicendum, sicut affirmari non potest, quænam tandem naves desideratum ad portum certiùs perveniant, illæne, quæ expansis velis alto mari provehuntur; an verò illæ, quæ remis propelluntur, cùm non hæ minùs, quàm illæ mille periculis obnoxiæ sint, etsi diversis; ita nec pronuntiari posse, quinam tandem homines certiùs ad Perfectionis portum perveniant, illíne qui vela divini spiritus auræ pandunt in Oratione magis sublimi, an verò qui remis provehuntur, mentis conatum & laborem adhibendo?

2.2.q.181 a.2. Meditatio, confessione omnium, pertinet ad vitam activam; hæc enim attendit ad extirpationem virtutum ut debitam ad normam redigantur actiones exteriores, sive hæ propriam tantùm, sive alienam etiam salutem spectent, qui est totus finis Marthæ. Contemplatio autem refertur ad vitam Contemplativam, quæ id unum sibi præfixum habet, ut DEO præsente in silentio fruatur, qui est finis Magdalenæ.

Quare sicut pronuntiari non potest, quænam istarum duarum vitarum majores Ecclesiæ Sanctos dederit, Activáne, an Contemplativa, cùm utraque dederit longè plurimos, ita nec pronuntiari potest, quisnam istorum duorum Orandi modorum, Meditatio an Contemplatio plures dederit.

Adver-

Advertendum tantùm erit cum S. Thoma, inter vitas Activam & Contemplativam, mediam esse aliquam vitam, quæ ex utrâque resultat & Mixta dicitur: atque hæc ex genere suo perfectior est, ut omne totum perfectius est singulis partibus, quæ illud constituunt. Hinc Christus non dixit Magdalenæ, quòd optimam ipsa vitam, seu statum; sed tantùm, quòd optimam partem sibi elegerit, si hæc comparetur cum illa, quam elegit Martha. *Non dixit Dominus de Maria, quòd optimum sibi elegit, sed quòd elegit sibi optimam partem: melior enim est pars Contemplativa, quàm pars Activa.* De cetero, ut ingeniosè pergit observare Cajetanus, totum, quod resultasset ex his partibus melius futurum fuisset, quàm singulæ, *utrâque enim parte melius est ipsum totum.* Hinc S. Franciscum Salesium, solitâ illâ sua suavitate, scripsisse aliquando legimus, quòd si ipse præsens adesse potuisset in fortunatissimo illo Bethaniæ castello tantùm non ausurum se fuisse propiùs accedere ad duas illas beatas Sorores, & cuilibet earum dicere, ut tantisper partes inter se suas mutarent, sic ut Magdalena sublevaret nonnihil labores Marthæ, Martha autem quietis illius partem caperet, quâ gaudebat Magdalena.

In Comment. ad 2.2. q. 181 n. 1. ad. 3.

Epist. p. 1. l. 2. Epist. 34.

Sicut igitur, ut ad propositum redeamus, est inter gèminas istas vitas, Activam & Contemplativam, melior tertia, quæ est vita Mixta, cur non pari modo dicere oportebit, inter celebres istos modos orandi Contemplationem ac Meditationem, tertium esse, qui utrumlibet superet, totum inquam illud Orationis Mentalis, quod Complectitur utramque partem, & Meditandi & Contemplandi, pro temporum & rerum varietate?

Certa res est, quamvis Contemplativa vita ex se indicium sit, quòd DEUS affectu sinceriſſimo diligatur,

majus tamen ejusce amoris indicium esse, relinquere non nunquam illam pro vita Activa. Unde S. Joannes Chrysostomus ponderans ardentia illa Apostoli Pauli verba: *Optabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis.* Aureo ore suo pronuntiavit: Apostolum tam fuisse ebrium amore erga suum Christum, ut placendi ipsi studio, ne quidem pensi haberet ipso frui: *Ita totam mentem ejus demersérat amor Christi, ut etiam hoc, quod ei præ ceteris amabilius erat, esse cum Christo, rursum idipsum, quia ita placeret Christo, contemneret.*

L. 1. de Compunct. tom. 5.

Eccur igitur non possit nonnunquam provenire ex majori erga DEUM amore, ut homo deliberata voluntate omittat contemplari, teneátque se intra fines simplicis Meditationis, quando id majus obsequium DEI ita postulârit, ratione habitâ gravium curarum, quibus sit occupatus; ratione habitâ negotiorum familiæ, itinerum, concionum, aut etiam privationis auræ illius Spiritus Sancti propitiæ, quâ sine temerarium est velle plenis velis invehi, sed necesse est aut remo strenuè uti, aut in portu hærere?

Iterum ergo hîc iterúmque inculco, quòd, sicut non potest semper dici, quid expediat, velis an remis uti, ut ad portum perveniatur, ita neque semper dici posse, quid præstet ad consequendam desideratam perfectionem, contemplari, an verò meditari? Addam autem, illud omnibus aliis melius esse si DEUS dederit, scire navigare pro ratione ac diversitate temporum. Unde omnes inter naves, quæ sulcant aquas, magìs laudantur, proportione suâ, & demptis certis adjunctis, quæ aut remis aut velis provehi possunt, aut etiam utrisque in portum propelli.

## Caput XI.

# Caput XI.

## *Ostenditur, quanti Meditationem fecerint homines Sancti, non ad alios tantùm, sed etiam ad se ipsos perficiendos.*

### I.

VIdetur res captu difficillima, quòd, si Homines Sancti præditi fuissent dono Contemplationis perpetuo, prompto, ad arbitrium ipsorum utibili, unquam ampliùs per omnem vitam ad meditandum induci potuissent. Quis enim est, qui cùm in horto suo habeat fontem copiosum, qui areolas omnes officioso cursu abundanter irriget, plantis omnibus, omnibus herbis humorem affundat, labore illo ampliùs fatigari dignetur, qui ad aquam è puteo hauriendam requiritur?

Ex duobus igitur alterutrum dicendum erit: aut, quòd ipsi donum ejusmodi ut sibi debitum non expetierint, & idcirco semper obligatos se agnoverint ad strenuè laborandum, nea quâ destituerentur, tanquam Homines ad hoc facti, nati ad laborem: *Homo nascitur ad laborem*: aut quòd Job. 5.
DEUS ne quidem Animabus tam sibi dilectis donum hoc (quod nonnulli velut jure suo exigunt) concesserit, tanquam ad assequendam Perfectionem non necessarium.

Res ipsa est, quòd DEUS voluerit plerosque suorum servorum, orandi studio addictorum, esse similes Sponso in sacro Epithalamio, cui nunc fons, nunc puteus attribuitur: *Fons hortorum, Puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano.* Voluit enim, ut modò laborarent in haurienda per Orationem cælestis consolationis aquâ, aliàs autem non laborarent. Ita omnino existimavit Gilbertus Abbas.

Serm. 47. in Cant. Abbas. *Sicut & Puteus sapientiæ, ita & Fons sapientiæ legitur, & fortè in his duobus geminus ejus modus exprimitur. Unus qui fit per investigationem, alter, qui fit per inspirationem. Fontis aquæ ultro prorumpunt. In Puteo verò terræ prærumpitur moles, & soliditas penetratur, ut ad aquam vivam pertingas; utraque alteri necessaria est, & industria gratiæ, & gratia industriæ, & vicariam opem sibi communicant.* Quæ elegantior discriminis ratio inter meditantem & contemplantem cogitari potuit? Nihil autem hinc apparet clariùs, quàm quòd non sit aliud ac diversum bonum, quod meditando, ab illo, quod contemplando quæritur: hoc enim utrobique est eadem Divinæ sapientiæ aqua. Totum discrimen in modo est; in uno cum labore, in altero sine labore scaturit. Utrobique gratia præcipuum locum habet, dum vel tollit laborem, vel sufficientes ad hunc vires subministrat. Quando laborem & difficultatem aufert, magis apparet opera gratiæ, quàm laboris; eâque causâ Contemplatio magis tribuitur gratiæ, quàm Meditatio. Quando vires subministrat, magis se prodit opera industriæ, quàm gratiæ: & idcirco etiam Meditatio magis tribuitur industriæ quàm Contemplatio.

Ceterùm cui hoc non sit singulari solatio (dummodo haurire ex puteo aquam non gravetur) dum considerat, se eandem habiturum ex puteo aquam, quæ ex fonte manat? *Aquam Sapientiæ.* Ille solùm deliraret, qui nihil unquam vellet agere aliud, quàm haurire aquam; nec unquam aquâ haustâ frueretur, eâve in spiritus sui commodum uteretur. Sed quis Hominum Sanctorum tale quid fecisse credi potest? & idcirco censuerunt ipsi, quòd sicut Contemplatio aptissima est ad perficiendam animam, ita non minùs apta sit Meditatio; non faciendo aliàs magnum discri-

scrimen inter Fontem & Puteum, cùm ambo ordinati essent in bonum horti. *Habetis in Puteo occultationem, in Fonte copiam; profusionem in Fonte, & sensuum profunditatem in Puteo: Puteus altus est, sed indiget hauritorio; Fons est, & gratis fluit.* Gilbert. ubi supra.

Insolens proin res est, videre, dum homines Sancti pleno ore affirmârunt, Contemplationē non esse medium sine quo non Perfectionis pro eo, qui ad eam aspirat, sed quòd hunc ad finem sufficiat etiam Meditatio, inventum, esse hominem, qui omni metu victo, tandem hoc suis in libris negare non sit veritus, pietatis erga Animas prætextu, quas ille hac de causa videat multum laborare & parum proficere.

S. Ignatius, qui Manresana in spelunca tantum accepit luminis, ut ejus vigore crederet se fortem satis fore ad sustinendas veritates Fidei, si Mundus omnis à vera Religione deficeret, illásque veritates impugnaret; eodem tempore magnum illum librum suorum Exercitiorum scripsit, dictatum sibi non ab insigni in literis peritia, quarum tam erat rudis, ut vix literarum formare elementa nôsset, non à multa speculatione, non ab experientia, sed ex ipso Mariæ DEI Matris ore, ut inter nos constantissimum est. Et tamen ille totus Meditationibus constat. Nec putandum, quòd eum Sanctus aliorum tantùm bono scripserit, & non suo: neque enim ille unquam tantâ sui æstimatione intumuit, ut ejus usum sibi porro non necessarium duceret. Imò etiam voluit, ut illum sibi necessarium omnes ejus Filij crederent, per omne vitæ tempus: & sic nulli ipse legem tulit contemplandi, nisi ad hoc Orandi genus illum DEUS eveheret; omnibus tamen legem tulit Meditandi, eo fortassis fine, ut dexteritatem acquirerent illa tractandi Lud. de Ponte in vita P. Bal. Alvarez c. 49

arma, quorum dein ministerio & vi tam multorum animos expugnarent. An non palàm est, debuisse libri illius Sanctitatem Mundo notam fieri Apostolicæ Sedis oraculo, promulgato per diploma, quod Paulus Tertius Pontifex Maximus dedit? & quâ id causâ; nisi quia quotidie tam insolitæ, tam inauditæ, tam repentinæ fiebant conversiones Animarum, dum Orandi methodo, quem liber ille tradit, Mortales utebantur, ut Invidi passim aut chartis consignarent, aut murmurarent, non doctrinam divinam, sed præstygias, & magica carmina eo libro contineri?

S. Philippus Nerius (cujus hac occasione mentionem fieri æquissimum est, non minùs, quàm alterius cujuslibet, ob insignia prorsus dona, quibus à DEO præventus est) quid facere consueverat? *Nunquam ferè non sese exercitabat in Meditatione cruciatuum, ac mortis Christi Servatoris nostri.* Et tamen an non ille contemplari semper poterat purum purissimum DEUM? Mihi quidem id dubium non est. Sed sincerus gestorum ejus Scriptor, qui tantâ aliàs accuratione & diligentiâ in ea historia scribenda usus est, non asserit, Sanctum sic contemplari solitum; asserit tamen, *nunquam ferè non solitum se exercitare in Meditatione Passionis Christi.* At nunquid saltem caverit diligenter Sanctus certos quosdam modos, qui indicio sunt, quòd sic orans sensile quidpiam consectetur? Quim imò lego, solitum illum penes se habere simulacrum Christi in Crucem suffixi, avulsum tamen à Crucis ligno, ut tantò commodiùs affectibus accensi sui cordis in ea exercitatione indulgere posset. Tam ille nihili faciebat accusationem, quasi hac ratione rei sensili adhæreret, etsi hoc tantùm viam nobis sternat, quâ propiùs accedamus ad DEUM. Hinc, quia nondum audierat optimus senex, uti Precibus jaculatoriis

Petr. Jacobus Bacci in vita Sancti l. 2. c. 1. n. 21.

idem

idem esse, ac deserto fonte rivulos consectari, toto iis die occupabatur, haud secus ac si his ipsi rivis opus esset ad veniendum ad fontem. Alias inter ejus sortis formulas hæc ipsi perquam crebrò in ore erat, ad DEIparam relata. *Maria Mater DEI intercede pro me apud JESUM.* Curabat, ut qui suas apud eum noxas pro sacro tribunali deponebant, ad globulorum numerum dictam formulam repeterent, & ipsemet (audiant piarum ejusmodi consuetudinum vituperatores) ipsemet, inquam ipsissimus ille Philippus, qui eò pervenit, ut quadraginta ipsas horas, Juvenis etiamnum, in perpetua Contemplatione transigeret, ille, qui media hieme cogebatur aperto esse sinu pectoris, ob flammas, quibus intus ardebat; ille, qui media nocte cogebatur ob importunam applicationem, quærere aliquem, cujus ope animum ad alia transferret: ille, qui toties dignus à DEO habitus est, dum operatoria illa inter sacrificandum pronuntiabat verba, ut totus illi cæli Paradisus panderetur; ille inquam ipse post raptus illos sublimissimos, quibus in densa Populi corona in ipsa adeò Vaticana Basilica, repentè à terra sublatus in altum conspectus est, quid multis? ille ipse sertum globulorum semper versabat manu, ut quoties poterat, ad ejus globulos iteraret caram illam suam jaculatoriam; quæ innumeris ejus imitatoribus mirum quantum attulit emolumenti. Usque adeò verum est, in ea fuisse sententia Philippum, quòd Meditandi exercitatio utilis esset, non tantùm ad profectum, sed ad ipsam etiam perfectionem, id quod hodie aliqui ferre non possunt, vel verosimile censeri. Hinc unus eorum aliquis, magno accensus Zelo, cùm cerneret *vulgus Christianorum non habere tantum*, ut ille loquitur *animi ut ad illam Fidei puritatem assurgeret*, quam ipse reperit in simplici illo obtutu fixo, l. 2. c. 2. n. 3.

quem explicavit; rogat expertos, rogat prudentes, rogat Theologos, ut in ejus cognitionem passim alios ducere conentur, ad liberandum hac ratione Populum Christianum à jugo Orationum vocalium, quæ sine numero ipsis præcipiuntur, nec non Meditationum, oblationum, ad fastidium usque inculcatarum: quales juxta hanc doctrinam fuisse necesse est tot illas S. Philippi jaculatorias, quarum totæ coronæ texebantur. Quamquam non vulgo tantùm Christianorum, sed Nobilissimis etiam quibusque eas Sanctus inculcabat.

De S. Carolo mentionem facere necesse non est. Suxit ille primum solidæ Sanctitatis lac ex uberibus Meditationum, quarum paulò ante meminimus, S. Ignatij, & tanto earum studio exarsit, ut, quamdiu vixit, semel saltem quot annis ad eas regustandas accesserit, Infantis instar ad ube-
l. 8. c. 5. rum dulcedinem identidem redeuntis. *Reliquo tempore, meditabatur crebrò* (ut narrat in vitæ historia Giussanus) *Passionem Christi Servatoris, erga quam singulari pietatis affectu ferebatur in varia illam puncta partiendo. Nec isto contentus, librum sibi formaverat multorum diversorum foliorum, in quibus omnia ejus mysteria picta erant, ut paratas omni momento haberet, imò oculis ipsis repræsentatas res, quas Meditari volebat.* Et ne quisquam sibi persuadeat, quòd id ille faceret singulari quodam & tenero erga Servatoris sui Passionem affectu, cujus in monte Varallo tam pia & luculenta reliquit monumenta, addit statim idem author, quòd ille *habuerit collectam quodammodo sylvam multorum aliorum argumentorum, quæ in brevia puncta erat partitus pro usu Orationis, quorum plura volumina ab ejus morte sint reperta.* Subinde autem minutim & exactè describit recessum, in quem se Sanctus abdidit sub ultimos vitæ suæ dies, quando

cum

cum aliis familiaribus suis, qui cum ipso in illam Varalli montis solitudinem se contulerant, cujuslibet diei vespere accipiebat ex ore Patris Adorni, intimi sui, *puncta, de quibus instituì debebat Meditatio*, sub tempus matutinum; manè verò illa, de quibus sub vesperum erat instituenda Meditatio. Unde constat voluisse virum Sanctissimum eodem lacte consummatam suam Sanctitatem corroborare, quo illam primò adolescentem nutrire cœperat. l. 7. c. 11.

Non alia ab his fuerunt sensa S. Cajetani, qui avelli nunquam poterat ab obtutu suffixi in crucem Servatoris sui. Non alia S. Francisci Xaverij, non alia S. Francisci Borgiæ, non S. Claræ de monte Falco, non tam multorum aliorum Sanctorum, quorum accuratum hîc velle catalogum texere, & suas velut in acies distributos recensere, labor est inutilis, aptus servire potiùs ad pompam, quàm ad rem, de qua agimus, comprobandam.

## II.

QUis proin persuadere sibi posset, non obstante hac tantorum Sanctorum authoritate, fieri posse, ut inveniretur, qui afferens & præscribens sublimissima orandi præcepta, non dubitaret &c.; Sed, heu me! necesse est, ut hîc interstat spiritus meus ad vires colligendas. Objectiones siquidem, quæ illi velut ex accidenti confutandæ sunt, tanquam obliquè directæ ad improbanda & damnanda exempla tam illustrium Sanctorum, quos laudavi, tam primo aspectu crudæ sunt, tam horribiles, ut stent mihi comæ, penitúsque obstupescam. Quàm libens proin me densas in latebras abderem, ut sinerem interim illas suâ abire viâ, quin ullo indicio illas à me vel conspectas proderem: maximè

ximè ex quo non immeritò metuere debeo, ne quam ipse mihi molestiam facessam, magno illo animo, quem præmeferam eas lacessendo. Verùm videor mihi nimis apertè proditurus causam mei JESU, si id ego facerem. Uterer enim dissimulatione abjectâ potiùs, quàm Christianâ. Ac proinde stat fixum, audacter lacessere singulas. At quo id fine? non alio, quàm ut larvam ipsis detraham, non pietatis tantùm, sed etiam Perfectionis, sub qua, siquo modo possent, cuperent spectantium se oculis offerre.

# Caput XII.

*Retegitur ex occasione falsitas aliquorum axiomatum, quæ referuntur ad exponendos contemptui eos, qui circa Christum utuntur tribus facultatibus interioribus, more potiùs eorum, qui meditantur, quàm qui contemplantur.*

## I.

QUis proinde sibi persuaderet, repeto, quis sibi persuaderet, non obstante hac tantorum Sanctorum authoritate, quorum ante meminimus, non defore tamen aliquem, qui, ut elevet authoritatem eorum, qui dictos Sanctos hodie imitantur in modo ipsorum Orandi, non dubitaret tandem prorumpere in hæc verba, quorum censuram omnem pij lectoris judicio relinquam: *Ad quid pascere se constanter hisce mysteriis, hisce miraculis, hisce verbis JESU Christi?* Fateor equidem me perceptis ejusmodi verbis

verbis sensisse in me excitari illum spiritum, quo olim duo illi Tonitrui Filij accensi sunt contra Samaritanos qui Christum rejecerant: usque adeò desideravi, calamum, quem manu versabam, mutari mihi in fulmen. Mox tamen conatus sum spiritum ejusmodi, tanquam malè convenientem & importunum, frenare & reprimere, ne & mihi contingeret ex Christo audire illud: *Nescitis cujus spiritûs estis.*

Parte tamen alterâ, éstne hoc quoquomodo idioma, quo in Perfectionis via erudiantur Animæ?

*Ad quid, pascere se constanter hisce mysteriis, hisce miraculis, hisce verbis Christi JESU?*

Ecquid unquam aliud fecerunt illi ipsi, quorum ante meminimus, Sancti, cum aliis innumeris, nisi pascere se constanter omnibus alimentis, quæ hîc tam contemptim referuntur? Gloriosus S. Dominicus, ad mortem usque studuit isthæc mysteria, ista miracula vertere in cibum, non suum duntaxat unius, sed totius Populi Christiani. S. Hieronymus, S. Augustinus, S. Ambrosius, S. Gregorius cum omni reliquo Doctorum Ecclesiæ agmine aliud non fecerunt, quàm ut constanter se pascerent, tam cùm Orationi vacabant, quàm cùm non vacabant, verbis Christi saluberrimis, illa mandendo, terendo, minutim quasi comminuendo, velut nectar longè suavissimum, quod vel è cælo Empyreo depluere posset. Et tamen ita loqui lubet?

Ego equidem paratissimus sum respondere ita quærenti, quoties libuerit, quid tandem ea re propositum sibi habeant Christiani: *ad quid pascere se constanter hisce mysteriis, hisce miraculis, hisce verbis Christi JESU?* ut ita Christo illud absque cessatione præstent obsequium, quod illi debetur. *Ad quid pascere se?* ut illud spiritui afferatur solatium, quod inde percipit. *Ad quid se pascere?* ut inde referat

referat spiritus illa constanter commoda, quæ resultant, *Ad quid pascere se?* ut hac ratione conformemus nos propensioni & voluntati Ecclesiæ Matris nostræ, nostræ Magistræ; quæ nunquam cessat ista nobis alimenta offerre in quotidianis Evangeliis. His de causis nos pascimus. An quid desiderat ampliùs? Prosequitur idem Author jam audacior, & inquit: *hæc esse alimenta Animæ, sed non esse ejus vitam.* Non sunt ejus vita? Prô DEUM immortalem! idem mihi accidit, quod Jeremiæ Vati: *Furore Domini plenus sum, laboravi sustinens.* Sed nihil ad rem. Pugnet hic Ratio: Ira, quàm illi DEUS ut satellitem adjunxit, pedem referat: nec enim ego sociam hîc ejus operam desidero.

Jer. 6.

Et quæ tandem Animæ vita est, si hæc alimenta non sunt? *Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt.* Sic Christus ipse pronuntiavit. *Spiritus*, quia removent ab anima omnem erga carnem & corpus, & quæ his affinia sunt, affectum & propensionem. *Vita*, quia illam movent ad agendum virtute summâ. Quòd si contra Christum obstinatè contendere lubet, & asserere, verba ejus non esse vitam, propterea, quòd non sint ipsa gratia, quæ est vita Animæ propria; quæ saltem erunt alimenta, quæ hanc vitam conservant, si ista non sunt? Rectè, nî fallor, de his sentit S. Petrus, qui longè alio quàm isti spiritu ad Christum dixit: *Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Et cur verba Christi sunt verba vitæ æternæ, nisi quia verba sunt, quæ, quò gustantur ampliùs, tantò vitam dant abundantiùs? *Sicut ex carnalibus escis alitur caro, ita ex divinis Eloquiis interior homo nutritur.* Quæ sunt verba S. Augustini. Non est igitur hîc ac rem illa exproba-

Jer. 6. v. 64

S. August. de salut. monitis. c. 28.

probratio, quam addit Promulgator jejunij tam in Mundo novi.

*Is qui semper nutritur*, his nimirum alimentis, *aut fame laborat importunâ, quæ inutiles reddit omnes cibos, aut necesse est, ut tantum pinguedinis collegerit, ut jam nauseet omnem escam.*

Et quæ hæc loquendi ratio, apta movere nauseam & stomachum multo plus, quàm, ut perperam supponitur, movere illum possint profunda Christi verba, quæ famem nunquam explent?

Si diceretur: satis non esse mandere hunc cibum, sed necesse esse illum deglutire, in viscera demittere, concoquere, in substantiam propriam vertere, sic agendo & operando, sicut exigunt ea, quæ de Christo identidem meditamur, rectissimè omnino diceretur. Sed velle ex hoc inferre; quòd non sit necesse aliàs meditari tot mysteria, tot Christi miracula, tot Christi verba, eò quòd meditari sit comedere, sit devorare, sit infarcire, non verò se nutrire; hæc enimvero non est ratio loquendi, quâ passim libero ore uti possimus, quin offendamus sexcentos Sanctos, sexcentas Sanctas, imò ipsum adeo DEUM. Institit semel apud ipsum solicitè S. Franciscus Assisias, ut manifestare dignaretur, quo demum exercitationis genere tam ipsemet, quàm sui Filij, uti deberent potissimùm in omni sua vita, ut tanto magis placerent Divinæ ejus Majestati? Quid ita quærenti inspiravit DEUS? inspiravit ut surgens è loco, in quo tum preces fundebat, coram summa Templi arâ, iret & Missale apprehensum aperiret. Obtemperavit Sanctus, precatus DEUM, ut in aperiendo prima vice libro mox occurreret, quod quærebat: aperuit, & incidit in Passiones Servatoris, aperuit denuò, & iterum se obtulit Christi

Chron. S. Franc. p. 1. l. 1. c. 88.

Passio: aperuit tertiò, & iterum in oculos incurrit Passio Christi. Sic ut hinc citra dubitationem statueret, hunc debere esse cibum suum quotidianum. Et tamen dicitur, quòd qui hoc cibo utitur, sit in statu ignominioso hominis gulosi? *Tabescere me fecit Zelus meus.* Malo tamen hoc consumi, quàm eundem exerere.

II.

SEd ad rem ipsam accedamus. Non jubet quidem ipse, qui sic loquitur, ut Animæ Christianæ penitus à corde suo ejiciant Christum; ut olim fecerunt Samaritani; id enim nimis quàm inhumanum foret: quin vult ut eum recipiant. Sed quid? interim vult ut stare eum sinant, nec pensi habeant unquam cum eo de re ulla agere. Quid sibi volunt, ait, repetitæ istæ erga Christum protestationes? quid oblationes? quid obsequia? quid tot considerationes piæ? sufficiat scire oranti, quòd habeat præsentem intimè Christum; & sic transigat cum illo tempus simplici & continuato actu puræ Fidei. Si Christus hac nostra ætate rediret ad conversandum inter homines spectabili, ut olim; formâ (prosequitur animosus noster Præceptor) & totum se nobis conjungendo, nobis comes iret, ubicunque nos moraremur, in templo, domi, in oratoriis, in urbibus, ruri, in mari, an fortassis nos identidem per totum diem molestè illi occineremus? Domine, volo orare in conspectu tuo; volo versari tecum; volo tecum cibum sumere, volo facere amore tui, quidquid tandem fecero? an non esset hoc, pergit ille utendo his ipsis vocibus: *an non esset hoc abjecta agendi ratio, res incivilis, res inutilis, res cum omnibus urbanitatis legibus pugnans*? sufficere enim nobis

debere

deberet cognoscere, quòd versemur cum Christo & Christus versetur nobiscum, quin aliam haberemus intentionem, quàm conformandi nos & conjungendi cum illo in omni nostra actione. Sufficiat igitur nobis etiam nunc, hac ratione cum illo procedere, dum modo non aspectabili præsentem in corde habemus.

O miras subtilitates, quæ hactenus Sanctorum nemini in mentem venerunt! sed nimis quàm magnum operæ pretium erit earum aciem retundere. Quæro igitur primò. An si Christus rediret ad conversandum cum hominibus formâ aspectabili, an illi exhiberi possent omnia, quæ modò exhibentur præsenti in SS. Eucharistia: præsentiâ verâ, personali, propriissimâ, non tamen aspectabili? Non crediderim jam ego. Nec enim mihi persuadeo, quòd unquam sic illum tractaturi essent Sacerdotes, ut nunc, cùm illum de Pixide in Pixidem transferunt, dum manibus gestant in supplicationibus per compita, inclusum vasi crystallino; dum tam varij Ecclesiastici ordinis homines illum circumstant, hymnos ac Psalmos perpetuò concinunt notis tam sonoris, ut in Choro aliquo eas audire non minoris videatur meriti, quàm sit eas scalpro exprimere. Cur autem hoc? Quia si Christus inter Mortales spectabilis versaretur, omnis recta ratio, & lex postularet, ut homines cum ipso humano modo agerent. Et idcirco credo, neminem tunc futurum, qui exemplo illius Apostoli, cui id laudi tribuitur, centies de die coram illo prostratus in genua suum profiteretur obsequium, eodem obsequio toties denocte repetito; hoc enim esset nihil planè quietis velle illi permittere. Unde animadvertendum est, quòd tractandi cum Christo ratio interior, ratio quædam mysti-

ca est, dissimilis exteriori, atque adeò aliis longè illa, quàm hæc, principiis & regulis utitur.

Verùm quæ hactenus dicta sunt, allatam comparationem infirmant quidem, sed non evertunt. Ad illam evertendam meminisse necesse est, totum istorum errorem, qui has repetitas sæpius preces damnant, quæ Sanctis tam fuere familiares, inde nasci, quòd in memoriam non revocent magnum illud S. Augustini effatum: nos in ejusmodi precibus & orationibus, non velle DEO manifestare affectus & propensiones voluntatis nostræ, jam aliunde illi intimè, meliùs quàm nobis sint, perspectos; sed cupere tantùm in nobis ipsis excitare memoriam obligationis nostræ, quâ adstringimur ad respondendum ipsi hoc affectu-

S. August. adl'robam de Orando DEO ubi supra.

um genere: *Ideò per certa intervalla horarum & temporum, etiam verbis rogamus DEUM, ut illis rerum signis nos ipsos admoneamus, quantúmque in hoc desiderio rogandi profecerimus, nobis ipsis innotescamus, & ad hoc agendum nos ipsos acriùs excitemus.* Quæ sunt ipsa Sancti Doctoris verba.

Unde cùm sic Christum alloquimur. *Domine orabo in tua præsentia*: quid dicere intendimus? Revocamus nobis in memoriam, quòd oporteat orare præsente Christo. Et talis idcirco affectus familiaris admodum fuit Sancto Re-

Psal. 18. v. 5.

gi Davidi: *Meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.* Quando dicimus illi: *volo conversari tecum*: revocamus nobis in memoriam, quòd conversandum sit cum Christo. Quando illi dicimus: *quidquid ago & operor, tecum operari volo*: revocamus nobis in memoriam, quòd vel inter operandum conjunctos nos Christo esse oporteat. *Omnes*

Psal. 188. v. 168.

*viæ meæ in Conspectu tuo.* Quomodo igitur hos repetere actus, inurbanitatis notâ non caret? quid in illis superflui, quid inhumani, quid abjecti est? cùm nemo illos repetat

petat id spectando, ut Christus veniat in notitiam ejus, quod ille habet perspectissimum, dum nobiscum versatur; sed repetat tantùm, ut se ipsum ad Christi amorem excitet?

Respondet ille cautus, tam diversos actus plenè perfectéque suppleri actu isto simplici; conjunctum esse illi per fidem.

Et ego hîc altum exclamo; non ita rem se habere: non sufficere actum istum simplicem, conjunctionis per fidem. Hic enim habitus potiùs est quàm actus, & idcirco ne quidem sufficit, esse conjunctum per habitum Spei; quin nec quidem per habitum Charitatis: hæc enim Oratio satis remota dicitur, & non est illa proxima, quæ nobis servit ad nos animandos & excitandos. *In ipsa Fide, Spe, & Charitate continuato desiderio semper oramus* (quæ est ad præsentem quæstionem ipsissima S. Augustini responsio) *sed ideò per certa intervalla horarum & temporum etiam verbis* (atque adeò ne quidem solis his affectibus internis) *rogamus DEUM, ut nos ipsos acriùs excitemus.* Ut jam ante dictum est ad errorem retegendum.

Quinam igitur sunt illi, qui contendunt, sufficere ipsis habitum, & quòd necesse non habeant, sicut illi Sancti, adjungere etiam multos actus ad se ipsos strenuè excitandos in omnibus, quæ ad divinum obsequium spectant?

Addunt autem; si ita res haberet, dicendum, quòd Apostolus duram admodum legem nobis imposuisset, cùm dixit, omnia, quæcunque agimus, facienda in nomine Domini JESU Christi. *Omne quodcunque facitis in verbo aut in opere, in nomine Domini JESU Christi.* Omnes enim quascunque facimus, actiones illi offerre, non est factu possibile. Effugium tamen istud pridem abunde occlusum fuit à S. Thoma, qui docuit, mediis eatenus utendum, quate-

Coloss. 17. 1. 1. Cor. 10. 41.

nus ſerviunt ad conſequendum finem; ut fit in medicinis, quæ non ſumuntur ſine menſura, & doſi, ſed tantum, quantum ad valetudinem recuperandam ſerviunt. Cùm ergo oblationes iſtæ fiant ad nos erga DEUM excitandos, non aliter, nec amplùs iterandæ ſunt, quàm quatenus hunc ad finem ſerviunt. Si ſubinde tam eſſent prolixæ, tam aſſiduæ, ut opprimerent ſpiritum, non aliter, quàm oleum ſine ulla moderatione lucernæ infuſum; non verò eum animarent, quis ambigat, quin tunc, utut in ſe bonæ, prudenter moderandæ eſſent, ceſſante nimirum fine, ob quem ab ipſo adeò Apoſtolo præſcriptæ ſunt, jubente, ut quidquid uſpiam fit, non habitu ſolùm, ſed actu, offeratur ad honorem Chriſti, quæ eſt ipſa memoriæ obligationis noſtræ excitatio. *Uniuscujusque rei quantitas*, ait S. Doctor, *debet eſſe proportionata fini, ſicut quantitas potionis ſanitati: Unde & conveniens eſt, ut Oratio tantum duret, quantum eſt utile ad excitandum interioris deſiderij fervorem, cùm verò hanc menſuram excedit, ita ut ſine tædio durare non poſſit, non eſt ulteriùs protendenda.*

2.2.q 44. art. 14. corp.

Idcirco nullo non tempore regula hîc tenenda erit, quam jam aliàs dedimus. Qui tali conjunctione gaudet, ut illâ juvante ſemper oret habitu; intentiùs etiam & ferventiùs, quàm oraret per actus breves & frequentes; non deſeratille hanc conjunctionem, ut & ipſe crebris his oblationibus utatur, quibus utebantur Sanctus Rex David, S. Antonius, S. Arſenius, S. Tereſia, S. Franciſcus Saleſius, S. Philippus Nerius, & innumeri alij (qui nobis demonſtrârunt, ſe eò non eſſe progreſſos, ut ſolo habitu contenti eſſe poſſent) hæc enim rara conjunctio illa eſt ipſiſſima, quam S. Auguſtinus appellat *intentionem rogandi*. Eſt autem Sancto Doctori idem Intentio, quod vulgo *Intenſionem dicimus.*

*dicimus. Intentio rogandi*, ſicut *non eſt obruenda ſi perdurare non poteſt*, ita juxta ea, quæ idem Sanctus obſervat, *ſi perduraverit, non citò eſt rumpenda.* Quinam autem illi ſunt, qui conjunctione tam arctâ fruantur? Et ſi vix ulli ſunt, ut quid paſſim apud omnes in contemptum adducuntur exercitationes iſtæ piæ? cur, inquam, in contemptum adducuntur? Non eſt occulta cauſa. Indicanda nimirum ſunt iſta Meditantibus: hi enim ſunt, qui conſtanter ſe paſcunt tot myſteriis, tot miraculis, tot verbis Chriſti JESU, ſubſtantiam ipſam pro alimentis derelinquentes. Contemplantes non ita facere conſueverunt.

Ego autem hîc diſertè edico; ſi eſſent, qui ſatiùs putarent, non curare deinceps alia alimenta; indignos eos futuros, qui vel contemplentur, vel meditentur, imò qui inter mortales degant. JESU mi Chare! ſúntne iſta forſan præcepta, quæ in uſum redegit ſanctiſſima Mater tua, quando tanto animi ſenſu, volvebat identidem in corde ſuo omnia, quæ quotidie ex te & de te intelligebat?

*Maria autem conſervabat omnia verba hæc, conferens in corde ſuo.* Lucæ 2. v. 19. Sanctè hîc tibi juro, quòd ſanctiſſimis verbis tuis conſtanter me velim paſcere, quoad potero; & plus etiam, quàm poſſim inceſſanter paſci volo Myſteriis tuis tam ſuavibus, Miraculis tuis tam divinis. Agat alius pro ſe, quod maluerit. Ego quod ad me pertinet, proteſtor, moriturum me antè, quàm tale pabulum unquam relinquam. Et nónne hoc eſt illud pabulum, quod tu mihi præparâſti, ô Paſtor mi bone tantis impendiis? Et ego illud unquam relinquam tanquam inutile, faſtidiam tanquam inſulſum? *Adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui.* Pſal. 46. v. 5.

III. Non

III.

NOn juvabit, ut inducar ad hoc relinquendum, ſiquis mihi inculcârit: ad orandum benè, ſatis eſſe ut ſciam, te mihi eſſe præſentem. Non juvabit, non. Exclamet per me, qui vult, oggerendo verba magis ſpecioſa, quam intellectu facilia. O Præſentiam JESU delicioſam! O ineffabilem! quis tam erit audax, ut non vereatur te interrumpere actibus diſtinctis intellectûs? Quis extinguere te volet actibus tumultuoſis voluntatis? aut quis præſumet offuſcare te Imaginibus & figuris, cùm tu tecum afferas actum purum, qui eſt DEUS, Imaginem ſubſtantialem qui eſt Chriſtus JESUS, & amorem perfectum, qui eſt Spiritus Sanctus. Prô pietatem ſimulatam & fucatam!

Sed, heus tu? S. Ignatius, S. Philippus, S. Carolus, S. Franciſcus Xaverius, S. Franciſcus Borgia, & omnes illi Sancti, quorum ſupra meminimus, cum S. Franciſco Seraphico, an non gaudebant & ipſi præſentiâ, tantopere hîc laudata? Et tamen meditabantur, hoc eſt, paſcebant ſe conſtanter tot myſteriis, tot miraculis, tot verbis Chriſti JESU? Quam ergo vim habent facultatum internarum actus ad præſentiam ejusmodi expellendam? ſi illam expellerent, ego ſanè capere non poſſum, quomodo unquam Apoſtolus tam ſeriò nos fuiſſet adhortaturus ad illos repetendos, quando nobis inculcavit, ut non tantùm *cogitaremus* illa, quæ noſtrâ causâ paſſus eſt JESUS Chriſtus: ſed etiam ut recogitaremus, hoc eſt, identidem ad illa cogitanda reverteretur. *Recogitate eum, qui talem ſuſtinuit à Peccatoribus adversùm ſemetipſum contradictionem, ut ne fatigemini animis veſtris deficientes.* Recogitare opera Chriſti non impedit nobis ejus præſentiam, ſed eam animat, ſed eam vivificat, dum illam nobis exhibet actuoſam.

Deinde

Deinde ita differo. Vel consideratur hæc præsentia, de qua sermo, ut est ineffabilis, an verò ut est delicioſa? ut est ineffabilis, est communis omnibus, qui sunt in gratia DEI; etsi hi actu nec meditentur, nec contemplentur. Ut est delicioſa, tam paucis est communis sine actibus distinctis intellectûs, & sine affectibus non jam tumultuosis (hi enim ab omnibus meritò vituperantur) sed suavibus voluntatis, & sine Imaginibus etiam ac Figuris, ut omnes ferme, qui audiunt ejusmodi exclamationem, possint quidem ideò contemnere istos actus, istos affectus, istas imagines, tanquam res nullius pretij, non tamen eorum loco consequi possint puram illam præsentiam experimentalem, quæ in altissima contemplatione est delicioſa, cùm hæc à DEO his in terris donetur quàm pauciſſimis: & qui illâ fruuntur, non est periculum, ne illam actibus elicitis ullatenus velint interrumpere; usque adeò illa est delicioſa. Quid igitur ejusmodi exclamatione concluditur in utilitatem & commodum multitudinis? Dicat hoc, qui potest intellige-re, ego non possum.

Non possum intelligere? Quin imò, concluditur, quòd passim oraturi, potiùs quàm meditentur, contenti sint hærere in Oratione tanquam stupidi. Sed non ita fiat: non ita faciant miseri, non faciant; in fraudem enim apertissimam inducerentur. Si contemplari non possunt, abjiciant se, adsummum, tanquam inhabiles, tanquam indigni, sed non despondeant animum; ego enim certò illis promitto, quòd hoc non obstante multum tamen consequi possint etiam de ipsa præsentia delicioſa, si meditentur.

Quid, & quomodo agendum, ut ex Christi præsentia illæ tam suaves deliciæ percipiantur? an satis forsan est,

adstare coram ipso actu puræ Fidei? Haudquaquam sanè; sola enim Fides ex se non potest conferre has delicias. Necesse est Fidei jungere devotionem, cùm nos doceat S. Bernardus, Fidem, quæ devotione careat, esse cadaver. *Si quædam anima Fidei ipsa devotio est, quid erit fides, quæ non operatur ex devotione, nisi cadaver exanime?* Serm. 24. in Cant. Ad obtinendam autem devotionem hanc, necessaria non est Contemplatio, ut jam cum S. Thoma probavimus; sed vel Contemplatio, vel meditatio. *Causa autem intrinseca devotionis est meditatio, seu Contemplatio*, atque adeò præsentia tam delicioſa, tam potest obtineri applicatione Imaginationis, junctis actibus Intellectûs & affectibus Voluntatis, quàm sine his, si DEO placuerit eam largiri. Non erit; fateor, illa tam delicioſa, propter adjunctum laborem, qui meditando subitur; erit tamen non parùm delicioſa. Caleb igitur potuerit habere pro filia sua *irriguum superius & irriguum inferius*; & DEUS pro suis non habebit? Si Animæ, quæ verè Contemplantur, habent *irriguum superius*; benè ipsis cedat; fruantur & gaudeant dono, quod acceperunt. Illæ tamen, quæ meditantur, sciant & ipsæ superesse pro ipsis *irriguum inferius*. An fortassis renuent acceptare irriguum inferius, quia DEUS non dignatur ipsis dare superius? hoc si fecerint, certæ sint, pro ipsis non supereſſe nisi *terram arentem*: quod est manere in oratione instar attonitarum. Atque hoc est, quod iis contingit, quibus satis est manere in Oratione cum Fide: hoc est, non contemplari, quia non possunt; & non meditari, quia non volunt. Non ita fiat, non fiat, clamat S. Teresia. *Non prætermittatur operatio Intellectûs, donec illam DEUS suspendat, aliàs manebimus stupidi, & non faciemus nec hoc, nec illud.*

*illud.* Hoc est, nec Contemplabimur, nec meditabimur. Sic illa loquitur vitæ suæ capite duodecimo.

Annon igitur apparet manifestè, quò spectent præcepta ejusmodi generica? eò spectant, ut demonstretur obliquè, eum, qui Meditantes hac in vita vult imitari, perdere tempus; útque idcirco malit peragere orationem stupidè (quidquid contra clamet S. Teresia) quàm uti facultatibus, meditando.

Et ego hîc sanctè me obligo ad oppositum prorsus demonstrandum: non tamen ampliûs solâ authoritate Sanctorum, qui meditando ad sublimissimam perfectionem provecti sunt; id enim abunde jam præstitum est, etiam oppositа argumenta retundendo. Obligo igitur me, ad eandem veritatem demonstrandam ratione, cujus tanta est vis, quam intrisecam appellamus.

# Caput XIII.

## *Adstruitur, Meditatione obtineri posse bonum illud primarium, quod est constitutivum intrinsecum Contemplationis, etsi obtineri nequeat secundarium.*

### I.

INter omnes gemmas pretiosas non alia videtur propiùs referre Contemplationem, quàm Topazius. Unus iste omnium aliarum colores complectitur. *Omni colore resplendet.* Duo tamen necessaria sunt, ut hæc ejus supra cete- Hugo in Apoc. 21. S. Gregor.

l. 18. Mor. c. 27. ceteras gemmas excellentia resplendeat. Primum est, ut omni ex parte à sole penetretur. *Cùm splendore solis tangitur, omnium gemmarum claritates superat.* Alterum ut in statu, quem à natura habet, relinquatur. Cùm politur, cùm lævigatur, cùm asperitas attritu corrigitur, verbo, quando quoquo modo arte perficitur, pro eo quòd splendor ejus augeatur, planè extinguitur, *si plus polis, obscuras: si naturæ relinquitur, clarior est.* Talis omnino Contemplatio est. Complectitur dotes, & perfectiones omnes, quæ in omnibus, tam inter se diversis, Orandi modis dispersæ inveniuntur. Ante omnia autem, vult undique esse plena DEO præsente, ut supremum venustatis suæ gradum conscendat. Dein nihil admittit affectationis, & quæsitæ in splendore conciliando diligentiæ, quam tamen hodie aliqui studiosè sectantur.

Loquendo nunc de hac Contemplatione, quæ vera est, & summum apicem consecuta, ego ita differo. Quodnam est bonum illud substantiale & præcipuum, quod illa affert Animæ? Vulnera amoris, deliquia, alienationes à sensibus, raptus externi? Non: hi enim effectus omnes, potiùs aliquid imperfectionis involvunt. Et ratio ejus rei est; Quia Anima principo erat similis conchæ, in quam fons perpetuus undas suas exonerabat; quæ quia vim illam aquarum, quæ in illam effundebatur, capere non poterat, foras illam in sensus & corporis Organa diffundi patiebatur. At paulatim progressu remporis multo capacior reddita est: haud aliter ac accideret Conchæ, quæ ad incrementum aquarum, quæ affunderentur, proportione suâ & ipsa sensim dilataretur: & idcirco tunc desinunt exundationes illæ, quæ in partes extimas ante derivabantur. Bonum igitur substantialius, quod tunc percipiur, illud est, quod

quod tam divino modo explicavit S. Teresia in Mansione ultima (quæ est, quando Anima tota reducta est ad ultimum suimet centrum) & consistit in adhæsione tam forti DEI ad Animam, & Animæ ad DEUM, ut Sancta illam declararet nomine Matrimonij Spiritualis. Neque enim est nodus, qui facilè ampliùs solvi possit, qualis est sponsalium: sed est nodus quodammodo insolubilis, qualis est Matrimonij. Non quidem quòd Anima tunc nequeat ampliùs mortali se noxa obstringere; nam hoc omnino fieri potest, & idcirco Anima tunc præquam aliàs cauta & solicita est (tanquam Navis onerata, quam ipsum suum pondus demergere adhuc in fundum potest) sed quia illa planè confidit, id porro non futurum; non quidem ex divina revelatione, nisi & hæc singulari DEI & distincto favore accedat, sed securitate quadam, quam anima experitur à DEO suo præsente, per auxilia fortissima, per adjutorium extraordinarium, & fidem illam reciprocam, quæ inter eos mutuò intercessit, quando in sacra functione matrimonij contracti voces illæ auditæ sunt, quas non satis explicaverit, qui ipse à DEO singulari favore non audierit: *Volo ut deinceps invicem amemus.* Tunc Anima sui ipsius penitus obliviscitur, ut de uno DEI honore cogitet: non opes, non æstimationem, non vitam ipsam pensi habet, & tam non terretur adversis, quæ occurrere possunt in procuranda Domini sui Gloria, ut illa potiùs expetat; alta tamen quadam pace; de reliquo enim tunc illa nihil vult aliud, quàm quod vult DEUS. Hinc quantum parte una ad cælum & Beatitudinem aspirat, tantum parte altera contenta est, si ejus possessio differatur: ejus enim gloria, ejus solatium, ejus corona hæc est unica, ut totam sese impendat ad placendum DEO, efficiátque ut omnes illum adorent, Mans. 7.

rent, illum ament, illi obediant: neque ex rebus externis, quæ contra naturalem ſuam propenſionem accidunt, plus ipſa mœroris ſentit, quàm ſi ad ipſam planè non pertinerent; tam illa ſuo in centro ſecura eſt, haud aliter ac Rex aliquis, qui probè nôrit, turbas & bella in Regno ſuo non deeſſe, in Regionibus tamen ſua à Regia valde remotis.

Hoc eſt bonum princeps ac præcipuum, quod obtingit Animæ, quando illa ſupremum jam Contemplationis apicem attigit. Ad hoc autem Bonum negare nemo poteſt, quin quis DEI adjutus gratiâ poſſit pertingere etiam meditando: quin imò credendum, quòd multi re ipſa pertingant, dummodo curent, ut nulla non die viva in animo permaneant axiomata fidei. His enim DEUS alligatam voluit plenam victoriam & triumphum, quem ipſe quotidie de mortalium animis reportat: *Hæc eſt Victoria, quæ vincit Mundum, fides noſtra.*

Joh. 3. v. 4.

## II.

HUic Contemplationis Bono, de quo jam diximus, quódque eſt princeps ac primarium, accedit etiam ſecundarium; quod eſt, Cognitio experimentalis divinæ præſentiæ, quam aſſequitur Anima ad talem ſtatum provecta. Maximè ad ejusmodi cognitionem accedunt, ut fieri amat, ſublimia lumina poſſeſſionis, quâ talem Animam ſibi vendicant tres divinæ Perſonæ, & favorum ſingularium, quos earum quælibet illi confert juxta ſua attributa ſpecialia. Hinc eſt, quòd tunc re vera admiranda ſit claritas, quâ Anima capit veritatem illius effati Chriſti Servatoris: *ſiquis diligit me ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus & manſionem apud eum faciemus.*

Joh. 14. v. 22.

Sic

Sic illa tunc intelligit & capit hanc veritatem, ut eam non tam credere, quàm palpare videatur. Hinc etiam est, quòd vel hujus ætatis Contemplativi, quando nobis volunt definire objectum sublimis illius Contemplationis, omnes uno ore dicant, quòd sit DEUS præsens non quomodocunque, sed DEUS experientiâ perceptus, perceptus gustu, gaudio possessus: quæ tamen omnia ultra præsentiam nihil addunt, nisi experientiam.

Licèt igitur demus, quòd experimentalis ista perceptio non concedatur illi, qui ultra Meditationem non progreditur, quid tamen hoc demit illi Bono, quod confert Contemplatio, éstque præcipuum? Præcipuum est, ille adventus Personarum Divinarum, cum illa, quam Christus dixit, mansione: hæc autem non est à Christo tributa ut præmium Contemplationis, sed illius amoris, qui inducit ad voluntatem Divinam & celeriter & ad amussim explendam. Esset autem error palpabilis, asserere, hanc Caritatem æquali cum perfectione obtineri non posse ab eo, qui meditatur. Si tamen ille studiosè curet animo quàm altissimè insculpere veritates Evangelicas, quibus tanta vis inest.

Aliud tamen est, in id incumbere, ut probè percipiantur in Oratione Axiomata Fidei; aliud ponere se in Fide, & in illa permanere; subinde autem expectare, donec cælo descendat DEUS ad illa nobis manifestanda; ipsemet in nobis efficiat solus per se, id quod par esset facere nos, ut ad eum enitamur, etsi semper adjuti alis divini ejus favoris.

III. Hac

III.

HAc de causa S. Teresia, quæ eo amore complexa erat Contemplationem, quo digna est, hoc est, ex intimis visceribus; valde tamen fuit solicita, ne suis in Monasteriis invalesceret opinio; sine ipsa, per solam Meditationem, non posse perveniri ad insignem perfectionem. Et idcirco locis pluribus, sed uno potissimùm, ita locuta est, ut omnis eatenus deceptus errorem suum dedoceri deberet. Crederem me facturum injuriam ejus verbis, si non cum fide illa enumerarem, etsi satis prolixa.

Iter Perfect. c. 17. *Res est, ex qua pendent plurima, scire, quòd* DEUS *non omnes unâ eadémque viâ ducat. Et forsan ille, qui videtur stare gradu inferiore, in* DEI *oculis multo sublimiore consistit. Atque adeò non quia omnes, quæ hoc in Monasterio sunt deditæ sunt Orationi, omnes debent esse Contemplativæ. Hoc non potest fieri. Et magno solatio erit illi, quæ talis non est, probè capere hanc veritatem. Hoc est donum, quod confert* DEUS. *Et quia ad salutem necessarium non est, neque ipse à nobis hoc exigit, nulla omnino sit, quæ illud etiam petere ausit: neque idcirco ipsa desinet esse valde perfecta; si id, quod dictum est, fecerit: imò fieri potest, ut multò plus habeat meritorum; cùm ejus conatus majore sit cum labore conjunctus. Ducit illam* DEUS *ut fortem, & servat, ut donet simul totum, quod ipsi hîc negat. Non igitur cadat animis, neque prætermittat Orationem, memor, quòd* DEUS *nonnunquam lentè satis adveniat &c. Ego per annos ampliùs quatuordecim ne meditari quidem poteram, nisi me legendo adjuvarem.*

Hinc etiam cùm sat magno post intervallo laudâsset illos libros, in quibus miro ordine, ut ipsa loquitur, distributa sunt puncta meditandi per hebdomadam, de vita Christi, de

sti, de noviſſimis, de noſtro nihilo, & alia ejusce generis argumenta; ſic ſubjungit.

*Qui ſolitus fuerit tenere hanc orandi rationem, non eſt,* c. 19. Iter. *quod moneam; cùm eum ſemitâ tam ſecurâ DEUS deducturus* Perfect. *ſit ad portum lucis, & initiis tam bonis reſponſurus ſit finis bonus. Et quicunque hàc incedere poſſunt, ſecurè ambulant; ligato enim Intellectu diſcurſivo proceditur cum quiete. Id tamen, de quo ego agere cuperem, eſt, afferre aliquod remedium pro iis, qui hâc viâ incedere non poſſent.* Iſta in hoc genere fuerunt ſenſa S. Tereſiæ toto diverſa cælo à ſenſis eorum, qui hac ætate novis Mundum præceptis volunt informare.

Nequis autem forſan exiſtimaret, ita illam ſenſiſſe hac in terra; mutâſſe autem ſententiam, ubi in patriam appulſa eſt, non ab re erit hîc obiter meminiſſe magnæ illius ſolicitudinis, quam præ ſe tulit, cùm aſpectabilis facta uni Monito. 5. alicui carorum ſuarum filiarum, efficiendi ut iſtæ omni ſuo ſtudio avellerentur ab affectu ac deſiderio raptuum, revelationum, viſionum, & aliorum ejus generis donorum, quantumcunque ſublimium; non ideo duntaxat, quia frequenter his deceptiones admixtæ ſunt, ſed quia illa non ſunt, quæ Animas locupletes transmittunt in cælum; id quod faciunt virtutes. Inde etiam rogata ab una aliqua, ut proponeret librum, qui cum fructu legi poſſet, non vitam ſuam in medium attulit, quam potiùs optabat non nimis frequenter teri à ſuis filiabus; ſed librum Doctrinæ Chriſtianæ, & voce, quæ horrore concutere poſſet, *hic*, ajebat, *eſt liber, quem deſidero diu noctúque legi à meis Filiabus, qui eſt lex DEI.*

Poſſumus igitur tandem inducere in animum, quòd meditando in libro tam pulchro perventuri ſimus ad perfectionem. Noverat enimvero, noverat vir ille ſecun-

dùm cor DEI, quid diceret, cùm exclamavit: *Beatus vir, qui in lege Domini meditatur die ac nocte.* Non me latet: quòd Sanctus Rex hisce verbis non intenderit homines impellere potiùs ad meditandum, quàm ad contemplandum: neque enim contemplantis minùs, quàm meditantis oculis perpetuò obversari potest lex divina. Dico tamen his ex verbis manifestè patere, Meditationem, etiam ut à Contemplatione sejuncta est, posse efficere hominem perfectum: cùm etiam Beatum efficere possit.

## IV.

NEmo igitur sit, qui desinat revereri sublimia Contemplationis dona: sed vicissim etiam neminem invenire sit, qui iis destitutum superbè despiciat; id enim pugnat cum omni demissionis Christianæ regula. Non eum rerum ordinem DEUS esse voluit, ut mentis Ecstases communes essent omnibus in hac vita servis suis; voluit tamen, ut nulli non communis esset Ecstasis vitæ, si modò voluerit. Hæc est præclara illa Ecstasis, quâ absorptus erat Apostolus, cùm scripsit. *Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus.* Et hæc consistit tantùm, ut S. Franciscus Salesius observavit, in adimplenda Lege DEI; non tamen qualicunque, sed heroica cum perfectione. Hæc est illa Ecstasis, quæ facit, ut Anima amore DEI non tantùm magnâ suâ voluntate contemnat omnem turpem voluptatem, omne lucrum fallax, omnem gloriam falsam, & quid quid, quamlibet parum, pugnat cum voluntate DEI: sed ut præterea animo generoso amplectatur omnes cruciatus, gaudeat in egestate, exultet in persecutionibus, & palàm ostendat, non se jam porro sibi, sed DEO soli vivere: quin

Gal. 2. v. 19.

quin imò, quòd ratione vivendi ecstatica vivat in DEO instar guttulæ, quæ, mersa in vasto mari non ampliùs ipsa est, usque adeò plenè ibi latitat. *Quæ sursum sunt, quærite. Quæ sursum sunt sapite; mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in DEO.* Col. 1.

Ad hanc igitur Ecstasim, si credimus S. Francisco Salesio, paulò ante laudato, voluit DEUS ut omnes pertingere possent: & idcirco adjungit; non paucos esse Sanctos, qui re ipsa eò pertigerint; *quin unquam aliam in Oratione gratiam acceperint, aut favorem, præter solam devotionem.* Idque hac de causa; quia, quod nos in tales rapit Ecstases, non est Contemplatio, sed amor erga Christum. *Charitas Christi urget nos, ut qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est.* Dicere autem hunc amorem non à Meditantibus, sed Contemplantibus tantùm obtineri posse, error esset nimis quàm manifestus. Causa devotionis intrinseca ex parte nostra oportet, ut sit Meditatio seu Contemplatio. Unde ad hanc diem non aliud certius bonæ Orationis signum habitum est, quàm Bonitas operum. Atque adeò, ubi reperta fuit Ecstasis vitæ, solita est Oratio haberi bona, etsi non adesset Ecstasis mentis. E diverso, ubi fuit Ecstasis mentis, quin tamen juncta esset Ecstasis vitæ, Oratio bona non est habita. *Ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Matth. 7. v. 2.

(o)

# Caput XIV.

*Ostenditur quàm immeritò traducantur Colloquia in Meditatione, quasi id in iis spectetur ridiculè, ut ipse DEUS rationibus convincatur.*

## I.

ÆQuitas postulat, ut in causis omnibus, quas sine animi perturbatione discutere propositum est, ea audiantur, quæ etiam pars adversa ad se purgandam afferre potest. Ego igitur, cùm attentè considerarem, quæ in medium allata sunt hactenus, facere non potui, quin vehemens mihi oboriretur suspicio, eum, qui vilipendere non veretur Meditationem, tanquam medium ineptum ad consequendam perfectionem, nunquam cum illa ita familiariter fuisse versatum, ut illam de facie noverit. Dum autem in causa progressus sum longiùs, desij suspicari: id enim mihi redditum est manifestum. Inveni enim eos, qui eam accusare audent, accusare quidem Meditationem, sed non eam, quæ bona est, non eam quæ præclara, quæque salutaris est. Accusant aliquam, quam ipsi sibi fingunt pro arbitrio. Supponunt enim Meditantes non aliud agere, quàm ut ingeniosum quid & argutum excogitent, sicut faciunt, qui scribunt: ut sectentur curiosa; ut suas intentiones sequantur; ut in Oratione se detineant, perinde prorsus atque in aliqua antiquorum Philosophorum Schola; qui, ut egregiè observavit S. Thomas, ipsi quoque in perpendenda DEI magnitudine & perfectionibus, sed non nisi amore sui ad eas perveſtigandas impulsi occupabantur. Et cui unquam tale quid in mentem venit? Qui meditatur, meminit eorum, quæ scripsit S. Petrus de Alcan-

In 3. dist. 35. a. 2.

Alcantara eo loco, quo de Meditatione ita differit. *Finis totius hujus negotij spiritualis magis consistit in affectibus voluntatis, quàm in speculationibus intellectûs. Unde quando Anima Christiana percipit se accendi in amore DEI, oportet ut omittat omnem aliam ratiocinationem, quantumcunque sublimis ipsi videretur; non quòd hæ in se malæ sint, sed quia illo tempore impedirent bonum majus. Post laborem autem Meditationis, æquum est, aliquid quietis concedi Intellectui, sinendo illum respirare nonnihil in brachiis Contemplationis &c. Quando autem Intellectus Voluntatem porro non excitabit, sed potiùs interquiescet; tunc isto beneficio* (Intellectûs) *utendum est, & denuo revertendum ad laborem; postquam tamen primum bolum concoximus, & digessimus. Cùm in hoc nos oporteat esse similes Olitori, qui horti sui areolas irrigat. Is enim primò unum tantùm aquæ ductum aperit; subinde alium, aliúmque, donec denique totus hortus irrigetur.* Tract. de Orat. mon. 8.

Proinde, qui meditatur, horum probè meminit, & in praxin illa redigit; cùm eadem inculcârit etiam S. Ignatius in doctis suis ad spiritualia Exercitia Additionibus. Et id circo in Meditationibus plus indulget affectibus, bonis propositis, petitionibus, & colloquiis cum DEO suo, quàm soli Intellectûs ratiocinationi. Addit. 4.

Sed, quod fidem superat; etiam hæc non sufficiunt ad purgandos eos, qui Meditationi dant operam, ab accusationibus, quibus illos parùm benevoli impetunt. Sicut enim isti supponunt, quòd tota ipsorum ratiocinatio aliud non sit, quàm animi causâ suscepta venatio; sic indulgere affectibus, maximè in colloquiis, existimatur esse artificium Eloquentiæ affectatæ, perinde ac si affectus isti nunquam ex corde, sed tantùm ex cerebro prodeant.

Possum videri, velle calumniis calumnias rependere,

si non ipsa hîc recito calumniantium verba. Recitabo igitur sola unius alicujus istorum, quem (si hîc verum animi mei sensum manifestare mihi concessum est) summè doleo tantopere mentem propriam fatigâsse perpetuis sophismatis, fructu alio nullo, quàm ut similibus aliorum etiam mentes rotaret. Postquam igitur hîc magno animi ardore dixit, *Quòd DEUS aversetur eos, qui semper volunt esse parvi damnabili quâdam ignaviâ se erigendi; quòd humi defodiant talentum fidei, oppressum abysso quadam rationum, considerationum aut cogitationum argutarum; quódque cùm sint conditi, ut sint Imagines DEI, relinquant DEUM & retineant Imagines.* Tandem in fine sic versutè concludit. *Non obsisto iis, qui meditantur cum demissione, sed iis, qui nunquam se submittere volunt, præterquam in Meditatione; & qui pro eo quòd candidè dicant: DEUS meus, miserere mei: semper rationes illi proponere satagunt, cur misereri eorum debeat, semper motiva; perinde ac si propositum ipsis esset, convincere ipsum, & quasi nescirent aliter rogare DEUM, nisi multis ipsum rogando alloquantur.*

Nunc autem, súnte hæc verba hominis, qui verè candidéque docere velit, quid sit meditari? an verò ejus, qui istud suo sibi fingat arbitrio, ut censurâ perstringat? omittamus injurias illis illatas, qui dicuntur meditando esse parvi, esse ignavi, esse servi inutiles, qui concessum sibi talentum, ipsius etiam Fidei, sepeliant. Nihil dicamus, quòd comparentur Idolorum cultoribus, qui DEUM pro Imaginibus relinquunt. Dissimulemus tanquam non dictum, quod de iis prædicatur, quasi nunquam se submittant, nisi tantùm meditando. Nonne aperta verborum pugna est (in quales nulla non die impingunt, qui animi pertur-

perturbatione abripi se sinunt) affirmare, quòd qui meditatur, id faciat studio demissionis omnium, quæ esse possint, rusticissimæ? & affirmare, eum qui meditatur, id facere studio vanitatis perversissimæ? Quæ enim superbia vel excogitari potest enormior hâc, velle rationum vi expugnare DEUM, qui super omnem rationem est?

Sed dissimulemus hæc omnia, quæ nihil referunt ad finem meum præcipuum: quis unquam præscribit, ut affectibus misceatur argumentatio? & quamquam misceretur, essétne is error adeò luculentus? Ecclesia nunquam aliquid rogat DEUM, quin adducat aliquam causam, consequendi id, quod petit. Volvatur tantùm Sacrificantium liber, & subinde mihi indicetur, an ullam facilè Collectam, quàm dicimus, invenire sit, in qua id prætermittat? An idcirco continuò affirmandum, Ecclesiam non tam rogare DEUM, quàm id agere, ut audacter eum convincat? Et quid tandem discriminis agnovit Apostolus inter *Orationes* & *obsecrationes*, præscribendo nunc has, nunc illas, prout esset opportunum? Orationum nomine, asserunt interpretes, præscripsisse illum Orationes simplices. Obsecrationum autem vocabulo intellexisse preces, quibus multi adjungantur tituli, quibus homo DEUM movere studeat. Si perperam agit, qui, dum misericordiam DEI implorat, congerit rationes varias ad illam exorandam, totus Psalmorum liber delendus erit, in quo unus David (qui, nisi fallor, siquis alius conjunctus DEO erat) non cumulum tantùm congessit, sed digessit ordine. Necesse erit damnare Moysen, qui harum vinculis tantùm non manus DEO ligare conatus est: damnare Josaphatum, damnare Jeremiam, damnare Danielem, damnare propè dixerim Prophetas,

Suar. tom. 2. de Rel. l. 2. n. 8. & 9. ex D. Thom. 2. 2 q. 83. art. 17. in c.

pheras omnes, qui Orationibus suis tam prolixis conati sunt prævalere Omnipotenti : tam multa fuerunt arma rationum diversi generis, humilium, quidem sed efficacium, quibus non veriti sunt Magnum illum Conditorem suum aggredi. Atque hæc ex sacris Literis. Extra has scire oportet Guilielmum Parisiensem compilâsse librum pulcherrimum, cui Titulum fecit *Rhetorica divina* ; in quo aliud propè agit nihil, quàm ut in unum colligat rationes proponendas in Oratione ad DEUM, ad Christum JESUM, ad Matrem Virginem, ad Sanctos Sanctásque, & totam Curiam cælestem, quàm numerosa illa est, ut inducantur ad nostri miserendum. Atque adeò, qui queritur, cùm misericordia à DEO flagitatur, rationes adhiberi, Guilielmo litem moveat necesse est. Facilè tamen causam suam Guilielmus aget, demonstrando, se in ejusmodi Rhetorica Magistros habuisse S. Bernardum, S. Anselmum, S. Augustinum, & alios ejus Ordinis Sanctos Doctores, qui illam suis in Meditationibus docuerunt modo omnium perfectissimo, qui est exemplorum.

Gers. de Monte Contemplat. c. 41.

Gers. de Medic. spirit. p. 2. c. 1. atc.

Nec aliter se expediet Joannes Gerson & ipse Parisiensis, pietate inclytus, si ipsi opponatur, quòd in secunda parte libelli, quem indigitavit, *Mendicitatem Spiritualem*, veri Pauperis personam induerit, sed facundi non minùs, quàm sit potens quicunque Orator. Imò quòd egerit Causidicum aut Curiæ Advocatum, dum progressus est ad scribendam longam appellationem, lectu dignissimam, in qua à Justitia DEI summâ eloquentiâ appellat ad tribunal Misericordiæ DEI. Talia igitur rationum momenta vel adducidebent in precibus & Oratione ad DEUM, vel non? si non, cur homines tales ac tanti normam præscribunt? si sunt

In appell. ad div. Miseric.

si sunt adducendæ; ut quid igitur invectivæ scribuntur contra eos, qui adducunt?

Observandum nihilominus, Christianos, qui rationes DEO in Oratione afferunt, non earum momentis, sed Divina Bonitate niti. Ethnici earum robore fulciebant causas suas; & idcirco jure ac meritò reprehensi sunt à Christo, cùm secum statuerent, earum respectu gratias sibi conferendas. *Putabant, quòd in multiloquio exaudirentur*: non dicit: *volebant*: sed: *Putabant*, qui est ille error, cujus isti etiam Meditantes insimulant. Sed planè insimulant, pro sua scilicet humanitate: neque enim scio, an calumniatores isti unquam tanto lumine præditi fuerint, ut aliorum animos penetrarent, & ex imo eorum cogitationes absconditas eruerent. Ecclesia cum tota illa acie credentium, qui rationes DEO adducunt, dum illi supplicant, Ethnicorum id more non faciunt. Fiduciam suam omnem, ut diximus, collocant in Bonitate DEI: rationibus tamen, quæ sine multo studio affectui eorum sese offerunt, prudenter utuntur & sanctè: iis enim excitant se ipsos ad orandum majore cum fervore, ob illorum actuum varietatem, qui nunc sunt Fidei, nunc pudoris, nunc doloris, nunc fiduciæ teneræ, qui cum ejusmodi motivis conjunguntur. Verùm iste ipse fervor sensibilis est id, quod tantopere aliquibus displicet, qui cùm juncto studio efficere laborent, ut sola hodie in Mundo superstit Fides, quin ullam vel alimentorum, vel auxiliorum curam habeant, quæ illam in abstinentia perpetua corroborent, nihil cogitant de non levi discrimine, in quod illa incurrit, complurium in animis torpescendi, quin & moriendi. Matth. 6. v. 17.

II.

FAteor nihilominus denique, me nondum assequi Idioma, quo video hoc in argumento, quod sumpsi tractandum, hodie nonnullos uti. Parte enim unâ audio suggeri, quòd ad aslequendum Contemplationis Mysticæ donum, opus sit virtute sublimi, atque adeò victoriâ sui perfectâ, avulsione, denudatione ab omni quod DEUS non est, annihilatione, & siqua sunt alia verba apta exprimere hominem in carne Angelum. Parte autem alterâ, audio dici, puram Meditationem non solùm non posse unquam conferre virtutem ejusmodi, sed quòd illa orandi genus sit solis incipientibus accommodatum; bonam quidem; quia malam appellare, esset uti vocibus, quas Ecclesia nimium quantum exosa est: sed abjectam, cruciabilem, trivialem, summè materialem: & verbo, ejusmodi ut quisquis illius viâ incedit, non solùm post quinquaginta annos non possit pertingere ad conjunctionem cum DEO, sed nè quidem passu uno propiùs ad eum accedere: quæ sunt voces non quidem tam audaces, non tamen minùs duræ. Quæro igitur, Quid tandem agendum illi, qui idoneus reddi velit ad beatam istam Contemplationem? aspirare ad illam Animarum est tam purgatarum, ut quando quis assecutus fuerit omnia, quæ ad eam supponuntur, nemo non absque illa ingredi possit rectà in cælum ad locum inter Seraphinos capiendum. Meditationi operam dare, horum sententiâ Monitorum, est oleum & tempus perdere. Quid igitur agendum? melius nimirum erit, omittere utrumque, & vivere in Fide. Hæc metuo ne sit sequela noxia illa quidem, sed rectà ex præmissis deducta; quam tandem vulgares Animæ hac ex doctrina colligant, tanquam illam, quæ

quæ sit sufficiens ad truncandos non uni pedes, qui ceteroquin ipse conaretur assurgere: non sufficit tamen ad donandas alas, præterquam fictitias.

# Pars III.

## Quâ continetur responsio ad propositum hoc in libello quæsitum, cum cautelis necessariò observandis, ne vera Contemplatio cum affectata confundatur.

## Caput I.

### *Solutio quæstionis cum cautelis necessariò observandis in certis casibus.*

I.

SEd tempus est denique, amicorum carissime, ut post longam ratiocinationis digressionem accedam ad finem, cujus gratiâ me illam feciſſe non difficulter cognosci potest. Factum id est, ut responderem quæsito à te proposito: An præstet, ut Animarum Directores ducant Animas viâ Meditationis; an viâ Contemplationis? Et ego tibi sine fuco dico: ad respondendum tuo quæsito, potuisse me, tanquam ad littus, recto cursu invehi, ut fieri amat, cùm plenis velis navis agitur. Sed si ego hac ratione festinâssem ad portum, non licuisset mihi observare tot sinus, tot arenarum cumulos, tot scopulos, tot pericula, quibus cognitis rectiùs prospicitur, ubi tandem portus sit.

Stabilitis itaque principiis, hactenus probatis, ego, pro mea hebetudine, ita pronuntiabo. Quando Animæ primò decernunt dare se totas DEO, si DEUS ipsemet in iis non operatur solus, trahendo eas ad Contemplationem sublimem (ut accidere nonnunquam potest, sed rarò) necesse est omnino, ut Directores Animarum ducant eas viâ puræ Meditationis, quæ est via Regia; id unum tamen advertant, non omnes Animas habiles esse ad eandem Meditandi formam tenendam: & idcirco Meditationum argumenta nunc pluribus, nunc paucioribus proponenda sunt, prout plus minúsve capaces sunt. Neque ad evitandum laborem Patrum amantium dicere oportet spiritualibus ejusmodi filiabus, satis ipsis esse debere, cùm accedunt ad Orationem, ut ibi se collocent in Fide. Non dixero tamen, ut illas unquam obligent aut ad ratiocinandum cum rigore: sed permittant, ut intellecta veritate, liberè indulgeant, quantum volent, affectibus devotis, quæ sunt brachia, quibus illam inventam stringere debent, & ad hoc non lentè procurrere.

S. Bermar. in Serm de Circum.

Præ omni autem re alia diligenter inculcent Animabus suæ curæ creditis, ut DEO se in oratione, meliore quo possint modo, commendent, crebrò inquam, magno cum affectu, fiduciâ & demissione; nec ambigant, quin hâc viâ locupletandæ sint veris virtutibus, citiùs etiam, quàm ipsæ putent.

Quodsi etiam permissâ Animabus bonis hac affectuum libertate, tamen illæ subjectæ sint ariditatibus, non absque gravi periculo tædij, quo paulatim Orationem Mentalem fastidiant, & omnino relinquant, non putent Directores satisfeciisse se officio, si ipsis dicant, ut ariditates vincant tolerantiâ: etsi enim hoc bonum est, non est tamen bonum omni-

omnibus, nec ubique. Id agant potiùs, ut eas jubeant aliquantum legere, & aliquantum meditari; mox redire ad legendum, & inde iterum ad meditandum. Consilium hoc non est risu explodendum: lego enim id S. Francisco Salesio multum fuisse probatum. Ac proinde cùm ille animos addidisset alicui Animæ ad constanter perseverandum in ariditate, quàm in Meditatione quotidiana experiri erat solita, pergit in quadam suarum Epistolarum ita discurrere; *Utere libro, cùm animus tuus fuerit fatigatus. Volo dicere, lege aliquantulum, & postea meditare: subinde iterum lege, & denno meditare, dum media vestra hora effluat. Sic fecit initio S. Mater Teresia, & dicit, bene sibi successisse negotium. Et quia confidenter loquimrr, adjungo, quòd ego quoque ita me gesserim, nec malè res cesserit. Sit tibi axiomatis instar, quòd gratia meditandi acquiri non possit ullo animi conatu, sed requirat suavem perseverantiam cum plena demissione animi.* Tam longè alia senserunt boni isti servi DEI, ab iis, qui cohorrescunt, cùm vel audiunt spiritum sensibili aliquo erigendum. An non præstat, efficere ut sensus juvet spiritum, quàm ut ille incipiat laborare tædio, plenúsque indignatione despondeat animum, & spiritui resistat?

P. 2. l. 5. ep. 47. ad Relig. Abbat.

Ubi subinde animas profeciisse patuerit, Directores earum variis indiciis agnoscent, an illas DEUS in conclave intimum admittere velit. Indicia autem ista erunt, cognoscere clarè, quòd illæ incipiant animum vehementer avellere à creaturis, ament solitudinem, complaceant sibi in silentio, quódque, ubi se ipsæ ad orandum componunt, major jam sit illa vis, quâ illas DEUS trahat ad se, quàm illa, quam ipsæ adhibent ad se DEO conjungendas. Tunc majori in libertate relinquendæ sunt, nunquam tamen ipsis

ipsis hæc quasi lex præscribatur ; necessarium esse relinquere Meditationem sic, ut ne audire quidem velint ejus nomen : hæc enim est doctrina prorsus & è diametro pugnans cum illa, quam peritissimi quique verbo, & exemplis tradiderunt. De Sancto Carolo scribit Jussanus, solitum illum plerumque meditari de Passione Christi, ut jam supra animadversum est, & quòd præterea annis singulis bis se in loca à strepitu remota recipere solitus sit, ubi ab omnibus Mundi tumultibus avulsus aliquot diebus spiritum divinâ Contemplatione pasceret.

II.

SOlùm hîc attento obtutu observandum, aliud esse Contemplationem acquisitam, ut diximus toties, aliud infusam. Acquisita solet esse fructus valde ordinarius Meditationis perseverantis, imò, si Theologis Fides, non multum differt à Meditatione, sed illam perficit ; est enim illa modus tam perfectus agnoscendi confestim aliquam personam, aliquam domum, agrum, aut villam, qualem habet, qui hæc jam crebrò admodum accuratè & minutim contemplatus est. Facit Anima, quod fecit Regina Saba, quæ initio magnâ suâ voluptate gloriâ Salomonis per partes consideravit. Postquam tamen hoc partium singularum examen absolvit, denique ejus ideam tam perfectam concepit, ut ad illam admirandam, amandam, séque ingenti lætitiâ perfundendam, alio opus non esset, quàm unâ solâ cogitatione, quâ illam sibi in memoriam revocaret. Et hæc fuit illa cogitatio, quæ, quod ad intellectum spectat, totam illam extra se rapuit, & stupore attonitam reddidit. 2. Reg. 9. *Non erat præstupore ultra in ea spiritus.*

Quando

Quando igitur multo & diligenti Meditationis usu deprehenditur Anima bene disposita ad modum sive cognoscendi, sive concipiendi res, qualis est quem hîc descripsimus, sinatur in eo pergere; hoc enim est contemplari. Sed ne iste quidem status permanens ac fixus est. Et idcirco nunquam sibi persuadeat Anima, quòd operatura sit contra proprium statum, siquando in necessitate aliqua speciali, aut inquisitionis, aut reformationis, aut alterius redire etiam debuerit ad Meditationem.

Poterit autem præcipuè ad eam redire, quando pro luce aliquâ solenni, & sacrâ certo Mysterio, idipsum Mysterium attentiùs & accuratiùs voluerit perpendere. Siquidem, etsi qui naribus admovet aquam illam suavissimam, quam Angelicam dicunt, fruatur in uno solo odore eminenter omni odore thymi, rosarum, roris matini, liliorum, floris malorum aureorum, ex quibus ipsa composita est; non tamen idcirco qui nunc hunc, nunc illum ex his floribus seorsim ad nares admovet, non sentit, quem exhalat odorem ratione quadam propria & speciali. Idem fit in re nostra.

In Contemplationem igitur acquisitam plures introduci, & ad eam admitti possunt, cùm advertitur augmentum luminis interni, demissionis, obedientiæ, abnegationis, & præsertim amoris DEI, jam per meditationem acquisitum. Contemplatio enim præcipuè consistit in facilitate, nata ex habitu bono, quam spiritus experitur, conjungendi se DEO, quin multis & longis considerationibus opus habeat, quæ ad hoc illum juvent.

III. Non

III.

NOn ita se res habet in Infusa. In hanc nemo cujusquam Directoris operâ ducendus est: cùm ad solum Regem spectet ducere Sponsam, in laudatas illas cellas, quæ dicuntur vinorum electorum. Cant. 1. *Introduxit me Rex in cellaria sua.* Promoveri tantùm & adjuvari poterunt illi agendi modi, quibus DEUS Animam ad se trahit: hoc ipsum tamen magnâ agendum cautione, & valdè circumspectè, cùm non leve sit periculum, longiùs illam provehendi, quàm per vocationem liceat. Si sponsa, absque eo, quòd eam Rex manu prehensam ducat, ipsa se ultro ingesserit, væ miseræ! Punietur à Rege, ut nimium præsidens. Et magìs etiam quàm ipsa punietur, qui ipsam impellit, urget, instat. *Non omnibus adolescentulis uno in loco frui datur secretâ Sponsi præsentiâ* (ita S. Bernardus de hoc negotio disseruit.) *sed ut cuique paratum est à Patre ipsius. Non enim nos eum eligimus, sed ipse elegit nos, & posuit nos, & ubi ab eo quisque positus est, ibi est.* Ut quid igitur nos ipsi conemur intrare illuc, ubi Dominus non tantùm aperit januam, ut fieri assolet in hortis apertis; sed ipse introducit, ut fit in loca intima? Hinc celeberrimi quique Duces Animarum, de quibus aliqua extet memoria, nullâ non ætate hoc in genere fuerunt cautissimi, cùm probè nôssent, quòd cùm DEUS Animam aliquam seriò vult, non ideo omittat illam evehere ad gradus altissimos, Visionum, Revelationum, Raptuum, Allocutionum mirabilium, quia ipsa infimâ statione contenta est. Imò tunc illam magìs, quàm aliàs unquam evehit.

Nec vim ullam habet argutia, quâ nonnemo hoc in negotio utitur. Contemplatio acquisita est dispositio proxima

xima ad infusam. Potest autem procurari acquisita. Igitur procurari, aut, ut ille loquitur, quasi jure exigi poterit etiam Infusa; permittendo tamen DEO & tempus & modum, quibus Animam velit elevare.

Nego siquidem consequentiam. Humilitas in Ecclesia est dispositio proxima ad consequendam summam gloriam. Ergo cum laude id agi & spectari poterit, ut quis glorificetur. Obedientia in Claustris Religiosorum est dispositio proxima ad obtinendas in iis solitas præfecturas. Ergo cum virtute poterit quis curare, ut has ad præfecturas adhibeatur. Sanctitas perfecta utrolibet in sexu est dispositio proxima ad patranda Miracula. Ergo procurari sanctè poterit virtus hæc prodigia patrandi. Omnes istæ sequelæ falsissimæ sunt: & quâ id causâ? nimirum omnes istæ, de quibus dictum, dispositiones ejus tantùm generis sunt, quæ meriti congrui dicuntur. Quis autem nescit, non semper, quoties cum laude procurari potest ejusmodi meritum, pari etiam cum laude procurari posse præmium, quod illi respondeat? aliter si esset, posset quis cum laude procurare omnes dignitates, omnes opes, omnes hæreditates, omnes prærogativas, quæ bene meritis rectè tribuuntur. Aliter tamen se res habet. Multo plus laudis ille meretur, qui hæc procurare negligit. Contemplatio Infusa earum è gratiarum numero est quæ gratis datæ vocantur. Unde verum non est, quòd ab ullo unquam procurari possit (nisi hæc vox *procurare* sumatur sensu minùs proprio, ut significat actionem, quæ qualemcunque cum re proportionem & convenientiam habeat) & multo minùs velut jure exigi. Si autem ita res habet, quomodo igitur bonus Animarum Rector, qualem se profitetur citatus Magister, dicere Animabus potest, utut Sanctis, quòd habitâ jam

Contemplatione acquisita tutò progredi possint ad exigendam etiam Infusam? *Nunquid ad præceptum tuum elevabitur Aquila, aut in arduis ponet nidum suum?* Job. 19. v. 21.

Non ita Animas suæ curæ creditas allocuta est Sancta illa, quæ Matris titulum tam præclarè merita est. Ubi enim sermo illi fuit de primis istius Orationis infusæ principiis, summo studio filias suas admonuit, ne, si illam cuperent, ullo modo exigerent. *Desiderant aliquæ nôsse*, hic illa scripsit, *quâ ratione obtinenda sit ista gratia? Edicam vobis id, quod audivi: relinquendo curam DEO, quando placeat suæ majestati eam conferre, quia sic vult, & non ob aliud, Postquam factum fuerit id, quod fit in mansionibus præteritis, alio non est opus, quàm demissione. Hac vinci se sinit Dominus, ut nobis concedat, quantum ab eo desideramus. Primum autem, ex quo cognoscere potestis, an sitis præditæ hac demissione, est, cogitare vos non esse dignas istis gratiis, & istis suavitatibus Domini, & quòd non oporteat eas habere, quamdiu vivitis. Dicetis mihi, quomodo ergo obtinentur, si eas non procuraverimus? ad hoc Respondeo, modum alium meliorem non esse, eo, quem dixi; non procurare illas.* Manſ. 4. c. 2. Conferantur hæc documenta cum illis, quæ dant nobis alij; & subinde observetur, an quidquam inter se similitudinis habeant, aut in vultu, aut in agendi ratione. Verùm an non affirmant Sancti, Contemplationem, qualiscunque illa sit, multis admodum communem esse? Ita sanè: quin ego repono; affirmari ab ipsis, quòd sit communis omnibus. Ita existimavit S. Gregorius. Et idcirco cùm secum tacitus observaret tam multas illas fenestras obliquas, aut sicut loquuntur Septuaginta, sagittarias, quæ omni ex parte illustrabant templum, in hæc verba scripsit. *Notandum, quòd intra Portam templi undique per circuitum fenestræ obliquæ* In Ezech. l. 1. hom. 17.

*liquæ esse memorantur. Non enim Contemplationis gratia summis datur, & minimis non datur. Sed sæpe hanc summi, sæpe infimi, sæpius remoti, aliquando eam Conjugati percipiunt. Si ergo nullum est officium fidelium, à quo possit Contemplationis gratia excludi, quisquis cor intus habet, illustrari etiam lumine Contemplationis potest. Quia intra Portam undique per circuitum feneſtræ obliquæ constructæ sunt, ut nemo ex hac gratia quasi de singularitate glorietur.* Sed attentione hîc opus est. Aliud est, quòd gratia Contemplationis, etiam Infusa, communis sit omnibus, aliud quòd à Directoribus Animarum possit fieri communis omnibus. Possunt quidem id studiosè agere Directores isti, ut omnes habeant dispositiones ad hanc gratiam, de quibus ante diximus, dum eos inducunt ad diligenter meditandum, ad se abjiciendum, ad obediendum, ad vincendum. Nunquam tamen id intendi potest, ut omnes illam habeant: hæc enim esset prætensio nimium quantum exorbitans. Hinc dicit, S. Gregorius. *Quisquis cor intus habet, illustrari, etiam lumine Contemplationis potest*, non dixit: *illustrabitur*; Sed illustrari potest. Et hoc quis negare possit? Sed aliud est feneſtras habere apertas, aliud habere illud lumen, non solitum tantùm, sed exquisitum, sed splendidum, quin etiam supernaturale, quòd ingreditur per feneſtras. Hoc pendet à DEO, qui solet illud dare nunc majus, nunc minus prout ipsi placet, non volendo in hoc ullis legibus adstringi. Et idcirco, curetur tantùm sedulò, ut Animæ habeant feneſtras apertas: nunquam tamen permittatur, ut etiam lumen exigant; hic enim verus modus est efficiendi, ne illud habeant. Sic eodem loco indicavit S. Gregorius. *Quisquis jam lumini Contemplationis intendit, curare magnopere debet, ut mentem in humili-* Ibid.

*tate custodiat.* Inde est, quòd fenestræ, de quibus dictum, non apertæ tantùm tenendæ sint, sed etiam custoditæ: apertæ, ut lumen ingredi dignetur, si vult: custoditæ, ne ingrediatur superbia. *Et patent itaque fenestræ, & munitæ sunt: quia & aperta est in mentibus eorum gratia, quâ replentur: & tamen ad se Adversarium ingredi ad superbiam, non permittunt.* Quomodo autem non ingreditur ad illas Animas superbia, quæ, quoties se ad orandum componunt, toties istud lumen prætendunt, quod est tam insolitum?

## IV.

ET hic error est maximus. Si enim demus, posse prætendi & exigi Contemplationem etiam infusam, consequens inde erit, quòd nullo non anni tempore prætendi possit, quàm longus ille est, prætendi omni mense, omni tempore matutino. O gratias nec visas unquam, nec auditas, nec ullo seculo possibiles judicatas! Quomodo igitur erit, qui hortari hodie audeat tam multas animas, ut loco meditationis semper se impendant Orationi Quietis? S. Bernardus, qui investigatam hanc orationem invenit in conclavi intimo sponsi, tanto ejus desiderio, tanto amore exarsit, ut extra se raperetur magnitudine solatij, quod hausit ex ea conspecta: & idcirco clamavit, *O si durâsses! Iterum, iterum! O verè quietis locus &c.* Dein autem ad suos versus Monachos, quid subjunxit? subjunxit; quòd si eorum cuiquam contingeret intrare vel horulæ spatio ad experiendum in secessu tali bonum ejus generis, meritò ille gloriari posset. *In hoc arcanum & in hoc Sanctuarium DEI siquem fortè vestrûm aliqua hora hic capi, & sic abscondi contigerit, ut minimè eum avocet, aut perturbet, vel sensus egens,*

Serm. 21. in Cant.

*egens, vel cura pungens, vel culpa mordens, vel ea certè, quæ difficiliùs amoventur, irruentia imaginum corporearum phantasmata: proterit quidem hic, cùm ad nos redierit, gloriari, & dicere: Introduxit me Rex in cubiculum suum.* Est autem hæc omnium istorum causa; quia hoc est cubiculum illud intimum, in quo se DEUS non exhibet ampliùs ullatenus iratum, sed positâ omni turbatione exhibet se erga nos misericordem, benignum, totum amabilem, totum amantem, & idcirco nos penitus tranquillos reddit illâ tranquillitate, quam vultu præfert, quando nobis vult exhibere singulare aliquod pignus sinceritatis. *Hîc verè quiescitur*, & cur, quia, ut ait Sanctus: *Tranquillus DEUS tranquillat omnia, & quietum aspicere, quiescere est.* Et hæc Oratio quietis, quæ in ipsa adeò Clara valle tam rara fuit, illa est, quam sibi hodie promittere à DEO possunt, tot Animæ ad suum arbitrium in medio seculi tumultu! O præsumptionem! O elationem! O audaciam! Ita, ut si illa daretur, his omnino verbis accusare eam necesse esset: neque enim unquam vero simile esse potest, quòd DEUS nullo non die tranquillet tam multas Animas, eo modo, quo in Quietis Oratione illas tranquillat. Quomodo fieri potest, ut non pleræque Animæ, etsi piæ, fragiles tamen, cogantur sæpe vel ingratiis suis dicere cum Jobo: *Considerans eum timore solicitor.* Et si hoc dicere debent, quæ earum in ejusmodi statu quies esse potest? Fieri nunquam potest, ut voluntas omni suo imperio perveniat ad tranquillandas reliquas duas facultates, quibus in omni sua operatione utitur, Phantasiam dico & Intellectum, si priùs ipsa sufficienter quieta non est. Quomodo autem quieta erit, quæ trepidat? An fortassis conjungi unquam inter se poterunt hæc Job. 12. v. 14.

duo Orationis tam pugnantia inter se geneta, Oratio quietis, & Oratio Trepidationis?

## II.

PRogrediamur adhuc longiùs: & demus, quòd tam multæ Animæ, multò magis fortunatæ, quàm Alcyones, obtinere quotidie possint Orationem tam beatam, quam non datur experiri nisi mari tranquillo; quæ tandem ratio suadere potest, ut Directores hoc nihilominus documentum ipsis tradant, ut inde illam incipiant, in quod desinere debet? In Oratione Quietis, quando illa pertingit ad apicem sui status, Facultates omnes manent fixæ & stabiles: Voluntas manet fixa, quia non habet ampliùs quod desideret; fixa phantasia, fixus intellectus; quia & ipsæ modo suo concurrunt ad plenè gaudendum bono præsenti. Quid ergo hinc colligitur? Ergo hinc omnino inchoëtur Oratio; à figendis Potentiis. Hîc enimvero vocum ambiguitate apertè luditur. Etsi enim omnes aliæ in medium allatæ rationes vim omnem amitterent, quis non tandem agnoscit manifestè, hoc idem esse, ac carceres velle mutare in metam? Non video, quâ alia comparatione meliùs rem ob oculos ponere possim; unde repeto; hoc est carceres mutare in metam: seu initium cursus cum fine confundere. Ubi ad metam perventum est, Equus, qui decurrit, quiescit, gaudet, & exultat quodammodo, nec se capit ob naturalem illum sensum, quem habet, de bravio obtento. Quare, qui illum regit, dare operam debet, ut initio cursus ita sit constitutus? Cui hoc risum non excutiat? sed, prô dolor! non ita se habet res nostra. Res est, necesse est dicere, res est, si animum advertamus, mero planctu digna,

gna. Quâ tandem ratione is, cujus in pectore vel scintilla adhuc sinceri Zeli micat, non potest non solvi in lacrymas, etiam amaras, dum videt tot Animas ejusmodi documentis illectas, omittere cogitationes de suis defectibus & miseriis, de Christi cruciatibus & abjectione, de ejus obedientia, de tot profundissimis ejusdem doctrinis: & cur? ad coercendam cohibendámque quantum uspiam potest omnem imaginem, omnem cogitationem, omnem affectum, qui in ipsis excitetur, quamlibet utilem, & sic pertingere ad quietem. Non ita sit: non ita æquum est fieri. Equus ad metam quiescat, non ad carceres: ad carceres currat: Quies enim, quâ ad metam frui licet, vera quies est: Quies initio cursûs, nullo modo Quies est, languor est, tepiditas est, socordia est vel calcaribus castiganda; non est, ut hodie aliquibus eam appellare placet, negligentia mystica. Quid idcirco S. Pontifex Gregorius pronuntiavit? pronuntiavit, quòd initio Orationis animus huc illuc vertere se debeat, ut in fine quiescere liceat. *Sic quippe in Contemplationem nostram, multa cogitationibus circum eundo, proficimus, sicut exempla bonorum sæpe quærimus, ut in moribus proficiamus.* Anima Contemplans, meâ quidem opinione, Apem imitari debet. Debet illa de consideratione transvolare ad considerationem, à cognitione ad cognitionem, aut saltem ab affectu ad affectum, tanquam de flore ad florem, si ex primo flore pascere se abunde potest, nihil quærat ampliùs. Recipiat se in secessum suum intimum, si ita DEUS decrevit, & in eo ut suo apis in favo, aut ceræ cellula, melle collecto gaudeat ac fruatur. Ubi tamen illæ necdum unicam guttulam collegerint, an non insolens est, damnare potiùs semper miseras Apes ad hærendum in alveari sine ullo melle, quàm ad hoc solicitè quæren-

Super Ezech. l. 1. ho. 17.

quærendum & suaviter libandum de flore in florem volitare? Cur autem hoc? quia nullo modo convenit, ex quo ad Contemplandum transitum est, denuò meditari. Qui meditatur, transit de flore in florem: qui Contemplatur, eodem ipso semper in flore sedet. Sed si hoc ipso in flore misella Apis non invenit, unde se pascat, quid illi agendum? consumatur potiùs tædio & inediâ, quàm ut florem mutet.

Infelices nos! an non millies ex Sapiente intellexi-
mus, meliorem esse sine comparatione finem Orationis,
Eccl. 7. quàm principium? *Melior est finis Orationis, quàm principium.* Et cur hoc, nisi quia fieri plerumque non potest, ut initio mox Orationis sentiatur ille fervor, illud solatium, illud gaudium, illa quies, quæ crebrò in fine datur experiri. Cur igitur id petitur, ut ab eo statu, ad quem in Orationis fine pervenitur, ducatur initium? hoc sanè est omnem rerum ordinem pervertere. Eâque causâ mihi persuadeo, Directores Animarum hac sui muneris lege teneri, ne unquam permittant, ut in animis error tam perniciosus radices figat; velle enim hac studiosâ cessationis ab actibus methodo evehere animas, ad quemcunque Contemplationis seu acquisitæ, seu Infusæ gradum, est velle bufoni affigere alas ut volet. Non ego ita loquor, ita loquitur S. Teresia:

In vita, c. 22. *Quando placet DEO, ô quàm attollitur Anima sine ejusmodi adminiculis! utut illa facultates suas ad agendum applicet, abripit illam non secus, ac Gigas fortissimus tolleret stipulam; nec obniti vi ulla possumus. Credere autem quòd spiritus, cùm vult, facere hoc ex se possit, aliud non est, quàm expectare, ut bufo aliquis sua virtute volet: imò adhuc difficiliùs mihi videtur, ut spiritus se noster attollat, cùm eum*

DEUS

*DEUS ad se non trahit. Nam præter mille impedimenta, quæ illum morantur, terrâ plenus est, & sic parùm illum juvat, velle volare: etsi enim hoc illi magìs à natura competat, quàm bufoni, nihilominus ille culpâ suâ tam profundè luto immersus hæret, ut naturalem illam suam aptitudinem amittat.*

His principiis tam seriis & solidis, nitendum est Ducibus Animarum; cùm securissimi esse possint, nihil se ullianimæ damni allaturos: ad hunc enim finem Sancta cum Directore suo communicare hæc sensa voluit, ut ipsa scribit, ut illi lucis aliquid afferrent ad dirigendam quamcunque Animam, quanto magìs devotam, tanto minùs egentem ejusmodi adminiculis, quæ illam è conditione vulgari attollant.

Quòd si quis in Contrarium citet S. Thomam eo loco, quo scribit, majoris esse meriti, applicare Animas ad Contemplationem quàm Actionem: *Magìs acceptum est DEO, quòd aliquis Animam suam & aliorum, applicet Contemplationi, quàm actioni.* 2.2.q.182. art.2.ad 3. Novimus equidem, quod qui locum hunc affert ad probandum, quòd Animæ potiùs inducendæ sint ad Contemplandum, quàm Meditandum, afferat quidem illum ad propositum, sed ineptè, & non ad rem. Nec enim hoc loco S. Doctor confert Contemplationem cum Meditatione, sed Contemplationem cum officio Concionandi, iter faciendi, & aliis circa proximum functionibus se occupandi. Et hoc in sensu dicit, naturâ quidem suâ plus mereri Contemplationem, quàm Actionem. Contemplatio enim propiùs refertur ad nos conjungendos DEO, quàm Actio: etsi deinde addat ex accidenti actionem non rarò gratiorem esse DEO, & majoris meriti feracem, quàm sit Contemplatio: id quod tunc verum est, quando ex majori erga DEUM amore, Apostoli ex-

 emplo,

emplo, contenti sumus relinquere per intervalla DEUM, non alio fine, quàm ut ejus amore laboremus. Sed quid hoc totum ad rem facit, & ad probandum, quòd Animæ introduci possint ad quamcunque Contemplationem, non solùm absque metu, sed etiam cum merito, dum in ipsa vita Contemplativa plurimæ sunt illæ, quibus DEUS negat gratiam Contemplandi? Si allata S. Thomæ verba accipienda sunt ita crudè, ut jacent, absque eo, quòd ostendatur, quem in finem, quâ cautione, quibus in adjunctis prolata sint, credet vulgus, majoris meriti rem esse, applicare rusticum aliquem ad contemplandum, quàm fodiendum: *Magis* enim *acceptum est DEO quòd aliquis animam suam & aliorum, applicet Contemplationi, quàm actioni.* Quæ autem ista est pietas, si Doctori Intellectus Angelici affingimus Doctrinam, quæ humanum etiam tantopere dedeceret?

# Caput II.

## *Respondetur ad quæsitum cum cautionibus necessariò servandis, cùm res sunt dubiæ.*

### I.

IN rebus certis, nullus consultationi locus est, est in dubiis. Certa res est, in principiis vitæ spiritualis, nisi DEUS contra consuetum ordinem operetur, Animas, quantum fieri potest, ducendas esse viâ Meditationis. Certa res est, quòd in progressu, cùm paulatim Meditatio plus incipit habere Amoris, quàm ratiocinationis, possint Animæ,

mæ, imò debeant, suaviter introduci ad Contemplationem, quæ dicitur acquisita, permittendo ipsis omnem libertatem gaudendi, quandocunque possunt, & fruendi DEO suo præsente. Certa res est, quòd ne quidem cùm ad apicem perfectionis ventum est, tentandum unquam sit, ut introducantur Animæ ad Contemplationem Infusam; sed debent tantùm opportunè juvari, & illis subministrari adminicula, cùm eam sunt consecutæ, propter tam versutas artes, quibus maligni hostes, qui sunt Rivales Animarum DEO præ ceteris cararum, sæpe in iis imitari possunt illos raptus, illas apparitiones, illas blandicias, illa amica colloquia, quibus plerumque erga eas Sponsus uti consuevit.

Supereſt, ut statuamus, quomodo se gerere debeant Directores Animarum in casibus ambiguis; quando scilicet, rebus etiam diligenter discussis, decernere secum non possunt; sínte magìs idoneæ ad Contemplandum, an verò ad meditandum, alterutro genere Contemplationis? Mea, etiam re ita ambiguâ, sententia est, ut eas detineant in Meditationibus; ídque duplici ex capite. Primum est; quia Meditatio magìs convenit comuniter omnibus ob mille curas, nunc privatas, nunc publicas, quibus implicantur. Alterum, quia etiam ubi istæ desunt, multò satiùs est semper paulatim progredi in perficiendo ædifico, quàm præposterè festinare ad tectum illi imponendum, non sine gravissimo discrimine tantam molem fundamentis infirmis & vacillantibus imponendi. Isthoc consilium posterorum memoriæ scriptis consignatum reliquit Cajetanus in suis ad D. Thomam glossis tam laudatis; ubi scripsit, quòd si Animæ attollantur ad vitam Contemplativam, antequam probè exercitæ, experientiâ probatæ, & solidè stabilitæ sunt in Activa, periculum esse subeundi in ea re laboris tam irriti,

Cajet in 2. 2. q. 181 art. 1. ad 3.

riti, quàm magni, & ædificandi in arena. *Notent, qui alios in via DEI instruunt ad profectum spiritualem, & diligenter efficiant, ut priùs in vita activa exerceri faciant, quos edocent, quàm ad Contemplationis fastigium suadeant. Oportet siquidem priùs Passiones domare, habitibus mansuetudinis, patientiæ, liberalitatis, humilitatis &c. & easdem sedare, quàm ad Contemplativam vitam attendere. Et ob defectum hujus multi non ambulantes, sed saltantes in via DEI, postquam multum temporis vitæ suæ Contemplativæ dederunt, vacui virtutibus inveniuntur, impatientes, iracundi, superbi, si in hujusmodi tanguntur. Et propterea tales nec activam, nec Contemplativam, nec ex utraque compositam habuerunt, sed super arenam fabricârunt. Et utinam non sit frequens defectus iste!* Hucusque Cajetanus, tanto me magìs in his negotiis versatus.

Nec dubium, quin defectus, quem tantus interpres frequentem dixit, ille sit, qui omni ætate plus etiam quàm oportebat, suspectam reddidit exercitationem tam præclaram, qualis est ista Contemplationis. Apparet, quòd post illum accidant concussiones graves, graves lapsus, qualex vix acciderent ante illum. Hoc tamen non nascitur ex natura Ideæ, quæ est sapientissima: nascitur ex gravi nonnullorum incuria, ad quos spectat ejus executio; aut quia locum parum idoneum eligunt, aut quia non satìs profundè fodiunt, aut quia importunè festinant; cùm nimis quàm conforme naturæ sit illud desiderium etiam sapientum Architectorum, quo flagrant, supremam manum operi suo impositam cernendi, dum adhuc superstites sunt. Qui ergo errorem ejusmodi admittere noluerit, necesse est, ut nunquam dirigat Animas ad Contemplationem sublimem,

mem, priusquam probè didicerint, quæ ratio in meditando tenenda sit.

Meditatio ex genere suo refertur ad stabiliendam Fidem, ad extirpanda vitia, ad virtutes roborandas, & ad animum Christi Domini imitandi studio inflammandum. Hinc dicitur, ut supra notatum est, quòd Meditatio spectet ad vitam activam. Ubi hoc præcesserit, quantum satis est ad periculum vitandum, tunc tempus est, ut anima progrediatur ad illam Contemplationem, quæ vitæ Contemplativæ nomenclationem tribuit, ubi secus, non progrediatur. Qui Rachelem sponsam vult, Liam priùs sibi despondeat oportet, lippam illam quidem, sed multarum egregiarum prolium matrem: id enim nî fiat, esset hoc vel ipsum Jacobum felicitate velle superare, qui Rachelem tanto tempore deperiit, etiam postquam jam alteri junctus fuit, ferendo eum in finem tam multa æstûs frigorísque incommoda. *Post Liæ Complexum ad Rachelem Jacob pervenit, quia perfectus quisque ante Activæ vitæ ad fœcunditatem jungitur, & post Contemplativæ ad requiem copulatur.* Ita S. Gregorius. S. Greg. super Ezech. ho. 14.

## II.

ET quænam, si locus est verirati, Oratio, cum minore errandi metu teneri potest, quàm illa, quam Ecclesiasticus suo nos ore docuit? vult ille, ut primo mane vix albescente aurora è strato se proripiat non calonum aliquis, non famulus à pedibus, non muliercula aliqua semifatua, quæ vix primos characteres noscere didicerit, sed Homo tam sensatus, ut ipsæ adeò divinæ Literæ Sapientis ei nomen tribuant. *Cor suum tradet Sapiens ad vigilandum diluculo ad Dominum qui fecit illum.* Et quâ, quæso, oratione vult ille Eccl. 46. v. 9.

uti Hominem tam sapientem, non incipientem, nôn proficientem, sed assecutum omnem perfectionem suis numeris absolutam? an illum vult surgere ad Contemplationem, quæ supra nubes inveniri possit, altissimam? Nihil minùs. Vult ante omnia, ut facultates suas excitatas habeat ad exercitationem meditationis, cujus figura est vigilia: non autem sopitas illa dulcissima, & divinissima quiete, ob quam tam multi Contemplationem appellârunt somnum. *Cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum qui fecit illum.* Quod idem est ac dicere, ut alij legerunt: *Cor suum applicabit ad quærendum studiosè Dominum factorem suum.* Etsi ambigi prudenter non possit, quin Sapiens ejusmodi jam aliàs quoque eundem DEUM perfectè repererit, quem tamen magìs, magisque quærere satagebat. Sed ita res procedit. Quieti facultatum in Bono amato, æquum est, ut semper præmittatur vigilia in ipso investigando, perinde ac si nunquam fuisset inventum: hoc enim est quod ipsummet à nobis desiderat. *Si quæris, quære*, hoc est, *non tibi semel quæsîsse sufficiat*, ut ajebat S. Hieronymus, *sed quem inveneris, semper quære.* Inde ut palàm fiat, exercitare omnes tres nostras facultates in quærendo DEO, nullo modo esse injurium ejus præsentiæ, ut alius nonemo scribit, Ecclesiasticus ipse certo consilio exprimit, totam hanc inquirendi diligentiam, de qua dixerat, adhibendam à Sapiente *in conspectu Altissimi.*

Cor. à Lap. in hunc locum.

In c. 21. Is.

Transit subinde Ecclesiasticus ad manifestandos affectus, in quos Sapiens, DEO suo invento, prorumpit. Sunt autem isti cõmunes ambulantibus in via purgativa: Commendare se DEO instar miserandi alicujus, in arte orandi planè Tironis, fateri noxas à se admissas, illas execrari, deplorare, & veniam summa animi demissione petere:

*Ape-*

*Aperiet os suum in Oratione, & pro delictis suis deprecabitur.*

His ita peractis, quid porro fiet? His peractis, pergit Ecclesiasticus, fiet, ut DEUS, si ita ipsi videbitur, dictum Sapientem ad sublimem Contemplationem attollat; hoc autem asserere intendit illis verbis. *Si enim Dominus magnus voluerit, spiritu intelligentiæ replebit illum.* Non ait: *Intelligentiâ replebit illum*: sed, *spiritu intelligentiæ*: Intelligentiâ nimirum tam exquisitâ, tam sublimi, tam omnis corporeæ concretionis experte, ut possit dici, spiritus Intelligentiæ, sicut subtilissimum quod fornaculæ calore ex sale distillat, spiritus ejus salis vocatur; sicque quod è substantia quacunque eliquatur, ejus substantiæ spiritus appellatur. Atque hoc Intelligentiæ spiritu testatur Ecclesiasticus ita replendum Sapientem, ut exundet etiam: *spiritu intelligentiæ replebit illum.* Hoc enim proprium est Contemplationis Sapienti donatæ, vas mentis elevatæ planè replere spiritu illo perfecto intelligentiæ, & ita abundanter, ut omnem in partem exundet; unde addit Ecclesiasticus. *Et ipse tanquam imbres mittet eloquia sapientiæ suæ.* Aliquando enim eò progredietur, quò progressa est S. Maria Magdalena de Pazzis, cujus in Ecstasin raptæ ex ore aurea pluvia spargebatur. *Et in Oratione Confitebitur Domino.* In ipsa Oratione laudando DEUM ratione tam sublimi, & sensu seraphico potiùs, quàm humano.

Anne autem ad tantam altitudinem pertingere potest, quisquis initio orationis illius eminentis incumbet ad operandum ope suarum facultatum tanto animi candore? Ita sanè ad tantam. Non oportet accedere ad orationem animo patiendi Ecstases, imò tam non oportet, ut dedeceat etiam,

etiam. Et idcirco quid tandem emolumenti existet ex eo, quòd quis initio statim orationis procul à se repellat omnes imagines, omne ratiocinium, omnes affectus, quos homo suâmet operâ & viribus potest producere? sic agere, meâ quidem opinione non solùm non promovet, sed potiùs impedit Contemplationem, ut aliàs jam animadversum est sæpiùs. Nimis enim quàm difficile est, ut illi oculi, qui tanto lucidiores sunt supra solem, non aliquos semper in hoc deprehendant atomos ambitionis. Præferenda ceteris omnibus est regula, quam sequitur Sapiens in oratione, cujus ante meminimus. *Cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum qui fecit illum. Et in conspectu altissimi deprecabitur. Aperiet os suum in Oratione, & pro delictis suis deprecabitur.* Subinde autem, quæ ipse efficere non potest, nisi adjuvetur ope & adminiculis insolitis, homini non debitis, & plus quàm cælestibus, de iis curam & cogitationem uni DEO relinquit. *Si enim Dominus Magnus voluerit, spiritu Intelligentiæ replebit illum.*

## III.

VNum est, quod hîc ego dissimulando non præteribo. Quòd nimirum Ecclesiasticus Sapienti suo hîc non præscripserit, ut Meditationem suam, pro more hodie servari solito, in puncta distingueret ac distribueret. Et verò hæc distributio scriptori alicui nostræ ætatis tantum facessivit negotij & molestiæ, ut non obstante quòd profiteatur spiritum superiorem omni sensu, & sensibili, illam tamen dissimulare non potuerit. Observat igitur acutissimè, *Quòd quatuor sint Regulæ principales Religiosorum, ex quibus* ut ille loquitur, *plures aliæ derivatæ sunt, S. Basilij videlicet, S. Benedi-*

*Benedicti, S. Augustini, S. Francisci, & tamen harum nulla unquam præscripsit Meditationes in tria aut quatuor puncta, per viam præceptorum.* Unde videtur ipse planè absonum judicare, quòd hac ætate, nullâ habitâ ratione tam præclari exempli, Meditationes dividantur in certa puncta.

Ista sanè mihi videtur esse res momenti perqnam exigui. Neque enim ex eo, quòd Meditationes in certa puncta dividantur, lege imperatur, ut illa omnia meditando percurrantur. Imò disertè præscribitur, ut inventâ in primo puncto desideratâ consolatione, ad alia porro non festinetur. Quis est, qui cùm plurium ferculorum ordinatissimum convivium apparaverit, idcirco velit, ut convivæ singula illa absumant? Comedat quisque, quod lubet. Nihilominus haud scio, cur idem Author non ad aliud potiùs, observatione non minùs dignum, animum adverterit. Est autem hoc. Quòd ex quo introducta est accuratior hæc distinctio punctorum Meditationis, eam confestim concordi studio amplexi sint illi ipsi Ordines Religiosorum, omni digni commendatione, quos reliqui ut parentes venerantur. Si enim singulos eorum lustrare voluerimus, inveniemus complures ex iis viros Sacræ Ascèseos sanè quàm peritos, qui vel ipsi prælo in lucem publicam dederint Meditationes in puncta divisas, aut ita divisis singulari animi demissione sint usi: haud aliter ac ipsi illi, qui sua priùs convivia apparabant sine ullo ordine, nunc etiam certatim Mensarum structores expertissimos & laudatissimos quærunt, ut hodiernæ se consuetudini conforment, cibos ac fercula eo ordine in mensam inferendi, qui & sapientior & salubrior existimatur. Quin, an non dicit ipsemet, eo loco, ubi in sua præfatione rationem reddit, cur ipse Contemplationem, ante hac omni reginâ liberiorem, certis

voluerit legibus adstringere, an non inquam dicit: *Quòd Ecclesia semper proficiat in lumine, quódque Antiqui nihil eorum ignoraverint, non tamen potuerint illa videre redacta in talem ordinem, & tam bellè explicata, sicut ea hodie videre est: longi enim anni longam experientiam pepererunt.*

Dignetur nunc ipse suam doctrinam præsenti argumento applicare, cui illa fortassis magis est accommodata; & desinet posthac ullam ex iis rebus præseferre molestiam, quæ passim ab omnibus, sine ulla Christianæ pietatis jactura, imò cum emolumento manifesto, receptæ damnari non possunt; nisi cùm circa ipsam substantiam, & cor quodammodo, aliquid mutatur; quòd cor & puncta & puncturas perinde sentit, ac si non dissimili modo vulnerarent.

Sed quid ego? Nollem equidem videri, quòd vituperia, quibus in hunc punctorum usum nonnemo invectus est, me quoque tetigerint; ut qui & ipse libellos aliquos in lucem ediderim Meditationum in puncta divisarum. Dicam proin apertè, quod res est. Hæsi aliquamdiu dubius, deberémne respondere aliquid objectioni tam frivolæ, qualis est ista, cui nunc refellendæ insisto; cùm ipsa facta sit non tam fastidio punctorum, in quæ ad eam facilitandam dispescitur meditatio, quàm fastidio ipsarum meditationũ, quæ sua in puncta distributæ usui esse consueverunt. Judicavi tamen denique, ne ista quidem verba sine fructu à me prolatum iri; neque enim ego libellum hunc scripsi gratiâ eorum Patrum spiritûs, qui cùm & multo usu & profectu sint, nequaquam opus habent illâ, quàm ego ipsis præferam, tenui face ad falsum retegendum. Eorum potiùs gratiâ scripsi, qui cùm tantum luminis adhuc habere non possint, nollem equidem, ut ipsi lectis argumentis Authoris, tantam rerum peritiam jactantis, quibus impugnat

omnes

omnes meditationes in puncta divisas, ut novas, idcirco noxias Orationi censerent, non dicam Meditationes Exercitiorum S. Ignatij (hæc enim, ut jam indicatum est, Pontificij diplomatis authoritate satis jam munita sunt) sed alias ejus generis, quales publici juris fecerunt Ludovicus Granatensis, Segala, Spinola, Capella, Costerus, Franciottus, Brunus, de Barry, notissimus Ludovicus de Ponte, & alij plurimi, quibúsque passim Christiani summo suo emolumento utuntur. Quid multis? S. Franciscus Salesius aliud non fecit, quàm ut Meditationes ita divisas aliis proponeret. Quin & suum ad usum sic divisas semper ille adhibebat, ita, ut quisquis aliquam habet notitiam formularum loquendi ipsi usitatarum, facilè recordaturus sit, quòd quoties ille mentionem inferre voluit Orationis eo mane peractæ, plerumque illam solitus sit appellare suum punctum. Non est operæ pretium, varios hîc ex eo textus rescribere. Unum afferam, ex quo etiam discere licebit, an Sancti tam ab omni imaginabili & intelligibili avulsi procedant in sua Oratione, quàm id nonnemo cupit; etsi eorum sint Sanctorum è numero, quos idcirco DEUS Mundo indulsit, ut palàm fieret, ne terris quidem suos Divini amoris Vesuvios deesse. *Dicam tibi cogitationem aliquam* (sic scribit cuidam sacrarum Virginum Visitationis Præfectæ) *quæ mihi nuper admodum in mentem venit horâ matutinâ, quam ego servo pro misera anima mea. Punctum meum erat super illa petitione Orationis Dominicæ, Sanctificetur nomen tuum. O DEUS (ajebam) quando tam felix tandem ero, ut videam nomen JESU sculptum in profundo cordis illius, quæ illud circumfert impressum suo pectori? Venerunt etiam mihi in mentem palatia Urbis Parisinæ, quorum in fronte leguntur scripta nomina Principum, ad quos ea spectant; &*

*gaudebam videre, quòd Palatium cordis tui sit Christi* JESU; *hic ille æternum habitare velit. Ora DEUM pro me, qui paterno affectu tuus sum &c.*

Hæc est agendi ratio eorum etiam Sanctorum, quorum cor majori DEI amore æstuat. Nôrunt ipsi suis Meditationibus præfigere puncta, sciunt uti Imaginibus, sciunt uti ratiocinio: sciunt etiam voluntatis affectibus liberum campum permittere; neque idcirco Sancti esse desinunt. Quin imò rata ac fixa habeatur hæc veritas, quæ mihi quidem (ut redeamus ad locum Ecclesiastici, à quo digressi sumus) evidens videtur. Quisquis ad orationem accedit, saltem de lege ordinaria, accedere debet hac intentione & fine, ut faciat orationem, quæ vocatur: *Ascensio mentis in DEUM*; non autem intentione faciendæ Orationis, quæ dicitur: *Ascensio mentis in DEUM suspensæ.* Prima ejus generis est, ut sit nostri muneris eam procurare, & recipere. Et idcirco dicit Ecclesiasticus: *Cor suum tradet ad vigilandum diluculò ad Dominum, qui fecit illum.* Secunda ejus generis est, ut eam recipere potiùs debeamus, quàm procurare: & idcirco addit idem Ecclesiasticus: *Si enim Dominus magnus voluerit, spiritu Intelligentiæ replebit illum.* Atque hinc est, quòd non debeant in oratione contemni, nec præparatio, nec præludia, neque puncta, neque aliæ tam utiles observationes; hæ enim promovent Ascensionem mentis in DEUM, nec ullo modo impediunt ejus elevationem, si hâc nos DEUS voluerit dignari: è diverso autem cavere debemus abstractiones quasdam mentis affectatas potiùs, quàm naturales: istæ enim non faciunt, ut DEUS desideratam nobis devotionem conferat; & faciunt, ut ad ascensionem nos operam nostram non conferamus.

Caput III.

# Caput III.

*Refellitur divisio quædam arbitraria in viam Orationis interiorem, & in exteriorem, quæ ad id inventa videtur, ut velut Epilogo colligatur, quidquid Meditantes præ Contemplantibus contemptibiles reddit.*

## I.

MIsera Meditatio! Et tamen ipsa est ipsissima, quam toties laudibus extulit David Rex, quando dixit: *Meditatio cordis mei in conspectu tuo semper. Lex tua Meditatio mea est. Testimonia tua Meditatio mea est. In Meditatione mea exardescet ignis.* Est inquam illa ipsissima. Est enim meditatio communis ille habitus, quo humanis in cordibus animatur ignis Caritatis actualis in DEUM: ignis qui illustrat; ignis qui accendit, ignis qui comburit; ignis qui ascendit, ignis qui stridet contra inimicos DEI, ampliùs etiam, quàm ille fornacis Babylonicæ: *Attenta Meditatio rerum cælestium, ordinaria via est ad accendendum ignem actualis caritatis DEI.* Sic explicavit Card. Bellarminus. Neque hîc prætereunda est ratio, quam tenuit David, quando dixit: *In Meditatione mea exardescet ignis.* Dicere poterat: *accendetur.* Dicere poterat: *ardebit*; quem id latet? dixit tamen *exardescet*, juxta illud, quod in rem præsentem ponderavit Hugo. Facit enim Meditatio, ut ignis caritatis actualis non accendatur solùm in corde, ut in Incipientibus fieri assolet, sed facit etiam, ut excitetur denuo, ut animetur, ut vires perpetuò augeat, eodem ipso fervore, quo primùm accendi consuevit, id quod nemini non convenit. *In Meditatione mea exardescet ignis, id est,* ait Hugo, *Meditatio mea faciet eum exardescere inchoativè,* Bellarm. in Ps. 48. v. 4. Hugo in Ps. 58. v. 5.

Jer. 6. 1. *ita quòd nunquam ceſſabit ardere.* Juxta illud: *Ignis in altari meo ſemper ardebit, quem nutriet ſacerdos, ſubjiciens ligna manè per ſingulos dies.* Et tamen, O miſella Meditatio! ingeminem neceſſe eſt. Non poſſunt omnia colligi vituperia, quibus illa nuper adeò proſciſſa eſt. Paucula aliqua indicabo duntaxat, quæ unus aliquis ſolus congeſſit in libello ſuo, ut quisquis illum legit, dignetur attentè circumſpicere, ubi ponat veſtigia, ne in foveam incidat.

Dicit igitur, *Meditationem eſſe modum eundi ad DEUM Incipientium*: perinde ac ſi illâ uſi non ſint Sancti maximi, & tam multi quidem, etiam ætate jam ſenili. Dicit præterea, *eſſe modum ſenſibilem & materialem*, nec non *ſtatum ſenſibilem & materialem.* Perinde, ac ſi cuilibet mortali adhuc carne veſtito res haudquaquam difficilis ſit conjungere ſe DEO alio modo, quàm pendente à ſenſibus & materia. Dicit: *Amorem erga DEUM, ejus qui opus habet informatione Intellectûs* (quæ eſt illa, quam dat Meditatio) *eſſe amorem valdè parcum, multum pendentem à creaturis, guttis tantùm finitum, & quidem his per intervalla duntaxat decidui.* Perinde ac ſi amor valdè accenſus, valdè purus, plenus & ſtabilis his in terris ad eos reſtringatur, qui renuunt admittere informationes, quas in Meditatione de DEO dat intellectus: id quod, pro eâ quâ ſum hebetudine, mihi videtur paululum ultra æquitatem. Dicit, imò ut rem minimè dubiam ſupponit, quòd qui non Contemplatur, ſed meditatur, non amet DEUM, ut eſt in ſe, ſed ſicut illum Phantaſia ipſi repræſentat: ad quæ verba ego cohorreſco. Dicit, quòd Divina Majeſtas valde bene ſciat, quòd, ut ad ipſam accedatur propiùs, ad documenta ipſiusmet percipienda, medium idoneum non ſit id quod ſubminiſtrat propria induſtria (heu me! video ſerpentem valdè horridum:

ridum: acceleremus greſſum; imò non acceleremus, oportet illum conterere) mediũ, inquam, non ſit, quod ſubminiſtrat propria induſtria, nec id, quod ratiocinatio propria; ſed illud quod ſuggerit Reſignatio cum ſilentio. Ego hîc tam effrons non ſum, ut penetrare velim in magnam Divinæ majeſtatis mentem, ut ſciam, quid illa ſciat: ego enim ad ſolem tam magnum ſum abjectiſſimus veſpertilio. Scio tamen, quòd Divina Majeſtas, ut ad ipſam appropinquemus, & intelligamus ejus documenta, ſexcentis SS. Literarum locis, nos hortetur ad utendum induſtriâ propriâ, ad utendum ea intelligendi facultate, quam nobis ipſa largiri dignata eſt, ad hunc ipſum planè finem. *Sapientiam omnium antiquorum exquiret Sapiens, & in Prophetis vacabit, narrationem virorum nominatorum conſervabit, & in verſutias parabolarum ſimul introibit. Occulta proverbiorum exquiret, & in abſconditis parabolarum converſabitur.* Sufficiat unus hic locus Eccleſiaſtici: unus enim multis æquivalet. Dicit, aut immemor, aut incurius effati jam allati, quòd *quantumcunque Docti purè ſpeculativi* (quales ille vocat eos, qui aut ſuâ culpâ, aut ſiniſtrâ ſua ſorte, aut quâ aliâ causâ non ſunt provecti ad Contemplationem myſticam) *non exeant ab imo fundo eminentis Divinæ ſapientiæ, quæ odit* (quis id ſibi perſuaſiſſet?) *quæ odit tanquam mortem formas & ſpecies.* Sed gratiæ DEO! hîc tonitru vehementius fuit ipſo fulmine. Si Divina Sapientia non magìs odit formas & ſpecies, quàm oderit mortem (ſolentur ſe qui meditantur) nullo modo eas odit. Et ubi tandem in tota hac rerum univerſitate inventa eſt iſta doctrina, quòd DEUS oderit formas & ſpecies? has ſi odit, odit igitur & mentes hominum, in quibus illæ perpetuò diverſantur, odit Prophetias; odit Parabolas, odit narrationes omnes, Eccl. 1. 39

quas

quas sacri Historici non alia ratione de Christo nobis reliquêre. Dicit, quòd *commixtio* (placeat prabere aures attentissimas) quòd *commixio modicæ scientiæ* (miseros S. Augustinum, S. Gregorium, S. Hieronymum, S. Ambrosium, miserum etiam S. Thomam, qui tantum ejus scientiæ habuerunt: quæ eorum tandem sors fuerit?) *cõmixtio*, inquam, *modicæ scientiæ semper impedit æternam, profundam, puram, simplicem, & veram sapientiam.* Quàm fortunatus futurus fuisset Salomon, si priusquam suam illam tam famosam petitionem DEO proponeret, hâc doctrinâ fuisset imbutus! næ ille nunquam fuisset petiturus à DEO Sapientiam simul, & Scientiam, sed solam Sapientiam. Et tamen ille nescio quomodo, & hanc, & illam petiit. Sed si præstabat solam habere Sapientiam, ut quid utramque illi DEUS concessit? *Dixit autem DEUS ad Salomonem: quia petîsti Sapientiam & Scientiam, Sapientia & Scientia data sunt tibi.* Sapientia ad res divinas pertinet, Scientia ad humanas. Ita dixit S. Augustinus: *Sapientia divinis, Scientia humanis attributa est.* Latebat autem me hactenus, Sapientiam rerum Divinarum cum Scientia humanarum pugnare, Illud solud noveram, ambas subjectas esse debere timori DEI. *Quàm magnus, qui invenit Sapientiam & Scientiam!* inquit Ecclesiasticus: *sed non est super timentem Dominum. Timor Domini super omnia se superposuit.* Ideo tam sapientia mundi, quàm scientia mundi ambæ damnatæ sunt, quia superbæ nolunt se subjicere timori DEI. Nec Sapientia Divina, nec Scientia humana unquam damnandæ sunt; imò placeat audire hîc id, quod S. Mater Teresia scripsit. *Literarum scientia meo quidem judicio, est magnus thesaurus pro hoc exercitio* (sermo illi erat de Contemplatione Mystica) *Si tamen animi demissioni conjuncta est. Inde à certo tempore*

1. Par. 1.

De Trin. c. 19.

Eccl. 25. 14.

vi

*vidi in nonnullis doctis & literatis, quòd licèt non multo ante cœpissent, maximos tamen progressus fecerint: hoc in me accendit ardens desiderium, videndi multos eorum spirituales, ut subinde pluribus dicam. Nunc quod ipsis inculco, hoc est, ne se attollant, absque eo quòd eos DEUS attollat. Hoc idioma spiritus est, intelliget me, qui aliquam experientam habet.* Sed hoc ipsum est idioma, quod hodie aliqui nolunt capere; dum volunt passim homines inducere, ut nihil faciendo assurgant, non jussi assurgere. Dicit, esse imperfectionem in Oratione habere in mente & fovere formas, imagines, & species, quantumcunque illæ subtiles sint, etsi ipsius adeò divinæ Essentiæ, quia istæ non sunt DEUS. Nimirum perinde ac si qui has non habet, confestim DEUM habeat, aut ad hunc habendum, necessarium sit illas non habere. Eum in finem allegat ille S. Bonaventuram, sed nescio, quo jure. Ubi enim Sanctus doctissimè asserit, quòd in casu aliquo ad Contemplationem Mysticam necesse non sit formare aliquam cogitationem distinctam, ne quidem ipsius DEI, cum sufficiat affectus, qui erga illum in corde ardet. (*Non ibi oportet cogitare res de Creatoris, nec de Angelis, nec de Trinitate, quia hæc sapientia per affectus desideriorum, non per Meditationem præviam habet consurgere.* Ipse novus Interpres dicit, non esse necesse habere ullam cogitationem. *Oportet hîc nihil cogitare de Creaturis, de Angelis, & de ipso DEO.* Id quod tam est falsum, quàm verum est, Contemplationem mortalium non posse videre DEUM in propria essentia. *Quamdiu in hac mortali carne vivimus, nullus ita in Contemplationis virtute proficit, ut in ipso incircumscripti luminis radio mentis oculos infigat.* Et tamen ipse hanc falsitatem, quam S. Bonaventuræ authori tribuit, peregrinâ prorsus interpretatione tri-

Myst. Theol. p. 1 q. unica. si tamen S. Bonaventuræ is liber est, & non illi falsò attribuitur, uti fert opinio jam verior.

S. Grego. ho. 14. in Ez.

umphabundus subinde ita concludit. *Non potuit Sanctus clarius loqui.* Nec tamen animum advertit, quàm non idem sit istarum duarum propositionum sensus. *Non oportet cogitare. Oportet non cogitare.* Prior enim eam tantùm vim habet, ut præscindat; altera autem negat. Imò ut S. Bonaventura ibi docet: Anima quando est unita DEO, non est necesse ut multum laboret in formanda ulla cogitatione ab ipso distincta; hoc addit. Ut enim conjungatur, initio statim potest prorumpere in hunc affectum: *O Domine, quando te diligam! quando te constringam! quando te completar! quando te faciam totum meum!* Anne totum hoc fieri potest in Anima sine imaginibus, sine formis, sine figuris, sine ulla specie, quam illa habeat de DEO præsente, sicut habet, qui meditatur?

In ead. q. un. prope finem.

Dicit: Sed satis tandem est, nimis enim longè recedo à recta semita, dum desidero manum porrigere alicui, qui ut clausis oculis quemcunque ducem sequeretur, longiùs fortasse ab ea recedere cœperit.

## II.

PLacet proinde mihi, hîc lucubrationi huic imponere finem; monendo tamen sub extremum, omnia quæcunque ab Authore isto sparsim in medium afferuntur non sine artificio ad existimationem Meditationi detrahendam, tandem velut in Epilogo comprehendi axiomate, quod sine accuratiore examine & trutina intactum præterire non possum, cùm clausis oculis receptum admissúmque, sexcentis animabus gravissimam perniciem accersere possit: Est autem hoc. In Oratione mentali duas reperiri vias, exteriorem unam; interiorem alteram. In via exteriore

stare

ſtare illum, qui meditatur; cùm utatur operâ ſenſuum; in interiore illum qui contemplatur; quia procedit cum ſpiritu in Fide. Et idcirco ille tali hypotheſi ſtabilitâ, quæ apud ipſum nihil obſcuritatis habet, ad caput bivij, quod ipſe formaverat, ſe collocat, ut ibi tranſituros expectet, ibíque precibus ardentibus invitat omnes, ut relictâ ſemitâ exteriore interiorem tenere ne dubitent. Ego è diverſo iſtos viatores oro rogóque, ut ne graventur aperire oculos, cùm ſint viæ, quæ videntur rectæ & amænæ; cùm interim ducant in præcipitia. *Eſt via, quæ videtur homini recta, & noviſſima ejus ducunt ad mortem.* Prov. 16. 25.

Novi equidem optimè, in via ſpirituali duplicem viam eſſe; exteriorem unam, interiorem alteram: via enim exteriore ille ambulat, qui attendit ad virtutem externam, magis quàm ad internam. Interiore autem viâ ambulat, qui ſtudet virtuti internæ, non tamen ita, ut unquam negligat externam. In Oratione autem veterum Authorum ſcio neminem, certè nullum memoria ſuggerit, qui hanc duplicis viæ diviſionem ſtatuerit. Atque adeò illa à Directoribus Animarum inter eas numeranda erit leges, quæ feruntur arbitrariò, nullo commodo, non tamen ſine periculo, propter errores, quos ſemper poteſt parere omnis novitas loquendi in illis argumentis, quæ tanquam ſacra ſemper retinere debent veſtes, quas ipſis adaptârunt Sancti certo conſilio, & ad illa ab invicem dignoſcenda: non autem illas crebrò & pro libidine mutare, ut in veſtium formis hodie fieri aſſolet. *Viſitabo ſuper omnes, qui induti ſunt veſte peregrina.* Sophon. 1. 8. S. Tereſia quæ fuit Architecta inclyti planè nominis in operibus Orationis, ut hæc probè diſtingueret, caſtrum aliquod ſibi finxit, cui nomenclaturam dedit Caſtri interioris: quod denique aliud non eſt, quàm

cor hominis cum omnibus suis facultatibus. Sed illa in ipso hoc castro interiore posuit tam illum, qui meditatur, quàm qui Contemplatur. Extra castrum seu arcem illos posuit, qui viventes in magna non curantiâ nondum cœperunt intrare ad interiorem sui cognitionem, ubi ipsa primas stationes posuit. Stationes autem, seu habitacula ab ipsa dispositâ fuerunt in certa serie, ut in Palatiis solet, ubi ab uno in aliud transitus patet: juxta gradus stabiles in Oratione ad quos homo ascendit: quanquam gradus isti,
Mans. 22. ut ipsa monuit, stabiles non sint: cùm animabus permittendus sit liber transitus per omnia cubicula & conclavia, ut nunc ad superiora, nunc ad inferiora, nunc ad hinc aut illinc posita conferre se possint, prout eas DEUS ducit. Imò postquam etiam ipsæ pervenerint ad stationes, & cubicula suprema Contemplationis elevatæ, monet ipsa, per intervalla redeundum ipsis ad infima, qualia sint, quæ Cognitionis sui dicuntur. Distincta proin fuerunt hæc à Sancta cubicula secundùm desiderium, quod identidem in animabus crescit, magìs magísque placendi DEO. Hinc est, quòd ipsa adverterit in primis stationibus animacula etiam venenata reperiri, quæ illuc cum animabus ipsis penetrârint. A primis solùm Mansionibus usque ad eas,
Mans. 4. c. 1. quæ quarti generis sunt, perpendit ipsa, quòd illa solatia interna & spiritualia, quæ percipiuntur in oratione, natales & originem suam magis à nobis, quàm à DEO habeant; eò quòd proveniant potissimũ à propriis industriis, etsi semper à Divino etiam favore adjutis. Quibus autem Anima fruitur à stationibus quarti ordinis usque ad septimum, natales suos potiùs à DEO, quàm à nobis habeant: sunt enim gratiæ singũlari benignitate concessæ à DEO, quando vult, sicut vult, & quibus vult, quin cuiquam in earum distri-

distributione injuriam faciat. Verum tamen est, quòd illæ plerumque respondeant bonis dispositionibus, quæ semper augentur in Anima, quando ipsa incipit solius DEI habere rationem & æstimationem; dein pergit ad illum accedere propiùs, mox illum amare, porro mutuis quodammodo cum illo blanditiis indulgere, accensis desideriis; abinde sponsalia etiam cum ipso contrahere, etsi (sicut hæc omnia accipienda sunt) purè spiritualia, ac deinque ad ipsum Matrimonij nexum procedere.

Quam autem cum ist ac Sanctæ Idea proportionem servâsse dici potest, qui meditantes collocat in via exteriore, contemplantes collocat in interiore? In via interiore utrique collocandi sunt, tam meditantes, quàm Contemplantes; dummodo ipsi id agant, ut facultatibus suis internis operentur coram DEO, eâ ratione, quam indicavit David, cùm sic DEUM allocutus est: *Invenit servus tuus cor suum, ut oraret te.* Neque enim intelligi potest, quomodo mentalem orationem peragere quis possit extra, & non intra mentem. 2. Reg. 7. v. 27.

## III.

QUod sic porro ostenditur. Vel hæc via diversa in Oratione ad Intellectum pertinet, vel ad Voluntatem? Si ad Intellectum, quid tandem per DEUM intendit dicere, qui dicit, Meditantem stare in via exteriore, quia utitur sensibus, & Contemplantem stare in via interiore, quia procedit in spiritu cum Fide? Potéstne homo operari aut tanquam sensus solus, cùm meditatur, aut tanquam spiritus solus, cùm contemplatur? cùm ipse neque sit sensus solus, nec spiritus solus, sed compositum quid ex sensu & spiritu, perinde cùm Contemplatur, ac cùm meditatur.

Prô quàm ab his diversa fueru ⁊ principia S. Thomæ nôrat ipse bellissimè, virtutem unam, cùm alteri servit, transire quodammodo ad naturam & speciem illius. Unde qui non comedit, ut obediat, non tam dicitur Temperans, quàm Obediens. Qui cum aliis non conversatur studio demissionis animi, non tam taciturnus, quàm humilis vocitatur. Hinc autem quid deduxit S. Doctor? Deduxit, quòd actiones ipsius adeò vitæ activæ, quales sunt, eradicatio vitiorum, & virtutum confirmatio, quando referuntur duntaxat ad finem Marthæ, qui est, dirigere actiones externas, vocari debeant actiones non nisi vitæ activæ: at quando referuntur ad finem Magdalenæ, qui est cognoscere DEUM intus, eundem contemplari, admirari, amare, experiri, potiùs dicendæ sunt actiones vitæ contemplativæ. *Quando aliquis utitur his, quæ sunt vitæ activæ, solum prout disponunt ad Contemplationem, comprehenduntur sub vita Contemplativa.* Cujus rei ea est ratio & norma; omni in negotio denominatio actionis, pretium ejus & pondus, desumitur à fine Operantis. Sic qui Lauretanam ad domum peregrè abit, ut noxios humores exercitatione digerat, dicitur ire pedes causâ sanitatis. Qui eodem pergit ad venerandas loci reliquias, ac monumenta sacra, ad illa contemplanda, omni honore afficienda, pedibus iter facere dicitur causâ devotionis. Qui tandem eò vadit ad noxas à se contractas expiandas, dicitur ire pedes studio Pœnitentiæ. Quàm igitur mera libidine conficta dici debet divisio duarum viarum in Oratione, unius quæ sit sensuum, alterius quæ sit Spiritûs, si is, qui sensibus ibi utitur, illis omnibus in animæ commodum utitur, qui donec è carnis carcere migret, in quo eum DEUS collocavit, nec recordari, nec imaginari, nec intelligere nec velle possit sine

2.2.q.181 a.1. ad 4.

adju-

adjutorio sensuum? Non est ergo nisi via simplex & unica, constans sensili & Spirituali, quæ ducit ad eundem finem, qui est, subjicere DEO & sensum & Spiritum ejus, qui per eam viam ambulat. Quis proin capere quoquo modo potest, quid tandem spectetur, dum loquendo in ordine ad Intellectum, tanto studio omnes impellimur ad relinquendam viam exteriorem, ut eamus interiore, affirmando, quòd illa sit sensuum, ista verò Spiritûs? Viâ sensuum tantùm ambulant pecudes. Viâ Spiritûs tantùm ambulant Angeli. Pro hominibus, dum mortali in vita degunt, necesse est, velimus nolimus, relinquere viam mediam, quæ est sensuum & Spiritûs.

## IV.

QUod si de Voluntate sermo sit, cujus sit varios Orationis tempore affectus elicere, quid dicendum erit? an quòd etiam hoc ex capite in via sensuum consistat, qui meditatur, consistat verò in via spiritûs, qui contemplatur?

Hæc profectò est res ipsissima. Ita pronuntiat sine ambagibus Author, quocum nobis res est. Et idcirco non perpendens, quòd affectus sensiles, cùm referuntur ad excitandum denuò Spiritum, ad illum animandum, inflammandum, non tam dicendi sint affectus sensiles, quàm affectus Spirituales, omnes communi sententia damnat non sine felle, affirmátque *sensibilitas remora est, quæ omnium ferè spiritualium volatum sistit, eósque in Oratione retrorsum agit.*

Itane sensibilitas remora est, quæ volatum spiritualium sistit? Hanc ego assertionem citra discrimen non concessero. Quòd si spirituales in Oratione pro fine habent solatia

latia sensibilia, delicias sensibiles, admitto. Quod si spirituales solatia hæc, delicias has sensiles non habent pro fine, sed tantùm ut media referunt ad vigorem Spiritûs restaurandum, tum sensibilitatem spiritualibus remoram esse nego ac pernego, & pernegabo tam diu, donec plus crudelitatis induam: id enim nî fecero, quid dicam de Sanctis illis, qui nihil agunt crebriùs in oratione, quàm ut amoris oscula figant Christi in crucem suffixi vulneribus, quàm ut suis circa illa affectibus indulgeant, ut suspirent, singultiant, ingemiscant, & calidis illa rivis abluant? Miseros illos! necesse est omnes eorum affectus & sensa, sensibilia esse non spiritualia. Quid autem? si omnes isti damnantur ad classem & agmen euntium viâ exteriore, his quoque annumerem necesse est Magdalenam illam, de qua Christus ipse ore suo pronuntiavit; *lacrymis rigavit pedes meos:* & quòd *ex quo intravit, non cessavit oscula ripedes meos.* Magdalenæ autem jungendi in eâdem damnatione, qui qualescunque sunt? Catharina senensis, Gertrudis, Genovefa, Teresia, Bonaventura, Bernardus, Taulerus & tam multi alij, quibus tantum erat negotij cum Christi vulneribus, à quibus avelli non posse videbantur, ut inde sugerent illud nectar suavitatis, & devotionis, quo ipsa præquàm flos ullus alius abundant. *Si flores quærendi sunt, ubi promptiùs invenientur, quàm in dulcissimo Christo? manifesti sunt flores virtutum & vulnerum ejus. Consurge nunc, & elevare anima mea, & alis Fidei & Spei ad hunc hortum caritatis enitere, & totum mentis intuitum per varia dispersum, in unum collige, ac apum sedulitatem imitans, ad conficiendum mel devotionis, ad Paradisum caritatis ascende. Sed volandum est per singulos Paradisi istius flores, & singulorum folia sunt sugenda, nunc ad dexteram, nunc ad sinistram, rivulos*

Luc. 7. v. 45.

S. Bern. libell. de Pass. Dom c. 44.

*los sanguinis spargentem. Undelibet* (audis? Bernardus est, qui loquitur) *undelibat quærenda devotio est.*

Quid proin ad hoc idiomatis genus dicunt acerbi illi & crudi Spirituales, qui non verentur, perinde ac si nullius momenti ea res esset, damnare sine ullo discrimine omne sensibile non distinguendo actus, in quibus sensibile finis rationem habet, ab iis, in quibus non nisi medij rationem habent ad spirituale tanquam finem?

Quid ergo dicunt illi? Ecce quid dicant. Dicunt, quòd ad viam exteriorem pertinet, *loqui de DEO:* ad viam exteriorem *examine particulari ad vitiorum extirpationem incumbere:* ad viam exteriorem, *examine particulari virtutes excolere:* ad viam exteriorem, *uti ex parte sua variis industriis idoneis ad proficiendum in via spiritûs, ut sunt carnis maceratio, cinctus asperi, jejunia, sui diverberationes;* ad viam exteriorem, *crebrò ardentes divini amoris actus elicere:* ad viam exteriorem, *studere solitudini & silentio;* ad viam exteriorem, *præsentem sibi fingere DEUM, repræsentando illum Phantasiæ penicillo nunc ut Medicum, aliàs ut Pastorem, iterum aliàs ut Patrem, aut ut Dominum;* Quæ fuit industria tantopere olim laudata à S. Teresia. Ut rem verbo, ad viam exteriorem: *facere omne illud quod artis aliquid & Meditationis habet.* Et idcirco tandem concludunt, quòd etsi hæc via mala non est, eâ tamen ad Perfectionem per venturus sit nemo, imò ne passum quidem unicum promoturus. In proœm. 7. Med. sup. orat. Dom.

O Beati Cælites, quos video tanto studio hanc triviſſe viam, quomodo tandem vos evasistis Sancti, & Sancti tam conspicui, Sancti tam inclyti, si vos hâc viâ nec passum quidem unum ad Perfectionem profeciſtis? Unquámne exiviſtis hac semitâ, etsi exteriore? Haud sanè.

Imò caviſſetis ſemper ſtudioſiſſimè, ne pedem extra illam poneretis. Et quâ id causâ? an non ſatiùs erat ambulare ſemper viâ tantùm interiore? *Hæc eſt via*, quæ hodie vocatur, *verè Spiritualium: & hi*, ut affirmari audio, *ſunt illi, qui ſemper ambulant ſpiritu ſublevato ad præſentiam Domini mediâ Fide purâ, ſine imaginibus, ſine formis, ſine figuris, ſed magna cum ſecuritate & fundata*, in quo? in DEO? non, non: *fundata in tranquillitate*, quæ tam repentè mutari poteſt in tempeſtatem; *in quiete interiore*: quam tam bellè imitari & ſimulare poteſt malignus ille ſpiritus, qui vocatur Conciliator ſomni.

Sed ego jam porro nihil ſubibo laboris; ſi enim meditando ambulo per viam exteriorem, ambulo per viam ſimilem illi, per quam ambulant omnes illi, qui ſacras venerantur Imagines; omnes qui pro ſacro Tribunali ſe accuſant; omnes, qui divina ſe Dape paſcunt; omnes qui primo quoque mane DEO in ſacris Altaribus Sacrificium incruentum offerunt, non rarò illa dulcibus lacrymis aſpergendo. Et quicunque hæc faciunt, nunquam paſſum unum in perfectionis ſemita promovebunt.

O vituperia! O Cenſuras! O Calumnias nimis quàm ignominioſas, quibus laceſſuntur Animæ tam DEO addictæ! ſed cur ego ſenſum tam acrem præ me fero? an non in eo ago perperam? agerem enim verò perperam, ſi amoris me proprij ſpiritus tam vehementer commoveret. Verùm ego moveor, aut certè moveri mihi videor, pio Zelo tuendi honorem, non meum (quid enim intereſt hunc lædi?) ſed totius Eccleſiæ, Matris meæ cariſſimæ, pro quo propugnando non tantùm atramento viliſſimo, ſed ſanguini etiam meo parcere non debeo, ſed libens volens illum

pro-

profundere, atque utinam vel iste alicujus esset pretij, quamdiu meus est!

Ubi tandem, per Superos, docuit Sancta Ecclesia, quòd quisquis opera facit, quibus aliqua sensuum exercitatio conjuncta sit, nunquam vel passum unum promovere possit in via Perfectionis? Imò Animæ magis studiosæ perfectionis illæ ipsæ sunt, quas ipsa magis dignas existimat iis actionibus, quibus aliqua sensuum exercitatio conjuncta est: dum Animæ perfectionis magis studiosæ sunt, quas Sanctissimorum in Ecclesia mysteriorum & Sacramentorum usu magis dignas judicat. *Perfectorum est solidus cibus; eorum qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni & mali.* Hebr. 5. v. 14. Scio hîc sensuum nomine Apostolo venire internos. Sed nónne ist ipsi sunt, quibus semper utitur, qui meditatur? an enim, qui meditatur, manibus, oculis, auribus, naribus utitur? sensibus ille internis utitur. Accipit ille, non diffiteor, argumenta circa quæ sese exercitet, etiam ab eo, quod sensuum exernorum organa ipsi repræsentant. Sed quid hinc incommodi? Ad Divinum honorem conspirent oportet, sensus omnes, quos donavit nobis DEUS, sive externi, sive interni illi sint.

## VI.

QUando Christus mulieri Samaritanæ affirmavit, venisse jam tum tempus, quo veri DEI adoratores adoraturi ipsu essent in spiritu & veritate: *Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate*: Quid eâ verborum formulâ indicare nobis voluit? Num ille fortassis improbare obliquè voluit omnem cultum religionis, qui DEO exteriùs exhibetur? improbare Imagines? im- Joh. 4. v. 23.

probare figuras? improbare formas? improbare actiones omnes, quotquot uspiam essent, sensibus objectas, & omnes veros Patris adoratores inducere ad illum solo cultu & veneratione interna afficiendum? Hoc est ipsissimum, quod Calvini Sectatores cuperent, qui his Christi è verbis arguere ausi sunt, Christianos, si DEUM, ut debent, adorare velint, adorare illum debere in pura Fide. *Evellenda est Hæresis Calviniſtarum, qui in ſpiritu & veritate adorare interpretantur ſolâ adorare Fide.* Ita hoc loco Maldonatus monuit. Non igitur hoc est, quod Christus verbis istis innuere voluit. Quid ergo? edisseret id nobis S. Thomas; nimirum quòd veri adoratores adoraturi essent Patrem *præcipuè* in spiritu & veritate; non *unicè*. *Loquitur Dominus, quantum ad id, quod eſt principale in cultu divino, & per ſe intentum.* Ejus rei ratio est: quia olim Judæorum plerique sistebant in cultu illo externo, quem DEUS ipsis præscripserat, in illis oblationibus, illis hostiis, illis lotionibus, illis peregrinationibus, illis orationibus, quibus idspectabatur, ut eorum in animis excitaretur amor erga bonum illum Dominum, qui ipsorum causâ descensurus erat è cælo in terras, ad eos redimendos, & non progrediebantur ad conjungendos cum actionibus illis externis actus internos venerationis, submissionis, æstimationis, desideriorum ardentium, tanto DEO debitos, quíque debebant esse spiritus illius corporis, & veritas ejusmodi repræsentationis. Deinceps autem, dixit Christus, aliter res se habituras, plerosque enim Christianorum longè pluris facturos, id quod internum, quàm quod externum est. Non tamen idcirco externum damnandum penitus, tanquam infructuosum: cultus siquidem externus necessarius est in quacunque Religione, non minùs quàm internus; cùm il-

la de-

Maldon. in Joh. c. 5. n. 23.

2. 2. q. 80. a. 7. ad. 2.

la debeat esse nota; & idcirco sicut inter Judæos deesse non poterant ritus quidam ac cæremoniæ externæ, ita nec apud Christianos deesse possunt; etsi utrique non idem significent. Judæorum siquidem ritus id significabant, ipsisque revocabant in memoriam, quòd venturus cælo esset Servator, qui eos redimeret; nostri autem Ritus ac Cæremoniæ signa sunt ejusdem jam cælo lapsi, & tanta nostro bono passi, ut his excitati signis eum agnoscamus, & rependamus absque fine gratias pro favore omnem æstimationem supergresso.

Si proinde his in foliis, debito cum respectu ac reverentiâ, aperire me oportet & explicare, quod sentio, huic ego Idiomati & loquendi rationi conformare me nequeo; quæ tamen hodie nonnullis spiritûs Magistris tam est familiaris. Necesse est collocare se aut sistere coram DEO in pura fide; necesse est transigere tempus fide: necesse est stare conjunctum cum DEO continuò, sed in pura fide. Legi nonnihil in operibus Sanctorum, qui tractant argumentum Orationis, nec tamen invenio illos ejusmodi vocabulo sic passim usos: imò nescio an unquam eo usi sint. Hoc saltem certum, eos nunquam isto usos in sensu, & fine excludendi omnes alios actus, etsi inter se diversos, amoris, agnitionis, laudis, pœnitudinis, doloris sinceriſſimi, oblationis, qui omnes cum actu Fidei optimè jungi possunt, quin illa semper omnium eorum vicem suppleat. Quare cùm hoc Fidei puræ vocabulum cœptum sit valde usurpari ab Hæreticis, ab iis approbatum, æstimatum, aut saltem ab iis abusu corruptum; quomodo tandem hodie eodem tanquam basi solidissimâ, niti & illi superædificari potest tota fabrica, seu ædificium Contemplationis sacræ? Et ego repeto, hoc vocabulum ad sensum meum planè, penitús.

nitúsque nihil facere; novi siquidem perbene, Apostolum usum vocabulo cordis puri, conscientiæ puræ, manuum puratum, quibus ille indicavit puritatem ab omni labe; nunquam tamen scio usum illo altero Puræ Fidei.

Quam enim quæso vim habet hoc epithetum *Puræ* adjectum *Fidei*? mundámne & nitidam significat Fidem, an verò Fidem solam? si mundam & illimem, valdè superfluum est: neque enim potest esse vera nostra Fides, & non esse munda ab omni sorde: Fides siquidem ipsa est, quæ hominem purgat ab omnibus falsitatibus, quibus adeò
Act. 5. v. 9. fœdatum illum invenit: *Fide purificans corda eorum.* Si autem significat solam fidem, quæ tandem laus est ista? an non melior est fides comitata ratiocinio ipsam reverito? comitata Scientiâ, Sapientiâ, Experientiâ DEI, comparatâ usu contemplationis, Amore, Dolore, Contritione, & pluribus actibus reverentiæ erga illum, etiam externis, quàm sit fides sola, derelicta tanquam in quadam, ut sic dicam, Insula, in interno? Verum est, quòd cùm se subtrahit DEUS, & sicca sunt in Anima omnia, debeat illa scire regere se etiam cum sola Fide. Sed aliud est dicere nobis, quid sit agendum, cùm nolentes versamur in ejusmodi statu; aliud quòd ipsi nostrâ optione debeamus nos collocare in tali statu. Prius illud est, quod docemur à Sanctis, dum monent, tempore penuriæ & caritatis, debere nos vivere solâ quadrâ Fidei, cùm hæc sit sufficiens ad nos sustentandos & alendos: *Justus autem meus ex fide vivit.* Posterius illud est, quod tantopere jactant Hæretici, dum prædicant, nihil aliud unquam, præter unam Fidem esse curandum.
Hebr. 1.

Jure ac meritò reprehendi mereor, si in re tanti momenti non ostendo, quòd loquar tam constanter, támque solidè,

solidè, quàm res ipsa postulat: unde ab eo, qui hæc leget, veniam postulo, si hac occasione palàm facio magnam illam æstimationem, quam quemlibet Ecclesiæ filium habere decet, non eorum tantùm, quæ intus sunt, sed eorum quoque, quæ foris; quamvis hæc aliqui tam nihili faciant, ut dicant esse viam Incipientium: sic enim manifestum faciam, quàm falsum sit, solam potiùs Fidem æstimandam, quàm Fidem conjunctam illis actibus etiam sensibilibus, quos in suum obsequium admittit.

# Caput IV.

## *Quanti facere debeant Fideles veri omnes non interiora tantùm, sed etiam exteriora, dummodo rectus servetur Ordo, quo sensibile referatur ad serviendum Spirituali?*

### I.

IN omni arte excellenti ratum fixúmque habetur, quòd summi conatus denique plus obsint, quàm prosint. Hinc Pictores egregij, qui præ aliis proclives sunt ad ostentandum, quantum ipsorum mens ac manus possint, lata velut lege conatus eos fugiunt: nec minùs, proportione suâ, illos fugiunt Sculptores ac Scriptores; & præ his qui sublimem ac veram Eloquentiam profitentur. Rationem autem ejus rei hanc esse arbitror: quia cùm Ars id spectet, ut imitetur naturam, videtur ista nimis superbam se prodere, quando non tantùm æmulatione animosâ illam assequi, sed etiam superare laborat. Cete-

Ceterùm ejusmodi documentum censui ego nonnunquam negligi in arte omnium artium præstantissima, quæ est Ars Perfectionis Christianæ. Finis hujus artis est, abducere hominem ab externo ad internum, à sensili ad spirituale, ut hac ratione DEO reddatur quàm fieri potest similimus. *Spiritus est DEUS, & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare.* Sed hîc quoque conatus extremi fugiendi sunt. Et quinam isti sunt? hi nimirum, qui tendunt ultra fines Perfectionis, quam mortali hac in vita homo consequi possit, conando efficere hominem fidelem, non solùm internum, sed ipsam adeò, ut sic dicam, interioritatem: non solùm spiritualem, sed totum spiritum. Hoc aliud non est, quàm Arte velle superare naturam ejus Perfectionis, quam DEUS ipse homini in terris præscripsit, quando obligavit quidem illum *ad adorandum in spiritu & veritate, sed principaliter*, ut explicavit S. Thomas, *non unicè & purè.* Et idcirco hoc semper quàm constantissimè præ oculis habendum, quòd nunquam debeat sejungi internum ab externo, & sensibile à spirituali; sed ad id tantùm eniterndum, ut externum serviat interno, & sensibile spirituali; secùs si fiat, non conatus tantùm ad Perfectionem, sed conatus extremi tentantur, qui denique omnem artem ex nobili in superbam & fastuosam faciunt degenerare.

Joh. 4. v. 19.

Quid tandem est, si veritas cordi nobis est, ob quod judicari debet, cum Perfectione Hominis carne compacti pugnare quod externum est aut quod sensibile, si modò prudenter inter se ordinentur? Si causam investigamus, ob quam DEO tam multiplicem exhibemus cultum internum religionis, reverentiæ, obsequii, quantus nobis à Religione nostra imperatur, quam illam esse dicemus? an

quòd

quòd sit necessitas, quæ nobis incumbat suam DEO Gloriam ejusmodi honoribus augendi? Negat hoc & pernegat Angelicus. Est enimverò ille adeò plenus gloriâ se ipso solo, ut omnibus donare possit: *Plena est omnis terra gloriâ ejus.* Exhibemus nos illi honorem nostro maximè commodo; hoc enim cultu mens nostra subditur DEO profundiùs, & non habitu tantùm, sed actu; atque hac ratione ipsa perficitur. Indubitatum siquidem est, omnem subjecti perfectionem in eo consistere, quòd superiori suo perfectè sit subjectus; ea omnino ratione, quâ aër soli. Et idcirco hanc perfectionem DEUS spectavit, voluitque ut in nostrûm quolibet resultaret ex illo cultu interno, qui ipsi impenditur. *Nónne DEO subjecta erit Anima mea?* Hîc porro necesse est cum eodem Sancto Doctore observare, quòd mens nostra ad hoc ut DEO se conjungat, debeat quodammodo manu duci ad ipsum à rebus sensibilibus, ab Imaginibus inquam sensibilibus, à figuris sensibilibus, à formis sensibilibus, ab actibus sensibilibus: *Invisibilia enim DEI, per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur.* Et sic interno cultui externus conjungendus est, omne scilicet illud, quod nobis adjumento est ad excitandum, stabiliendum & augendum interiorem. Atque hoc posito actus Religionis interni primarij sunt; ipsi enim nos formaliter perficiunt, dum faciunt adorare DEUM *in spiritu & veritate.* Actus Religionis externi secundarii sunt; ipsi enim sunt, qui ad internos nos ducunt. Hoc autem non obstat, quò minùs æquè perfectè operari possit, qui exercet actus externos, quàm qui internos; dummodo illi retineant rationem mediorum, isti autem rationem finis.

2. 2. q. 81. a. 7. c.

Psal. 5. 6. v. 19.

Rom. 10.

Hoc ostendo, imò ad oculum demonstro. Omnis illa virtus, quæ nos cum Perfectionis laude impellit ad

quærendum aliquem finem, quiscunque ille sit, impellit etiam non minore cum perfectione ad quærenda & adhibenda illa media honesta, quæ ducunt nos ad talem finem. Ut causâ exempli; Virtus quæ filium impellit ad amandam & recuperandam sanitatem amissam, ad obediendum parenti, qui hoc desiderat, impellit etiam eundem perfectione prorsus æquali ad adhibenda omnia pharmaca externa, potionum, ferri, ignis, abstinentiæ rigidæ &c quæ ab arte eum in finem præscribuntur. Eadem virtus, quæ impellit intus militem ad procurandam victoriam, impellit etiam simili perfectione, ad arma exacuenda, & perpolienda. Eadem virtus, quæ literarum studiosum intus impellit ad scientias acquirendas, simili perfectione eundem impellit ad Authorum etiam libros quærendos, ex quibus illas hauriat. Eadem virtus, quæ Judicem intus impellit ad ferendam pro tribunali sententiam æquam, non minori cum perfectione illum inclinat, ut abdat se se dies totos in Bibliothecas, ad intimas causæ fibras pernoscendas, ad speculandum, rimandum, scribendum: cùm ea semper virtus, quæ nos cum perfectione inclinat ad volendum finem, eâdem perfectione propendere faciat ad illa media, in quibus mali nihil sit, quæ ducunt ad talem finem, etsi in his mediis non consistat præcipuè perfectio, consistat autem in assecutione finis. Hoc ratiocinio id duntaxat præstiti, ut Angelici Doctoris mentem explicarem, quam his ille verbis proposuit. *Unus & idem subjecto motus voluntatis est, tendens ad finem, & in id, quod est ad finem. Cùm enim dico, volo medicinam propter sanitatem, non designo nisi unum motum voluntatis. Cujus ratio est, quia finis ratio est volendi ea, quæ sunt ad finem.* Sic ut si finis perfectus est, perfectus etiam sit ille actus, qui amat media servientia ad talem

1.2.q. 11. art. 4.

lem finem. Nunc ad rem noſtram, Dubium non eſt, quin perfectio cultûs DEO exhibiti potiſſimùm conſiſtat in interno: *ſed non ideò ne paſſum quidem unum poteſt promovere ad perfectionem*, qui ſub idem tempus multâ curâ & diligentiâ utitur in externo. Quisquis amat crebrò admodum loqui de DEO; quisquis attendit ſolicitè, ut eliciat identidem actus variarum virtutum, ad earum habitum obtinendum, aut ad extirpandas imperfectiones, utitur variis induſtriis ad rem aptis ordine non interrupto; qui veſtitur aſperè, comedit modicè, ſe diverberat rigidè; qui quærit præſentiam DEI ſub vario ſchemate, nunc Medici, nunc Paſtoris, nunc Patris, nunc Domini, aut qui alias ſimiles actiones exercet, tam nullius pretij & usûs æſtimatas, tanquam imperfectiſſimas, non ob aliud, quàm quia ſunt *induſtriæ exteriores*, ſunt *mortificationes exteriores*, ſunt *macerationes exteriores*, ſunt *exercitationes exteriores*. Et quid refert? externæ iſtæ exercitationes multum ultra modum promovent internas. *Mens enim humana indiget ad hoc* 2.2. q. 81. *quòd conjungatur DEO, ſenſibilium manuductione*, juxta do- a. 8. in c. ctrinam Angelici. Et idcirco ſi perfectum quid eſt velle finem, qui conſiſtit in Exercitationibus internis: eodem modo perfectum quid eſt velle media, quæ conducunt ad talem finem: quæ ſunt exercitationes externæ, quarum ſupra meminimus: *Finis enim eſt ratio volendi ea, quæ ſunt ad finem.*

Non ego hîc digrediar ad unum aliquod peculiare harum exercitationum genus, ut demonſtrem, quantum ex illo exiſtat emolumenti; neque enim hoc ad propoſitum noſtrum facit. Non tamen poſſum omnino tacitus præterire opera pœnalia, quorum onere ſpirituales iſti noſtri penitus liberos, modis pluribus expreſſis, volunt omnes,

aut suppositos, aut præsumptos Contemplativos, ut in ipsis cum corde otioso, etiam corpus sine ulla molestia sit. Et unde per DEUM doctrina hæc nova, quòd vera Contemplatio naturâ suâ respuat omne genus asperitatum sponte assumptarum? Alia omnia aliunde docemur. S. Maria Magdalena, quæ fuit idea vitæ Contemplativæ, fuit non minùs Idea vitæ semet excruciantis. Rationem ejus rei dedit S. Teresia. Quando enim Anima in cellam vinariam profundè penetrat, talem inibi vigorem imbibit, ut abunde ipsi sit, quod etiam in corpus transfundat. Inde est, quòd in DEI Ecclesia plerumque Contemplatio comitem habuerit asperitatem vitæ; ut videre inprimis est in tam multis antiquis Eremi incolis; subinde autem in S. Benedicto, in S. Bernardo, in S. Brunone, in S Francisco, & primis ejus tanti fervoris Sodalibus, in S. Dominico Patriarcha, in S. Dominico Loricato, & non multo ante hanc nostram ætatem in S. Petro de Alcantara. Scio non deesse, qui ad contrarium asserendum authoritatem afferat viri in hoc genere utique magni, S. Ignatij inquam, qui in suo Exercitiorum libro asserat, *in via Purgativa esse necessarias Pœnitentias, quas in via illuminativa oporteat moderari, & multo magis in via unitiva.* Verùm sicut iste citavit Sancti Librum in quo verba hæc inveniri indicat, sic utinam etiam pro sua humanitate locum indicâsset! liberâsset me illo labore sedulò investigandi, & subinde non inveniendi. Si opera ejusmodi pœnalia non alium ob finem fierent, quàm vel ad purgandam à vitiis Animam, vel ad præservandam, tunc nec ego diffiteri possem, illa rectè prioribus duabus viis relinqui. Verùm quia tanta cũ laude exercentur amore Christi Servatoris, tam atrocem pro nobis necem passi, ut advertit idem S. Ignatius, non video, quomodo non etiam in via

Mans. 7. c. 4.

Addit. 10.

Unitiva,

Unitiva, perinde ac in quavis aliâ, locum inveniant; salvâ tamen semper in omnibus harum actionum normâ ac regulâ, prudenti moderatione, seu discretione, qua sine virtus omnis moralis in vitium degenerat. Et hæc scilicet prudens moderatio illa est, quam Sancti hortatu in Exercitiis spiritualibus consulere & sequi oportet, maximè versùs Mensis, Exercitiis præscripti, finem, quo vires non parùm fractæ aliquo levamine opus habent. De reliquo quis unquam vixit magis unitus DEO, quàm Apostolus Gentium? eò erat progressus, ut exclamatet: *Quis nos separabit à Caritate Christi?* Et tamen hic mortificationi internæ ad extremum usque junxit etiam externam: *Semper mortificationem JESU in corpore nostro circumferentes, ut & vita JESU manifestetur in corporibus nostris.* Quonam igitur ex capite affirmari potest, Perfectionem aliud non postulare, quàm ut Anima se sistat præsenti DEO in Fide pura? ut ibi duret in Fide pura, ut procedat in Fide pura, ut teneat cor illi semper unitum, sed in Fide purâ? quin imò exigit Perfectio, ut omnes certatim illis utantur mediis, quæ quisque majoti sibi adjumento esse experitur ad se conjungendum DEO. Neque enim quilibet hac in vita ita est conjunctus DEO, ut necesse non habeat arctiùs illi conjungi; nisi tamen ipse supremum omnis Perfectionis apicem conscenderit, id quod sine manifesto circa Fidem errore affirmari de nullo potest, fuítque is error Beguardorum, & Beghinatum, quos damnavit Synodus Viemensis, coacta authoritate Clementis V. glorioſæ memoriæ. *Non quòd jam acceperim* (sic ad Philippenses scribit Apostolus) *aut jam perfectus sim: sequor autem, siquo modo comprehendam.* Tam ille sibi procul à meta & bravio abesse videbatur. Et nos homuli cogitabimus nos jam eò perveniſſe, unde ultra eniti

Rom. 8.

1. Cor. 4. v. 10.

In Clement. ad nostram de Hæret.

Philipp. 3. 12.

non possimus, sic ut sufficiat, tenere coronam jam manibus prehensam? O Præfidentiam animosam! Enimverò non tantùm singuli mortalium opus habent, nese patiantur ab intima cum DEO conjunctione divelli, sed ut arctiùs semper arctiúsque, dum vivunt, ei conjungantur.

## II.

IDcirco magno animo repeto & inculco, etiam exercitationes externas, utut sensibiles, quales sunt, quarum ante meminimus, & quarum adhuc meminisse possemus, quæ ex se pravæ non sunt, dummodo referantur ad spiritûs commodum & profectum, non esse contemnendas, tanquam Incipientium proprias, sed æstimandas, sed probandas, laudandásque tanquam omnibus, quotquot sumus, longè utilissimas. Et quâ id causâ? hâc nimirum, quia quotquot sumus, opus habemus, si S. Thomas non erravit, ut quod externum est, adminiculo nobis sit ad internum. Et idcirco quamdiu arctiùs conjungi DEO potest homo, semper eo indigebit, cujus ope in hac cum DEO conjunctione possit proficere.

Non negaverim quidem ego, quòd ad Orationem sufficiat homini, quòd noverit per fidem, habere se præsentem sibi DEUM. Dico tamen imprimis, eum damnandum non esse, qui fidem ejusmodi in se animet Imaginibus, ut cùm sibi imaginatur; se undique cinctum DEO, ut piscículum aliquem profundo in mari; aut quando videre sibi videtur DEUM prægrandi & pleno majestatis in solio locatum: aut quando in cunis vilibus, aut coram Prætore nefario, aut infami Crucis trunco suffixum inter Latrones. Deinde addo, actum illum Fidei bonum quidem, non tamen sufficientem esse, ne Contemplativis quidem,

dem, ad obtinendam quovis tempore Conjunctionem cum DEO, quæ nos præparat ad experiendam ejus præsentiam, ad illum affectum, illum amorem, illam oblectationem etiam sensibilem, quæ ex tali conjunctione redundat. Quid præstat, posse dicere in oratione: *cor meum exultavit in DEUM vivum.* An verò dicere: *cor meum & caro mea?* Ego quidem vellem posse dicere cum Davide: *cor meum, & caro mea exultaverunt in DEUM vivum.* Sunt autem actiones internæ, quæ spectant ad cor; externæ, quæ ad corpus pertinent, sicut censuit S. Thomas in ea Psalmi verba: *sicut interiores actus pertinent ad cor, ita exteriores actus pertinent ad membra carnis.* Et hodie adhuc audiatur, aliquis, qui ita unicè laudet interiores, vituperet exteriores, addita divisione planè imaginariâ viæ interioris & exterioris, quæ tamen inter se non pugnant? Quin imò divisio ejusmodi rectà impugnat & ferit exultationem illam, ob quam tantas DEO gratias agit Sanctus Rex David, dum ille interiora cum exterioribus tam egregiè conjunxit ad quærendum DEUM, & idcirco vicissim à DEO non in externo minùs, quàm interno studij sui præmium accepit.

Psal. 84. v. 4.

2. 2. q. 81. art. 7.

Et tamen (ô infelicitatem illius, quicunque in scriptione sua contentus est multa dicere, pauca probare, & nullam adhibere diligentiam in distinguendo, ubi tamen res postulat!) qui Meditationem appellavit viam exteriorem, satis non habuit appellare eam tantùm *viam Incipientium*, *viam imperfectam*, *viam inutilem*, *viam sensibilem*, *viam, quæ non tam sit via, quàm impedimentum ad perfectionem:* sed eò etiam progressus est, ut appellaret *Viam animalem.* Perinde ac si de via animali unquam lætari potuerit Sanctus ille Rex, qui meditando tantopere exardescebat gratissimo igne cælesti, ut intus ac foris totus inflammaretur.

retur. Itane vita animalis vocanda est, sensibile illud, quo non ob aliud utor, quàm ut propiùs ad DEUM accedam? Non ita est; non ita erit; hæc est via spiritualis, talem enim illam judicârunt Patres omnes, hoc ipso, quòd ex fine de quocunque actu ferendam sensentiam censuerunt. Agnosco deesse mihi Authoritatem illam, quæ plenam hac in re fidem conciliare mihi posset. Succedat igitur ad vices meas supplendas Toletus ille, qui tantâ fuit eruditione ut vadimonium pro me obire abunde possit. *Omnia opera, etiam exteriora, quæ ex interiore spiritu fiunt, ad eundem pertinere spiritum sacri Doctores semper senserunt.* Sic ille affirmavit Authoritate illâ tantâ, quâ dignus habitus est, ut prærogativo jure à Sede Apostolica donaretur, edendi in lucem quamcunque suam lucubrationem, quin tamen illam cujuscunque alterius, quàm suimet judicij censuræ deberet subjicere. Et tamen hodie sit invenire dein aliquem, qui *vitam animalem* appellet illam ipsam, quam tam communi consensu Sacri Doctores spiritualem indigitârunt! Ego parte mea protestor, quòd nolim unquam sciens digredi, ne passum quidem unicum, à concordi & perpetua Patrum omnium doctrina. Si unquam digrediar, haud sanè sciens digrediar.

In Jo. c. 4. num. 201.

Distinguam idcirco, & dicam: illam esse vitam animalem, quando quis ita sectatur devotionem sensibilem, ut ab ea una trahi se sinat. Et ita dicere solitus erat S. Philippus Nerius: non esse autem vitam animalem, cùm quis sensibili illa devotione ut famulâ utitur, eámque post se trahit. Primum illud proprium est Incipientium, qui non plus boni operantur, quàm ad quantum sensibili illecebrâ trahuntur. Alterum proprium esse debet tam Incipientium,

L. 2. c. 12.

pientium, quàm Proficientium, quin & Perfectorum, qui illecebrâ ejusmodi utuntur ad plus boni operandum.

Multo autem minùs dicam etiam, quòd vita animalis sit ipsa adeò devotio sensibilis: secus enim non solus David, sed complures Sancti, qui longâ annorum serie vixerunt in sensibili pietatis in DEUM fervore, vixissent tunc vitam animalem. In S. Philippo Nerio tanta fuit copia devotionis sensibilis, ut geminæ circa pectus costæ sinum illum capiendo gaudio dilatarent. Quid autem porro hinc colligitur?

Vera devotio non consistit in sensibili: ita est, & nemo id ignorat. Potest tamen vera & genuina devotio esse etiam illa, quæ plurimum habet de sensibili. Vera devotio in hoc consistit, quòd efficiat habentem tanquam navim, quæ, quiscunque demum ventus aspiret, ad portum obfirmato animo vult tendere. Ecquid tamen damni aut impedimenti ex eo nascatur, quòd constanter aspiret Zephyrus suavis, blandus, propitius, qui ad portum impellat? Sufficit ad hoc Fides; dabo istud. Atqui sufficit etiam perito Nauclero pixis sua nautica, in quâ magnetica lingula polo suo constanter obvertitur, ut rectà ad portum tendat. Quis nihilominus unquam erit ille Nauclerus, qui solâ suâ acu contentus sit, præterquam in sævis tempestatibus? Quamdiu licebit, ô quâm ille volens libénsque admittet ventos secundos, quos illi DEUS destinet! Sola acus servatur ad cursum gubernandum, cùm desunt cetera.

Hinc quoque devotio sensibilis Zephyri instar est, quem optare & benè & malè possumus; benè, ad progrediendum, malè ad oblectamentum. Sed quod hîc de malo est, non ex ipsa devotione est, sed vitio illâ abutentis.

Rectè illâ utitur, qui eam cupit ut medium, utile ad excitandam in se pœnitudinem feriam: aliter si esset, damnare oporteret Sacerdotes omnes, qui Sacrum facturi preces illas fundunt, quibus Ecclesia vult peti non tantum rivos, sed & flumina lacrymarum. Malè illâ utitur, qui eam ut finem amat; quo in illam studio ferebatur Religiosus quidam ignorans, qui cùm de ariditate quereretur, quam experiebatur in via spirituali, quam magno exemplo vivebat, eò tandem est progressus, ut nocte quadam inter preces DEO dicere non dubitaret. Si tanto ipse tempore barbaro alicui & fero homini servîsset eâ diligentiâ & accuratione, se benigniùs haud dubiè ab eo, humaniùsque fuisse tractandum, quàm ad eam diem à DEO esset habitus. Quâ quidem suâ eruditate promeruit, ut confestim aspectabilis teter ex Orco genius prægrandi armatus furca solatium illi afferret, dignum voluntate tam sui commodi in DEI obsequio studiosâ.

O quàm oportet in rebus hujus argumenti solerter cuncta discernere, ne denique quis ad insaniâ redigat mille animas miserabiles, quæ nesciunt ampliùs ubi pedem figant, ex quo mediâ è semitâ, quæ sola secura est, seductæ sunt!

Isa. 30. v. 21. *Hæc est via: ambulate in ea, & non declinetis neque ad dextram, neque ad sinistram.*

An autem media via est, dicere, quòd qui meditatur, vitam ducat animalem (perinde ac si uti sensibili, & sensuali una eadémque res sit) & quòd nemo, nisi qui contemplatur, vitam vivat spiritualem?

III. Nun-

III.

NUnquam, si vehementer non fallor, tam generatim omne sensile damnandum est. Illi probari nec debent, nec possunt, qui sistunt in sensibili, ut facit, qui per fenestras otiosus & iners prospectat; non qui eò accurrit, ut panem egenti porrigat; ut videat, quis pulset, ut adoret DEUM, qui Eucharistico in ferculo ad ægrum defertur. Sensuum nostrorum organa spiritûs fenestræ sunt. Non igitur damnandus est spiritus, quoties has ad januas accurrit, aut ibi tantisper moratur. Tunc improbanda sunt ejus studia, quando in his modum ac limites non servat.

Quis igitur dixit nonnullis, quòd quisquis meditatur, semper in solo sensili hæreat, inutiliter, imperfectè: perinde ac si aliud meditando non spectet, quàm sensibus solatij aliquid indulgere? Hoc supponitur, non nego, non tamen probatur. Quin imò meditationis operâ, animus ratione convincitur, persuadetúrque illi, pugnare cum obsequio, quod DEO debemus, servire illi causâ devotionis sensibilis; sed rem postulare, ut serviatur ipsi, etiam cùm sicca, cùm arida sunt omnia; quin etiam tum, cum animus à tali obsequio planè abhorret; quod quidem belli & prælij tempus est.

Verum est, orationem teneram, dulcem, delicioſam, blandam & gustûs plenam, sæpe animabus concedi sub initia vitæ melioris; cùm hac illas DEUS sibi lucrari velit. An tamen idcirco Oratio ejusmodi aliam nomenclaturam non meretur, quàm præclaram hanc *Animalis?*

Quoties deinde concedi illa à DEO potest non tantùm ut illecebra Incipientium, sed etiam ut esca & nutrimentum Proficientium in via spirituali? Et tamen vel tum erit

via *Animalis*, quia non desinit unquam esse sensibilis? Nota res est, quòd DEUS ita se gerat cum servis suis, sicut nos gerimus in terris cum Mesloribus, quibus laboris quidem mercedem servamus ad finem operis, non tamen omittimus illos interdiu refocillare, & liberali refectione inter laborandum animos addere: *Nimirum & operariis hujus seculi* (S. Bernardi verba sunt) *solet cibus in opere, & merces in fine dari.* Id autem si ita est, an tum DEUS dicendus est tractare servos suos ut pecudes, quandocunque eos in Oratione simili modo reficit sensili aliqua consolatione? Pudet me vel scribere talia: & tamen facere non possum, quin scribam, ut errorem eximam animabus tam multis quibus tot leges spiritûs traduntur, pugnantes cum omni recta ratione. Contemplatio (non supposititia illa & spuria, quam istæ leges docent, & in affectata quadam omnium actuum cessatione consistit, sed vera) an non est Oratio omniũm, quæ in terris haberi possint, longè suaviſſima, & jucundiſſima? *Delectatio Contemplationis omnem humanam delectationem excedit*: si S. Thomas falsus non est: in ea enim admiratio & amor sese conjungunt ad spiritum certatim quodammodo beatum reddendum. Certum omnino est, Meditationem contentiſſimam futuram, si ipsi liceret colligere per intervalla micas, quæ cadunt de mensa hujusce Reginæ; tam illa lauta ac splendida est. Quid ergo dicendum? nonne igitur ipsa etiam Contemplatio erit *via Animalis*? O effata, quæ & cum recta ratione, & cum Iustitia pugnant! *Cor meum & Caro mea exultaverunt in DEUM vivum.* Non ea habenda est ratio oblectationis sensilis, fateor, ut ejus causâ unquam accedatur ad orandum: hoc enim esset servire DEO pro denario, quem nobis largitur. Verum tamen non est, quòd pugnet cum perfectione,

Serm. Ecce nos reliquimus omnia.

2. 2. q. 180. a. 5.

fectione, eam admittere, & libenter quidem: hoc enim est damnare eum, qui accipit à DEO in ejus obsequio denarium: isto autem quid absurdius? *Dignus est operarius mercede sua.* Luc. 15. An contra Perfectionem agit ille Medicus, qui suis pro functionibus mercedem accipit? ille Artifex, qui pretium laboris? Ille Advocatus, ille Concionator, qui suâ pro operâ non respuunt aliquam compensationem? maximè si non aliam, quàm quæ identidem sponte offertur, ut vitam inter labores sustentent? Cur igitur contra perfectionem agere dicendus est, quisquis non respuit omnem oblectationem sensilem, quam DEUS, ut mercedem, porrigit in oratione sibi fideliter servienti? Non ea fuit S. Gregorij sententia, qui audiens ex Christo: *Dignus est operarius mercede sua*: perpendit, quòd *de mercede operis sunt ipsa alimenta sustentationis.* Hom. 7. in Evange. Et idcirco ejus loci interpretationem attulit, suo dignam ingenio, divinam inquam, & sic scripsit. *Qua in re considerandum est, quòd uni nostro operi duæ mercedes debentur, una in via, altera in patria. Una quæ nos in labore sustentat, altera quæ nos in resurrectione remunerat. Merces ergo, quæ in præsenti accipitur, hoc nobis debet agere, ut ad sequentem mercedem robustiùs tendatur.* En igitur quid requiratur, ut cum Perfectione accipiamus à DEO alimenta in ejus famulatu: ut nimirum illis utamur ad augendas in ejus obsequio vires. Et idcirco si quis magna cum virtute respuere illa potest, maximè cùm abundant, non idcirco, qui illa non respuit à perfectione deficit, ut falso supponit, qui eodem modo & æqualiter damnat omne sensibile, quin ullum faciat discrimen inter sensibile, quod intenditur ut medium; & sensibile, quod ut finis procuratur. Hinc avertat à me bonus DEUS, ut unquam admittam & recipiam generatim & citra excep-

ptionem illud axioma, quod promulgat idem Author ut extra omnem controversiam positum. *Fixum igitur ratúmque sit, quòd necesse sit ante omnia, tollere omnem sensibilitatem, ad ambulandum per viam interiorem.* Nihil veritatis inest huic axiomati. Nam & Sancta Ecclesia, & omnes Synodi, & omnes Canones cum omnibus Doctoribus Sanctis doctrinam tradunt huic è diametro oppositam: dum illa præcipit, ut nullibi non in DEI cultu juncta sint sensibile & insensibile, insensibile ut finis, sensibile ut medium: *ut dum visibiliter DEUM cognoscimus, per hunc in invisibilium amorem rapiamur.* Si sensibilitas manum mihi porrigit, ut ipsius adjutorio ambulem viâ interiore, quomodo ad ambulandum statuendum mihi est certissimò, tollendum ante omnia esse omne sensibile? Dicat, qui hæc inter se combinare noverit. Potéstne unquam aliqua de DEO in via interiore percipi oblectatio, sine ullâ operâ sensuum, præterquam fortè in raptu aliquo prodigioso, qualis ille creditus est, quo Apostolus tertium in cælum raptus est? *Nemo videns DEUM, vivit istâ vitâ quâ mortaliter vivitur in istis sensibus corporis.* Sic S. Augustinus censuit. Atque adeò ego quidem cavebo diligentiâ quâ quantâque possum, à sensualitate; hæc enim me impellit ad malum: à sensibilitate utut cavere vellem, nescirem tamen quâ ratione id consequi possem.

2.2. q. 75. a. 4. & 5. q. 184. a. 5.

Super Genes. ad lit. l. 12. c. 27.

## IV.

NOn separentur igitur in oratione, quæ præcipuè ad DEUM colendum refertur, duæ hæ viæ interior & exterior, sed conjungantur, sive Intellectum spectemus, sive voluntatem: neque enim unquam aliter agere potest homo,

mo, si naturam suam spectet, quàm ut identidem interiora promoveat per exteriora. Et idcirco, sicut nemo hortari debet captivum, ne solis luce & calore fruatur duntaxat per fenestras, sed prodeat in apricum: cùm aliter, quàm per fenestras, frui illis non possit: sic nemo etiam mortalium quemquam hortari debet, utpote mortali hoc in carcere captivum, ne vel Intellectu vel voluntate gaudeat DEO, ministerio sensuum, dum nisi hoc ipso sensuum ministerio, non potest se attollere ad gaudendum illo, ne quidem in Contemplatione altissima, nisi rapiatur in Ecstasim. Imò hac ipsa de causa rectè hortamur illum, ut utatur operâ sensuum. Quæ enim causa facit, ut captivus cum laude gaudere velit radiis solaribus, eadem facit, ut cum laude gaudere illis velit per fenestras, quæ sunt medium ad finem, qui est, gaudium ex sole præsente.

Et ut dicamus, quod res est; quid faciet tandem ista via interior, ut è diametro ponitur pugnare cum via exteriore? aperiámne? En rem ipsam paucis.

Interior via Contemplantium aliquorum opinione aliud non est, quam Concentratio quædam amoris plena, alicujus contenti stare in Fide coram DEO præsente. In hoc DEUS est, ut ipsi dicunt, qui agit; & idcirco cùm se subinde occasiones offerunt, advertit se homo præter spem avulsum à vitiis, dotatum virtutibus, quin vel ipse scire possit, quid & quomodo in se actum fuerit.

*In via exteriore, nos agimus*, & idcirco non facimus quidquam boni; ubi enim nos operamur, *quantumcunque operamur, & laboramus, facere nihil possumus, quod non sit imperfectio & miseria*. An hæc loquendi ratio ferri debeat, non discutio: Dico tamen.

In

In via Interiore DEUS est, qui operatur, in via exteriore operamur nos? Neque DEUS sine nobis operatur in via interiore, neque nos sine DEO operamur in exteriore. *Non ego, sed gratia DEI mecum.* Idcirco si hîc nomenclatione operum imperfectorum illa veniunt, quibus tantùm deest aliqua Perfectio, tam sunt imperfecta, quæ fiunt in via interiore, quàm quæ fiunt in exteriore: contrarium enim asserere, gravis error est. Nemo mortalium summum perfectionis apicem ullo suo actu assequitur. At si per opera imperfecta illa intelliguntur, quæ non tantùm imperfecta sunt imperfectione negativa, ut sunt, de quibus jam nunc locuti sumus, sed imperfectione positivà, qualia sunt opera mala; pari modo gravissimus error est affirmare, omnia opera, quæ facimus, in via exteriore, esse imperfecta. In cælo enim merces rependetur millenis actionibus externis, quales sunt, dare stipem indigenti, diverberare se, abstinere à carnibus, peregrè ad loca sancta abire, de noxis se accusare, divinâ Dape se pascere, cruciatus ac mortem pro Christo obire: nec tamen unquam ulli actioni pravæ merces dabitur. Atque idcirco geminæ hæ viæ, sic explicatæ, rectà ducunt in præcipitia.

An non igitur, Amice dilectissime, justa me causa movit ad asserendum, his in viis necessarium cuique esse, aperire oculos, & solicitè attendere, quo ducatur? *Est via, quæ videtur homini recta, & novissima ejus ducunt ad mortem.*

Mira sanè res: Sancta Teresia, tam ceteroquin amans Contemplationis Mysticæ, aliud omnibus suis in libris non egit, quàm ut Animabus inculcaret cooperationem immediatam, quam DEO debemus in omnibus etiam possibilibus actibus nostrarum Potentiarum, nisi hæ nullâ nostrâ arte à DEO vinciantur. Et sint nonnulli, quorum omnis

conatus

conatus tendat ad evertendam talem cooperationem; trahendo omnia ad unum documentum, ſtandi in Fide! nam etſi magnas virtutes, quod non nego, requirant, media tamen omnia ad illas conſequendas auferunt.

O quàm longè igitur novi iſti Contemplativi abeunt à via regia, tot Sanctorum veſtigiis tritâ!

Atque idcirco inculco denuo, nimis quàm æquum eſſe, ut Directores Animarum ſuæ curæ commiſſas promoveant ad ſacram Contemplationem, quando certi eſſe poſſunt, quòd jam à DEO ad illam incipiant vocari. Æquum tamen haudquaquam eſt, ut eas dirigant & promoveant ad eam, quam novi iſti docent, tam longè à vera alienam.

# Concluſio Operis.

## I.

NOn referrem, fateor, integrum operæ & operis pretium, niſi ſub ejus finem legenti porrigerem clavem, cujus ope liceret intelligere libellos illos parvulos, quos ad examen vocavi.

Affirmare poſſum, me in illam certò incidiſſe, etſi non quærerem. Subinde autem cùm tentarem ejus ope aperire nunc hunc, nunc illum locum, deprehendi, illam planè veram eſſe Et talem certus ſum quòd illam etiam experturus ſit, quisquis illam prudenter ſine arte & fuco voluerit tractare, non autem nimiùm obliquè torquere.

Advertendum proinde est, quòd isti libri, utut videantur scripti ad exaltandam Contemplationem, denique tamen non hunc solùm effectum producant, aut præcipuè. Alium producunt, & illum fortassis efficaciùs: Contemptum nimirum Meditationis. Non quòd hanc impetant ictibus directis; hi enim, quoad ejus potest, aut vitantur, aut suspenduntur: sed ictibus indirectis, quales illi sunt, quibus una bilanx altetius nimio pondere attollitur, quique ex comparatione nascuntur. Igitur non vituperando in illis meditationem, nisi hâc, plenâ sensus ac doloris, arte comparationis, quæ vel maximè suam cuique miseriam & abjectionem aperit, extollitur supra ipsam Contemplatio omni occasione, tanquam gradu, virtute, utilitate, sine comparatione, illâ superior, sive Intellectum respiciamus, sive Voluntatem. Inde supponitur imprimis, quòd Meditans spectet tantummodo profectum exteriorem; Contemplans verò profectum interiorem. Et hac super basi eriguntur deinceps turres altissimæ disputationum ad æstimationem conciliandam Contemplantibus, minuendam meditantibus, eo planè, ut apparet, fine, ut omnes intelligant, hos tenere duntaxat viam exteriorem, tanquam meros hypocritas; illos verò ambulare viâ interiore tanquam totidem spiritus omnis terrenæ concretionis expertes. Atque hæc quantum ad Voluntatem.

Ad Intellectum dein quod spectat, ut certum ponitur, meditari aliud non esse, quàm studere, seu circa objectum propositum totâ ingenij acie speculari, ut idcirco meditantes majori conatu, quàm fructu consumant se miseri, fatigentur & angantur in quærendo inutiliter extra se illo DEO, quem mox ac vellent in se ipsos verti, & secum solis occupari, essent inventuri. Hîc autem aperit se campus deri-

deridendi non sine aculeo & argutiis Meditantes, haud secus ac si Sancti, quos per omnem vitam meditandi studio deditos fuisse constat, inepti planè ac stolidi, contenti fuerint omnem oculorum aciem defigere ad spectandum Regis palatium, Regis figuras, omnem ejus apparatum, characteres ab eo exaratos, quin tamen unquam cum Rege ipso agerent.

His ita stabilitis proceditur ad excitandos passim omnes, ad expetendam Contemplationem, summis eam extollendo laudibus, perinde ac si ejus unius beneficio hac in vita liceat agere cum DEO. Atque hîc in medium proferuntur multa pulchra, utilia, vera, falsò tamen attributa illiContemplationi, quæ subinde docetur: neque enim hæc est pulchra illa, utilis, ac vera, sed potiùs Contemplatio aliqua fictitia; qualem omnino necesse est esse illam, ad quam expetendam Mortales omnes provocantur. Ecquis ignorat, ex ipsa adeò Apostolica schola tres duntaxat fuisse quos secum Servator ad Thaboræi montis apicem duxerit? reliqui hæserunt ad radices montis, ut ibi reducem è culmine Magistrum expectarent, etsi tanta ceteroquin caritate eos complecteretur.

Non negant tamen Magistri isti, ad obtinendam Contemplationem, summi semper sine ulla dubitatione æstimatam, præmitti debere diligentem à vitiis purgationem. Si enim ad ascendendum in montem minùs altum, qualis fuit, in quo Servator ad Concionem dixit, necesse est robustis tibiis ac pedibus esse; *Priùs unusquisque sanandus est, ut paulatim, virtutibus procedentibus, ascendere possit ad montem.* S. Ambr. in Luc. l. 5. c. 6. Quantum requiretur ad conscendendum illum tanto magìs arduum, tam sejunctum, ubi sua se in gloria Christus spectandum objicit? Quia tamen vel per incuri-

am, vel studiosè non attenditur ad illud *paulatim*, quo hîc S. Ambrosius utitur, ponitur, quòd ejusmodi purgatio generatim, & respectu quorumcunque, paucorum mensium spatio absolvi possit: perinde ac si ejusdem operæ esset cor, ac corpus purgare. Posthoc, quia vanum est sperare, quòd Personæ tam multæ plurimis distractæ curis, infimæ, hebetes, promittere sibi possint illam Contemplationem, quæ genuina est, multa excogitata sunt vocabula splendida, in speciem concinnata, quibus deluderentur. Et quia sublimi illo in Contemplationis genere cessat omnis exercitatio facultatum interiorum, quæ ceteroquin multum laboris adjunctum habet, alliciuntur Animæ bonæ, docentúrque suspendere suo arbitrio, dum orant, actus illos omnes, à quibus vera Contemplatio semper abstinet, sed virtute supremæ illiùs admirationis, aut amoris, quibus facultates suspensæ tenentur.

## II.

HUnc ad finem mirabiliter aptum visum est nomen Quietis. Isto enim duplex Quietis genus significatur: prius cessatio tantùm quædam est & otium ab omni labore, ad quod nemo non, quantumvis abjectæ mentis, aspirare potest: alterum non est positum in nihil agendo, sed est quoddam summi solatij gaudium, quâ fruitur res quælibet, ubi ad centrum suum pervenit; quod quidem mortalium paucis admodum commune est. Quia autem Animæ hebetiores duplicis ejusmodi Quietis discrimen minùs capiunt, incredibile dictu est, quàm bellè ambiguâ hac significatione ipsis imponatur. Et idcirco inducuntur ad existimandum, quòd ubi in Oratione pertigerint ad sopien-

das

das omnes suas facultates, & ad cessandum ab omni exercitatione, facultatis imaginatricis, Intellectûs, quin & Voluntatis, omittendo omnes actus, saltem iteratos, quibus antea occupabantur, jam totam simul acquisiverint illam Contemplationem, quâ fruitur Quies illa perfecta, tanquam præcipuâ suæ felicitatis parte, ad quam illa cessatio accessoria tantùm est, & nequaquam potissima.

At hinc jam existunt difficultates duæ fortissimæ, quæ eos impugnant, qui tale Orationis genus volunt persuadere.

Prima est, quòd Quies ista otiosa & cessatrix, non afferat oblectationem, ubi ab illa suo solatio immersâ, sejuncta est: & licèt aliquanto tempore pigris & dormitantibus Animabus ingrata non sit, procedente tamen tempore tædium generat & fastidium, quin & extremè cruciat: cùm denique nihil sit, quod animum, naturæ suâ vivacem, ita dejiciat, atque iners otium, ubi hoc durat diutius.

Huic malo de magnis remediis prospectum est: & idcirco deliberato consilio complura impenduntur folia, ad extollendam felicitatem statûs, in quo degunt Animæ, quando reductæ sunt ad ariditatem, siccitatem, & subtractionem; cavetúrque solerter, ne Animæ istæ etiam tum discernant inter illam privationem, quæ vel cum, vel citra noxam suam ipsis accidit.

Et verò res mihi videtur planè insolens, hortari tantâ solicitudine eos, qui Orationem Quietis assecuti sunt, ad ferendam siccitatem & ariditatem; cùm tamen Oratio Quietis illa tandem sit, quæ Animam solatio cæleşti & oblectatione complet. Eos, qui meditantur, hortari oportet, ut ferant fortiter sterilitatem, ut fecit S. Teresia; eos, qui

Contemplantur, ita animare non decet: nisi quando Contemplans per vim affectat Contemplationem, suspendendo suas facultates, dum DEUS eas relinquit in statu, in quo & ipsæmet agere aliquid possint, & vires suas reparare. Et quòd ita res habeat, intelligamus ex magna illa Incipientium Magistra: *Non sunt istæ*, inquit, *non sunt istæ Mansiones, in quibus Manna pluit; longiùs ad has progrediendum est, &c. Omnis prætensio ejus, qui Orationi se dedere incipit, esse debet, laborare.* E diverso, ubi illa tractare incipit de vera Oratione Quietis, quomodo locuta est? sic locuta est:

Manſ. 2.

Manſ. 4. c. 1. *Proprius effectus hujus Orationis est suavitas, quàm ponit in Anima. Suavitas*, non *siccitas*. Monuit tantùm, medium necessarium perveniendi ad hanc Quietem esse, illam non procurare. Et idcirco de hoc negotio alibi sic illa locuta

Vit. c. 5. est: *Nonnunquam in Oratione initium aliquod habemus devotionis, quæ venit à DEO, & sicum hoc initio* (ô verba & doctrinam præclaram!) *nos ipsi, & per nos, progredi volumus ad istam Quietem voluntatis, tum enimvero experientiâ discimus, quòd à nobis ipsis sit procurata; neque enim ullum effectum producit, citò finem accipit, & relinquit post se aridi-tatem.* En igitur causam, ob quam hodie tam sedulò inculcatur, ut feratur siccitas in summa Contemplatione: docetur nimirum Contemplatio veræ penitus dissimilis, fictitia, simulara, artificio procurata. Dissimulatur studiosâ oblivione id, quod etiam monuit hæc ipsa Sancta:

Manſ. 4. c. 4. h. e. *Quando sua Majestas vult, ut Intellectus ratiocinari desinat, aliter illum occupat, & dat illi quandam claritatem, quoddam genus cognitionis, tanto superius illo, ad quod nos pervenire possimus, ut planè attonitus hæreat.* Neque hoc tantùm dissimulando prætermittitur. Sed insuper Contemplatio appellatur, nudum illud stare in DEI præsentia,

quin

quin quidquam cogitetur. Et ubi hoc successerit cum Oblectatione Animæ, divinis solatiis præventæ, Oratio ejusmodi definitur: *Oratio quietis Mysticæ sapida.* Ubi sine his solatiis fuerit, definitur: *Oratio quietis Mysticæ suavitatis expers.* Aut ut in aliis gradibus illam describunt: *Oratio Quietis siccæ seu sterilis.* Quietis nimirum, cui deest constitutivum suum præcipuum, quod est, gaudium Animæ bono præsenti planè contentæ. Et hinc ponitur ista lex. *Quòd Oratio Quietis Mysticæ suavitatis expers in usum redigi possit cum solo adjutorio gratiæ Fidelibus omnibus communis. Quòd Oratio Quietis Mysticæ sapidæ, non fiat sine gratia præter communem ordinem data.* Quæ quidem effata omni fundamento carent. Neque enim sistere se præsentem DEO unquam fuit existimatum sufficere ad constituendam perfectam Contemplationem. Ad hanc constituendam præterea requiritur summa quædam Admiratio, & Amor, quæ hominis mentem suspendant. Et hæc nunquam potest esse sine gaudio, etiam ineffabili. *Contemplativa vita amabilis valde dulcedo est, quæ super semetipsum animum rapit.* Ita S. Gregorius sensit.

V. Jac. Alv. de Orat. p. 2. c. 2. n. 5.

Super Ezech. ho. 14.

Secunda difficultas hæc est, quam patitur Anima multo majorem, non ex cruciatu quem patitur, tolerando indefessè quietem istam otiosam, quæ ipso labore molestior est; sed ex anxietate & scrupulo. Omnino enim videtur sibi, id quod est ipsissima veritas, facere jacturam temporis, quod tanto fructuosiùs meditando semper posset transigere.

Atque huic profectò seriò occurrendum est omni artis vi & ingenio. Artium autem istatum pleræque adjutæ & ipsæ sunt splendore & pompâ vocabulorum, eum in finem collectorum, ut sint quasi primi satellites semper ad defen-

sionem

sionem parati. Negatur igitur ante omnia, quòd hoc sit perdere tempus, stare in præsentia DEI.

Et quia, qui pugnant pro meditatione, reponere possent, eos etiam qui meditantur, in divina se collocare præsentia, respondetur illis, meliùs esse collocare se in hac præsentia obtutu fixo, transigere tempus in fide pura, conjungere se DEO quàm arctè quisquam alius, non tamen nisi in pura fide: perinde ac si DEO conjungere se in pura fide non possit, qui animo illum repræsentat sub formis minùs generalibus, sed dilucidis atque distinctis; sed ille duntaxat, qui illum sibi repræsentat cognitione tam confusâ, quàm confusam humana mens concipere possit.

Si vellicat animum religio, quòd non addantur fidei actus alij compures, qui cum illa nequaquam pugnant, jubent penitus ponere ejusmodi curam propterea, quòd summa illa ab omnibus actibus cessatio virtute in se contineat tacitam quandam protestationem, quam de suo nihilo Anima coram DEO faciat: quæ quidem protestatio tacita plus valeat, quàm expressa, quæ in ejusmodi statu fieret.

Verùm vocabula, quantumcunque splendida ac speciosa, humanum denique animum minimè expugnant (cùm hic manus non det, nisi rationibus, quibus obsistere ultra non possit.) Sed ipsum figunt quodammodo, non vincunt.

Cùm igitur resisti ultra non possit difficultati, quam experiuntur Animæ in spontanea hac ab Actibus cessatione, eò denique proceditur, ut permittatur mentes occupare error quidam palpabilis: quòd scilicet hac in re omnis nostra cooperatio nullius planè momenti ac valoris sit. Atque ita, quantum spectat ad Intellectum, dicitur, quòd omnis mixtura cujuslibet scientiæ ad aliud non prosit, quàm

quàm ut impediat illud bonum, quod nobis divina Sapientia luminibus infusis afferret: hinc est, *quòd verus Contemplativus nolit cognoscere cognitione propriâ, sed tantùm cognitione DEI.* Quod autem spectat ad voluntatem, dicitur, quòd omnis ille profectus, quem conamur facere actibus nostris, imperfectus sit, inutilis & vanus. Inde *verus Contemplativus non vult amare amore sibi proprio, sed amore ipsius DEI.* Non dicitur quidem quòd oporteat permittere operari solum DEUM; neque enim quisquam facilè est, qui claro die errores sine ulla larva producere amet; cùm sic sui horrorem generent. Sed quod non dicitur verbis tam disertis & claris, dicitur saltem obliquis, & quæ re ipsa tantundem valeant: qualia sunt hæc: quòd in via interiore operetur DEUS, & idcirco tantus fiat profectus: in via verò exteriore operemur nos, & idcirco nihil fiat, quod non sit mera miseria. Et denique ut obtemperetur extremæ illi necessitati, quæ omnes adstringit, ut, quando loquuntur, loquantur consequentur, sive ut posteriora cum prioribus cohæreant, laudatur solùm illud studium, quo utitur homo in via interiore; vituperatur, aut saltem deprimitur, in contemptum, & ludibrium adducitur, quidquid agit homo in via, quam ipsi exteriorem dicunt.

Cujus rei causa est, quia in hoc apparet magis, quòd homo ibi concurrat & cooperetur ad aliquid ex se ipso faciendum: in illo autem apparet minùs: unde videri potest minùs cautis, quòd DEUS sit, qui se solo ibi operetur sine homine, loquendo illi semper ad cor, illud illustrando, inflammando, erudiendo, nec aliud desiderando ab ipso, quàm ut ipse quietus adstet, & solum illum loqui sinat.

Denique quia nihil est, quòd magis teneat Animas deditas Meditationi, quàm vita Christi Servatoris, quæ est

verus Paradiſus terreſtris, in quo nullo non die novi legantur fructus, quibus ſpiritus refocilletur; novi fructus, quibus reſtauretur; eſt, qui ferre non poſſit morem tam laudatum, & idcirco poſitâ larvâ, denique facere non poteſt, quin prorumpat in verba illa inaudita, a nobis jam confutata & rejecta non ſine ſtomacho: *ad quid paſcere ſe identidem illis myſteriis, illis miraculis, illis verbis* JESU *Chriſti?* Et quia proprio arbitrio ceſſare penitus ab omnibus actibus facultatum internarum non cohæret cum hoc, quòd quis objiciat identidem animo Chriſtum ſanguine undique perfuſum, nunc in horto, nunc ad columnam, nunc in Cruce, ut faciunt, qui meditantur; egregium hoc & memoratu dignum documentum traditur: *quòd ſatis ille de Chriſto cogitat, qui cogitat de* DEO.

Atque hæc eſt clavis, quâ ſolâ ſcrinia iſthæc rectè aperiri poſſunt, & quod latet, ſpectari; quod tamen, quamdiu illa clauſa ſunt, non apparet, nec videtur.

## III.

CEterùm quî uſum aliquem habent doctrinæ, â Sanctis traditæ, facilè vident, hos ejusmodi regulis non eſſe uſos.

Summis illi laudibus extulerunt Contemplationem, ut meretur: Quia tandem Contemplationi ſupremæ Veritatis (ut S. Thomas luce illâ quâ præditus erat eximiâ demonſtrat) tanquam fini ultimo ſerviunt, & ad eam referuntur reliquæ hominis dotes omnes, in quantum aut removent obſtacula, quæ obſiſtunt Contemplationi, aut illi adminicula ſubminiſtrant.

Cont. Gent. l. 3. c. 37.

At Sancti ſummis his Encomiis extollendo Contemplationem, non tamen vituperârunt unquam Meditationem; tanquam

tanquam dedecentem quemcunque Mortalium statum, etiam perfectorum: quin imò dixerunt, incumbere cuilibet, eâ uti, contemplando, quando potest, & quando contemplari non potest, meditando: quin imò eò processerunt, ut quasi miseratione tangerentur (id quod S. Teresia fecit) eorum, qui ob gratiam Contemplationis, quam acceperunt, sensim tandem eò reducuntur, ut etsi velint ratiocinandi facultate porro uti, non valeant. Cùm enim hæc Contemplationis gratia stabilis non sit (ut à nobis monstratum est) fit, ut deficientibus favoribus & donis, quæ confert Contemplatio, modus ampliùs non suppetat hæc ipsa supplendi, saltem in parte, spiritui propriis quodammodo sumptibus alimenta subministrando.

Meritum, quod quis assequitur, dum persistit in oratione tempore siccitatis instar stipitis, maximi à Sanctis æstimatum est: non tamen idcirco proprius Orationis Mentalis fructus ab iis est repudiatus. Proprius fructus est Refectio mentis. Et idcirco nunquam illi voluerunt, ut hæc quies, quæ consistit in voluntaria cessatione à propriis actibus, in Oratione sit perpetua. Desiderârunt tantùm ut ille ametur per intervalla, quando tempus est audiendi DEUM cum attentione, dum nobis ille dat signum, quòd ipse denique loqui nobis velit, & non ampliùs aures nobis præbere; ut facit Princeps aliquis, postquam jam abunde supplicum petitiones in eorum admissione intellexit. Hac de causa S. Teresia cautissimâ illâ suâ prudentiâ ad propositum argumentum ita scripsit. *Id quos nos agere debemus in secessu interno, est, pauperum more coram magno aliquo Imperatore rogare, & fixis confestim humi oculis expectare cum animi demissione. Et quando nobis arcanis ejus viis videmur intelligere, quòd nos ille auscultet, tunc expedit tacere. Quoniam* Mans. 4. c. 3.

*niam ipse passus est, nos sibi vicinos adstare: nec tunc ab re erit, curare ne quid agat intellectus: loquor de casu, quo hoc facere possimus. At ubi cognoscimns, quòd Rex iste nondum nos audierit, etsi videat, non oportet nos adstare inertes & stupidos &c.* Tam Sancta ista procul abfuit, ut poneret tanquam certum, quòd, modò nos DEUS flexis coram se poplitibus adstare cernat, sufficiat hoc ad constituendam perfectam Orationem, ne quidem in gradu secessûs interni, de quo ibi S. Magistra tractat. Progrediamur ulteriùs.

Non parùm etiam celebrârunt Sancti statum subtractionis, ariditatis, siccitatis, sed non ut se ipso optabilem potiùs, quàm sit status felicitatis & abundantiæ. Quin dixerunt, quòd siquando nos deprehendamus in tali siccitatis statu, maximè tempore Orationis, discutiamus nos ipsos, ad videndum, an nostrâ culpâ ea acciderit? Et si qua culpa fuerit detecta, provideamus nobis purgando animam nostram à defectibus admissis, utendo ejus facultatibus, Phantasia, Intellectu, Voluntate, ad officio nostro exactiùs, & majori cum cura satisfaciendum. Quando culpa nulla apparet, tunc feramus illam alacri animo: sequendo ea in re exemplum Colonorum, qui semper hilares esse consueverunt; hilares hieme, hilares æstate; æstate quia vident flores & fructus; hieme, quia illos sperant; & tanto ampliùs, quanto magìs gelu & glaciem vident in agris dominari. Sicut tamen Coloni solent magis esse hilares æstate, quàm hieme; sic etiam indoli personarum spiritui deditarum conformius est, magìs esse hilares tempore abundantiæ sensuum, luminum, lacrymarum, suavitatum, quàm tempore subtractionis, nec ab iis exigendum est, tanquam quid majoris pretij & utilitatis, ut quantum

tum est ex se, eligant potiùs in Anima rigidam hiemem, quàm æstatem jucundam: unde scripsit S. Teresia: *quòd si nunquam esset hiems, sed semper aura temperata, sic ut nunquam flores aut fructus deessent, bene apparet quantum voluptatis inde hortulanus perciperet.* Vitâ c. 18. Nec illa unquam ætate sua damnavit ullum hortulanum ob ejusmodi oblectationem, modò hæc non sit animi elati, qui sibi adscribat delicias temporis aut floridi, aut fertilis; sed sit animi grati & memoris, unde ea fertilitas proficiscatur.

Ferre potiùs omnem derelictionem, quantumlibet longinquam, quàm velle meditari; nè quis redeat (ut hodie aliqui loquuntur) ad vivendum vitâ sensuum, figurarum, formarum, & actuum propriorum, postquam Contemplatione jam est mortuus; nescio quis unquam veterum Sanctorum ut legem sanxerit. S. Teresia doctrinam cum ejusmodi lege pugnantem constanter tradidit, principem illam secuta regulam, quæ jubet deficientibus majoribus solito adjumentis è cælo, nullo modo infra se ducere, facere, quod quis possit cum auxiliis solitis. Quòd autem nihil hîc illa docuerit indignum Magistræ nomenclaturâ, authoritate sua affirmat Richardus à S. Victore, qui, cùm pluribus explicâsset, quòd Anima evecta ad summam Contemplationem sit illa, de qua in sacris Canticis magnis vocibus clamatur: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto deliciis affluens, innixa super dilectum suum?* ad rem nostram ita tandem pronuntiavit. *Verumtamen qui ad hanc gratiam profecit, cùm eam sibi ultra solitum subtrahi jam sentit, est quod facere debeat. Debet propriis Meditationibus cordis in se exultationem reparare.* Cant. 8. 5. L. 5. de Contem. pl. c. 17. Quod est effatum, ex quo illud insuper colligitur, Meditationem non solùm damni nihil afferre contemplationi figuris, formis, actibus, quibus uti-

tur, sed quòd potiùs eandem efficaciâ æmuletur. Quomodo enim aliàs Meditatio reparare posset illam exultationem, antea in corde nostro Contemplationis beneficio productam, & subinde subtractam, nisi polleret virtute non multum absimili ad eam producendam?

Præterea Sancti non usi sunt vocibus in sensu, quem supra adduximus, Fidei puræ, transigendi tempus in Fide, animo rejiciendi & excludendi talibus vocibus alios actus, qui sancti comites esse possunt Fidei puræ; & velle artificio quodam tenere mentem attonitam, & absorptam, perinde ac si jam in illam Admirationem & Amorem penitus essemus immersi, cùm re ipsa nondum simus, eorum sententiâ fuit simulare Contemplationem, non verò illam possidere. Protestationes nostri nihili ab iisdem repudiatæ non sunt, imò summis encomiis celebratæ; nunquam tamen eorum testimonio dictæ sunt consistere in spontanea cessatione ab actibus, qui ejusmodi protestationibus possunt adjungi.

Vid. Jac. Alv. de Orat. l. 5. p. 2. c. 13.

## IV.

DEnique solicitè, caverunt Sancti, ne quid ipsis excideret, ex quo occasio arriperetur nihili pendendi nostram cooperationem, quæ in omnibus nostris exercitationibus, sive interiores, sive exteriores illæ sint, cum divino adjutorio conjungenda est. Asseruerunt, majorem rationem habendam interiorum, quàm exteriorum: nunquam tamen pronuntiârunt, per exteriora nos ne tantillum quidem in perfectione progredi. Imò exteriora perinde ac interiora laudârunt, ubicunque interiora rationem finis, exteriora rationem mediorum obtinerent.

Et generatim loquendo, semper hortati nos sunt, ut viribus

ribus nostris & facultatibus, quantulæ illæ cunque essent, rem nostram ageremus, novas excogitaremus industrias, rectéque locatum existimaremus omne nostrum minimum studium, quo vel tantillum in perfectione proveheremur.

Quid tandem minoris pretij fieri à nobis potest, quàm si nulla non die in Oratione sæpe sæpius profiteamur, proponamus, etsi subinde eorum animi decretorum in occasionibus non recordaremur? Et tamen S. Teresia, cùm aliquando præ se tulisset, se ejusmodi sterilia decreta parvi, aut nihili pendere, mox dicti eam pœnituit, illúdque, tanquam in rem non attenta fuisset, retractavit. *Parùm mihi commodi affert, si humano à consortio longè recedam, & eliciam actus Amoris in DEUM Dominum nostrum, promittámque ei serviendi studio patrare maxima quæque, si subinde recedens ab oratione oblatâ occasione alia omnia re ipsâ ago.* Manss. 7. Sic illa primò pronuntiârat, sed en! vix hæc illi exciderant, cùm mutata loquendi phrasi: *Malè, scribit, dixi, quòd nihil mihi prosit: cùm juvet omnis hora, quâ cum DEO moramur: & hæ propositæ, hæ oblationes prosunt multum, etsi subinde in exequendo infirmi simus. Dabit aliquando sua Majestas modum illa exequendi &c. Volui dicere, quòd parùm illa prosint comparatione majoris fructûs, qui existit cùm facta sunt actibus, qui fiunt, & verbis conformia. Idcirco quæ anima non potest facere totum simul, quod statuit, faciat illud paulatim & voluntatis vires augeat.* Hæ sunt usitatæ Sanctis loquendi formulæ, hæ animos & stimulos ad agendum subdunt.

Ceterùm repræsentare Animabus perfectionem velut in altissimis montium jugis collocatam, & subinde præferre, quod ille nihili penitus æstimetur, qui ad apicem illum tendit; quia ad illum tendit pedetentim, illum contemne-

temnere, illi insultare, illum dicteriis invadere; quia, etsi verè ad illum apicem tendat, tamen eò non evolat: hæc enimverò res est, quæ plurimis nocere possit vehementissimè, nescio autem an cuiquam aliquid afferre emolumenti.

Epist. p. 1. l. 2. Epist. 10. S. Franciscus Salesius dissuadebat vulgò lectionem quotidianam quorundam librorum, etsi ceterà probatorum, non aliâ de causâ, quàm quia, ut ipse ajebat, inceduntper summos Montium apices.

Ego propterea quamprimùm remittam tibi, Amice carissime, illos quos tu mihi misisti; cùm adverterim ipsos non solùm incedere per montium apices, sed eò etiam tendere desertâ semitâ tritâ.

Scio quòd ipsi ponant; negotium sibi cum iis duntaxat esse, qui viâ ampliùs non indigeant propterea quòd pervenerint ad terminum, quæ causa est, quæ tantos ipsis animos addit, ut asserere non dubitent, quòd quisquis assecutus semel est gratiam Contemplandi ea, quæ spectant ad Divinitatem, opus porrò non habeant redire ad meditandum ea, quæ spectant ad Humanitatem.

Verùm ego me à meta tam longè adhuc abesse cognosco, ut satìs mihi futurum sit, non deserere unquam semitam, quæ est unica ad illuc perveniendum.

Atque hoc est meum de hac controversia hominis simplicis judicium: quod ego idcirco decerno submittere judicio non tantùm tuo, sed alterius cujuslibet te multo inferioris, quem Sancta Ecclesia constituerit Censorem, Emendatorem, & Judicem omnium quæ scripsi: promptissimus ad ea, ubi res poposcerit, etiam proprio, cruore in veritatis honorem sacrificato, delenda & abolenda.

A. M. D. Gloriam.

IN-

# INDEX

## Prologus Libri.

## Introductio ad Quæstionem.

An præstet Animas ducere per viam Meditationis, an verò per viam Contemplationis? *Pag. 1.*

*Pars. 1.*

Quæ viam monstrat ad agnoscendam veram Originem discrepantium in hac quæstione opinionum.

*Cap. 1.*

Extremum ad quod declinant, qui Animas volunt ducere per viam Meditationis. *p. 4.*

*cap 2.*

Extremum eorum, qui animas per viam Contemplationis ducunt. *p. 9.* *cap. 3.*

Via media, quam Sancti existimârunt inveniri posse, dum qui orat, nunc Contemplatur, nunc Meditatur, prout DEUS hoc aut illud dederit. *p. 13.*

*cap. 4.*

Respondetur objectioni, quâ nonnulli hodierni tentârunt claudere viam mediam, docendo, quòd quisquis aliquando à DEO vocatus est ad contemplandum, nullâ deinceps ratione debeat redire ad meditandum. *p. 17.*

*cap 5.*

Manifestum fit, fundamenta, quibus hodie nonnulli existimati Ascetæ nituntur in hoc Contemplationis & Me-

ditationis negotio, aliud non esse, quàm leges arbitrarias, ab ipsismet sancitas, suæ tantummodo opinioni adstruendæ. *p. 24.*

*Pars. 2.*

Quæ Continent diversas leges arbitrarias, quas circa Objectum Contemplationis, Modum in ea tenendum, & Finem, quem spectare Contemplans debeat, novi aliqui Magistri statuerunt, ut his evincerent, Meditationem cum Contemplatione in eo, qui ad Contemplandum vocatus sit, conjungi non posse. *p. 28.*

*cap. 1.*

Discutitur lex, quam aliqui statuunt circa objectum Contemplationis, asserendo, id esse solum DEUM purum purissimum sub conceptu, quàm fieri possit, abstractissimo. *p. 28.* *cap. 2.*

Occasione firmiùs asserendi, quod sit objectum perfectæ Contemplationis, ostenditur hânc rationem Christo Servatori optimè convenire. *p. 42.*

*cap. 3.*

Perpenditur, an circa modum Contemplandi idonea regula sit, initium facere orationi spontanea suspensione trium facultatum internarum, generatim sumptarum dum homo, quoad ejus potest, abstinet ab exercitio Imaginationis, Intellectûs & Voluntatis, ut sic quietem ingrediatur. *p. 52.* *cap. 4.*

An spontanea trium facultatum interiorum in Oratione Incantatio, nomine Obtutûs fixi cohonestari possit. *p. 59.*

*cap. 5.*

Ostenditur Contemplari in hac vita mortali in nullo, de via Ordinaria, posse esse statum fixum & permanentem. *p. 71.* *cap. 6.*

*cap. 6.*

Utrum voluntaria Facultatum in Oratione Incantatio honestari saltem possit modestissimo titulo, Professionis tacitæ, quâ nihilum nostrum coram DEO venerabundi agnoscamus? *p. 79.*

*cap. 7.*

An Mysticæ Contemplationis causâ necessarium sit penitus abstinere ab omni Imaginatione? *p. 99.*

*cap. 8.*

An necessarium sit ad Contemplationem Mysticam abstinere ab omni usu Intellectûs? *p. 109.*

*cap. 9.*

An ad Contemplationem Mysticam necessarium sit suspendere exercitium Voluntatis non tantùm in oratione, sed etiam interdiu, cavendo, nè excitentur affectus repetiti devotionis, ut non amittatur obtutus fixus? *p. 119.*

*cap. 10.*

Ostenditur, quàm abritraria sit lex, quâ asseritur, quòd sine Contemplatione nemo quisquam pertingere possit ad Perfectionem; consequi nimirum finem præcipuum, qui per Orationem quæritur. *p. 127.*

*cap. 11.*

Ostenditur, quanti Meditationem fecerint homines Sancti non ad alios tantùm, sed etiam ad se ipsos perficiendos. *p. 135.*

*cap. 12.*

Retegitur ex occasione falsitas aliquorum axiomatum, quæ referuntur ad exponendos contempui eos, qui circa Christum utuntur tribus facultatibus interioribus, more potiùs eorum, qui meditantur, quàm qui contemplantur. *p. 142.*

*cap. 13.*

*cap. 13.*

Adstruitur Meditatione obtineri posse bonum illud primarium, quod est constitutivum intrinsecum Contemplationis, etsi obtineri nequeat secundarium. *p. 155.*

*cap. 14.*

Ostenditur, quàm immeritò traducantur colloquia in Meditatione, quasi id iis ridiculè spectetur, ut ipse DEUS rationibus convincatur. *p. 146.*

*Pars 3.*

Quâ continetur responsio ad propositum in libello hoc quæsitum, cum cautelis necessariò observandis, ne vera Contemplatio cum affectata confundatur? *p. 171.*

*cap. 1.*

Solutio Quæstionis, cum cautelis necessariò observandis in casibus certis. *p. 171.*

*cap. 2.*

Respondetur ad quæsitum cum cautionibus necessariò servandis cum res sunt dubiæ. *p. 186.*

*cap. 3.*

Refellitur divisio quædam arbitraria in viam Orationis interiorem, & in viam exteriorem, quæ ad id inventa videtur, ut velut Epilogo colligatur, quidquid Meditantes præ Contemplantibus contemptibiles reddit. *p. 199.*

*cap. 4.*

Quanti facere debeant omnes veri Fideles non interiora tantùm, sed etiam exteriora, dummodo rectus servetur ordo, quo sensibile referatur ad serviendum spirituali? *p. 215.*

Gonclusio & Epilogus operis. *p. 233.*

# EXPOSITIO
## PSALMI
# MISERERE

*quem*

Attenta meditatione perpendendum
cuilibet piæ Animæ obtulit
V. P. PAULUS SEGNERI SOCIETATIS JESU,
*Ex Italico Latinam Fecit*
P. MAXIMILIANUS RASSLER
EJUSDEM SOCIETATIS.

*Accedit*

Praxis Conjunctionis interioris
cum DEO
per aspirationes è Psalmis
depromptas.
Eisdem Authore & Interprete.

*Cum Gratia & Privilegio Sac. Cæs. Majest.*
*Et facultate Superiorum.*

Impensis JOANNIS CASPARI BENCARD
Bibliopolæ
Typis MATTHIÆ RIEDL Typogr.

*MONACHII,*
ANNO M DCC VI.

# Raphaelis Badij Ord. Prædicatorum, Consultoris S. Officij Florentiæ Censura præsentis libri.

SEmper plus & præstantiùs de publico bono meretur R. P. Paulus Segneri, sicut diligenter adverti etiam in hac præsenti Expositione Psalmi quinquagesimi; quod est tertium egregium opus ejusdem, à me, sic jubente hoc S. Officio, felici mea sorte recognitum, & non sine admiratione perlectum. Unde non possum non testari, quòd in hoc pleno mysteriis Psalmo, consueto suo spiritu, doctrina & pietate explicando, doceat, moveat, delectet quamcunque Animam piam, ut cum Pœnitente Davide sensa illa vivacissima, quæ in hoc Psalmo ille expressit, hîc tam profundè explicata concipiat, & cordi illa insculpat: ad quod occasionem non dubiam habebit, si prælum subeat, quod summo jure meretur, tam nobilis & egregius partus. In fidem hæc affirmo manu propria in Conventu S. Mariæ novæ, Anno 1692. 8. Februarij.

Raphaël Badius Consultor
ut supra m. p.

VER-

## Versus I.

*Miserere mej DEUS secundùm magnam misericordiam tuam. Psal. 50.*

Considera, misericortiam miseris concedi. Qui igitur non misericordiam tantùm, sed illam etiam magnam poscit, valdè ille miserum se agnoscat oportet. At quomodo tandem istud? an non iste est David, tantarum opum Rex? Negari id non potest. Quid autem interest, si ille Peccator est? Unum hoc sufficit, ut miserum hominem efficiat. Imò hoc unum est, quod talem ipsum facit. (*Miseros facit Populos peccatum. Prov. 14. 14.*) hoc enim solum est, quod illi DEUM aufert. Quid igitur tu agis, qui illum tam felicem judicas, qui præest aliis, qui genio indulget suo, qui vivit in gloria? Heu quàm falleris! *Beatum dixerunt Populum, cui hæc sunt.* Procul hoc à vero abest: Beatus est, qui DEUM in corde habet: *Beatus Populus cujus Dominus DEUS ejus. Psal.* 143. *v.* 15. Verum quidem est, quòd sicut Beatitudo ista, utpote interna tota, parùm admodum perspecta est illi, qui belluæ instar sensuum tantùm ductum sequitur, ita quàm minimum eidem perspecta sit miseria, quæ illi opponitur. Cui autem ipsa perspecta est, ô quàm ille ad primum lucis ejusmodi radium clamoribus urget DEUM, ut tanto ipsum è malo eruat! cùm solus DEUS sit, I.

qui inde eripere eum potest! Aliis miseriis alij etiam homines subvenire possunt diversimodè: Divites inopiæ; morbis Medici; Ignorantiæ Doctores. In peccato fieri aliud non potest, quàm ut opem à DEO flagitemus. *Ego sum, Ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me. Is. 42. 25.* Quare & tu, si Peccator es, sic confestim DEUM, unicum asylum tuum, alloquere: *Miserere mei DEUS secundùm magnam misericordiam tuam*; actum enim est de te, si ille miseratione tui non movetur.

II. Considera, duplici modo attendi posse DEI misericordiam: ut in se est, & ut est in effectibus suis. In se illa semper eodem modo magna est, quia infinita, sicut DEUS ipse infinitus est. *Secundùm magnitudinem ipsius, sic & misericordia illius cum ipso est. Eccl. 2. v. 23.* In effectibus & parva & magna est. Parva (sic non in se, sed comparatione alterius dicta) est, cùm DEUS miseretur nostri in illis malis, quæ pœnæ sunt, & nos ex illis eripit. Magna est, cùm progreditur ad nostri etiam in malis culpæ miserendum. Quis autem nescit, eam esse culpæ naturam ut ad iram, non ad miserationem provocet? Est enim culpa malum, negari id nequit, sicut est pœna, imò majus illâ est; sed est amatum; & idcirco magis aptum ad extinguendam, quàm excitandam miserationem, ob adjunctam temeritatem: maximè quando est malum concupitum & amatum, non scientiæ, aut considerationis defectu, sed amatum studiosâ malitiâ; quale erat malum Davidis, qui tantâ solertiâ usus est, ut adulterium cum Betsabea committeret; admissum dein occultaret, millenorum adeò hominum morte, propè muros urbis Rabba neci datorum. Quantâ igitur opus est misericordiâ, ut quem misereàtur mali, quale hoc fuit, malitiæ tam studiosæ, & illud veniâ do-

niâ donet. *Miserere mei DEUS secundùm magnam misericordiam tuam.* Necesse est, DEUM, ut ita dicam, induere viscera pietatis non consuetæ, & progredi ad excessus, respondentes tali Bonitati, qualis est divina, tam nullis terminis clausa.

Hinc David nullum ex parte suâ allegat meritum in ejusmodi misericordiâ petendâ, etsi jam inde à teneris annis non parum obsequiorum DEO præstitisset: Sed tantùm intra ejus se brachia projicit, sicut Debitor redactus ad incitas in Creditoris se brachia abjicit. Nec mirum, quidquid enim uspiam obsequiorum est, quod exhiberi DEO possit, non potest quoquo modo pondere suo æquare offensam, quæ postea à sciente & volente illata sit. Quare attende & tu, an, dum memoriâ percurris peccata omnia, totius vitæ tuæ spatio admissa, facere aliud possis, quàm dicere DEO; *Miserere mei DEUS, secundùm magnam misericordiam tuam*: aut an plus rectè factorum habeas, quàm habuerit David, quæ enumerare illi possis, ut salvum te faciat. *Non in justificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam Domine, sed in miserationibus tuis multis. Dan. 9. v.* 18. Hæc unica forsan supereſt ratio, te, résque tuas DEO commendandi, cùm vix sit alius te miserior.

III. Considera, quomodo David in gravi hoc suo flagitio, quod illum impulit ad Psalmum istum scribendum, abusus fuerit maximis quibusque, quæ DEUS in illum contulerat, donis, in injuriam ipsiúsmet donantis ea convertendo. Abusus est authoritate Principis supremi. Quando enim unquam, si DEUS ipsum apud ovium suarum gregem reliquisset, eò potuisset aspirare, ut thalamum tam nobilem, non solicitaret modò, sed insigni prorsus audaciâ violaret ac

ret atque fædaret? Perfecit hoc, quia erat Rex. Abusus est ingenij sui perspicaciâ; Hæc enim illi suggessit artes tam multas, quibus Populo subtraheret notitiam utriusque facinoris, turpitudinis nimirum, & crudelitatis suæ, saltem longo temporis spatio: *Tu fecisti abscondite; ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israël 2. Reg. 12. v. 12.*

Abusus est ipsâ morum suorum honestate, mansuetudine, modestiâ, & religione. Quam enim hoc suo honestatis studio consecutus erat existimationem, servituram sibi confisus est ad tanto faciliùs tegendam impietatem: ut Hypocritæ assolent, qui idcirco præ aliis ad mala patranda prompti sunt. Hoc cùm ita se habeat, mirari non debes, quòd David sine ambagibus sic DEUM alloquatur: *Miserere mei DEUS secundùm magnam misericordiam tuam.* Quis enim est inter homines, qui ignoscat injuriæ, suismet armis, ut ita dicam, illatæ? Belli Dux aliquis, qui ingenti auri vi, suômet à Rege acceptâ, uteretur ad legendum exercitum formidabilem contrà ipsum suum Regem, veniam sibi promittere nunquam posset. Solus DEUS pertingere potest, ad illam, etiam in tam atroci facinore concedendam; eámque concedit identidem; cùm sciat, fieri non posse, ut injuriam ab ullo mortalium, quàm eorum, quæ ipse dederit, munerum abusu patiatur. Sunt tamen hæc dona minora in aliis, in aliis majora. Unde, pro istorum mensura, crescit etiam in delinquente criminis atrocitas. Tu verte obtutum in te ipsum, & observa tantisper, ad quid tibi servierint omnia illa dona, quæ abundantiùs in te, quàm in alios DEUS contulit? Fierine potuit, ut hæc non aliud fortassis magìs in te efficerent, quàm ut animos tibi adderent ad DEUM tanto audaciùs

lacessen-

lacessendum? *Ego confortavi brachia eorum, & ipsi cogitaverunt in me malitiam. Oseæ. 7. v. 15.* Quantâ igitur etiam pro te misericordiâ opus est? Illâ opus est, in qua hîc David omnem suam fiduciam collocavit: opus est misericordiâ, qualem in solo DEO est invenire.

IV. Considera esse doctrinam non contemnendam, sed maximi æstimandam amplectendámque, eam Magnorum Interpretum, qui docent, quòd quando David DEO dixit: *Miserere mei DEUS secundùm magnam misericordiam tuam*; ejus misericordiæ nomine intellexerit JESUM; cùm sine hac jam actum de se agnosceret. Quis enim nescit, hanc fuisse misericordiam claris verbis à DEO toties promissam, hanc desideratam, hanc tot votis expetitam; hanc tanto tempore, fide tam vivâ, expectatam? *Ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis. h. e. JESUM tuum. Psal. 84. 7.* Quando DEUS summo exarserat furore adversùs mortales, ob tot injurias, quibus ab iis offendebatur, quid egit? Revocavit in mentem, ut sic loquamur, istam Misericordiam, à se mortalium generi promissam, atque ita remittebat furor: Cùm mox adverteret, quàm abundanter, vel fuso suo sanguine, JESUS omnes illas injurias, quantumlibet atroces, esset compensaturus. *Cùm iratus fueris, Misericordiæ recordaberis. Hab. 3. 2.* Certum est, ad sedandam DEI iram non rarò multum potuisse solam alicujus fidelium servorum suorum memoriam: adeò ut, cùm ita loquentem in Sina Moysen audiret: *Recordare Abraham, Isaac & Israël servorum tuorum*: facere non potuerit, quin ignosceret horum gratiâ etiam illi offensæ, quâ tum ipsum afficiebatur à Populo, vitulum aureum ipsi præponente. *Placatus est Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat adversùs Populum suum.*

*Ex. 32.* Tu igitur cogita, quid efficere potuerit Recordatio, non ſervorum tantùm, ſed Filij? Idcirco ſicut ea res haudquaquam latebat Davidem, ſic ego penitus non ambigo, quin hujus ille Miſericordiæ mentionem facere voluerit affectu prorſus ſingulari, ad DEI benignitatem provocandam. Sit igitur & tibi curæ, ut quoties deinceps Pſalmum iſtum recitabis, hujus recorderis Miſericordiæ. Si enim eſt *apud Dominum Miſericordia Pſal. 131. v. 7.* nulla enimvero iſtâ vel major eſt, vel magis DEO propria. Secundùm hanc nos apti iterum facti ſumus ad ſperandam tam vivo affectu ſalutem noſtram æternam, cùm ſine hac, qualiscunque noſtra ſpes ac fiducia, planè eſſet extincta; imò ex tam recenti ac viridi, qualis in Paradiſo terreſtri fuerat omni arido trunco aridior fuerit effecta. *Secundùm Miſericordiam ſuam magnam regeneravit nos in ſpem vivam. 1. Petr. 1. 3.*

## Versvs II.

*Et ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum, dele iniquitatem meam.*

I. COnſidera, quodnam ſit in ſacris Literis diſcrimen, quod intercedit inter Miſericordiam, de qua modò diximus, & inter Miſerationes divinas, quas hîc implorat David. Illud ſolum eſt, quod ſemper intercedit inter Actus, & Potentiam, quâ eliciuntur. *Sponſabo te mihi in Miſericordia*, en Potentiam, *& in Miſerationibus*; En Actus. *Oſ. 2. 19.* ſunt aliqui qui nonnunquam miſerantur proximum ſuum, calamitate aliquâ preſſum. Subinde tamen, quamlibet eum videant fame propè tabidum, frigore propè ene-

pè enectum, pluribus malis languentem & oppressum, manum tamen ad opus extendere nesciunt, & illum è crumena promere numulum, quo opus esset ad miseriis ejus promptè subveniendum. Hi misericordiam in animo habent, sic est! sed cui bono, si etiam miserationes non habent? Unde jure merito sacer ille Vates, cum Hebræis tenacibus & avaris loquens, satìs non habuit ipsis dicere, *misericordiam facite*, sed certo consilio dixit: *misericordiam & miserationes facite*, *unusquisque cum fratre suo. Zach. 7. v. 9.* Non enim eum latebat, quòd miseri illi sibi blandirentur de virtutibus, hoc sterilioribus, quò magis foliorum pompâ luxuriantibus. Ne igitur cogites, eodem se modo rem in DEO habere. *Multæ sunt miserationes ejus. 1. Paral. 21. v. 13.* Unde non contentus à suis vocari, *Misericors*, voluit etiam simul dici *Miserator*. *Misericors & Miserator Dominus. Psal. 110. v. 4.* *Misericors* si Habitum seu Potentiam spectes: *Miserator*, si Actus: ut constet, quòd ipse non amet otiosam habere benefaciendi potentiam, sed semper eam actu ipso exercere.

Considera, hoc, si uspiam, in venia peocatis danda II.
apparere manifestissimum. Certum est, quòd ea in re DEUS exerceat perfectissimum quem potest, misericordiæ actum. Neque hunc ipse jam solum exercet: semper enim eum producit multis aliis comitatum: quæ est res observatu digna, omniúmque, quæ cogitari possint, maximè admirabilis. Primus Misericordiæ actus consistit in plena amoris condonatione, quâ DEUS veniam dat injuriæ, etsi tam injustæ: & hic est; non ampliùs habere eum inimicum, qui illam injuriam intulit. Secundus consistit in infusione gratiæ Sanctificantis; quod est, iterum, habere offensorem illum dolentem, ut amicum; imò ut filium.

Tertius

Tertius conſiſtit in reparatione, ſeu redditione omnium donorum, omnium auxiliorum, & omnium habituum virtutum; quæ cuncta gratiam perinde conſequuntur, ac ſolem radij, aut rivuli ſcaturiginem. Quartus conſiſtit in reſtitutione juris, quod priùs poſſidebatur, ad hæreditatem, Beatitudinem nimirum cæleſtem. Quintus conſiſtit in vitâ eodem momento redditâ omnibus omnino meritis, quæ culpâ accedente videri deſierant (tanquam ad conſpectum nocentiſſimi Baſiliſci) erántque, ut vocant, mortificata. Sextus conſiſtit in augmento gratiæ; in Gratia inquam majore, quam fuerit illa, quàm peccator ante culpam poſſederat. Vel enim ille juſtitiam recipit virtute doloris & contritionis perfectæ; & tum ille ultra gratiam priſtinam, accipit infuſam à DEO illam præterea gratiam, quæ reſpondet ejusmodi contritionis merito, prout aut major ipſa, aut minor eſt. Vel recipit juſtitiam virtute Sacramenti, cum quo ſufficit dolor etiam imperfectus: & hîc, ſupra gratiam priſtinam, DEUS infundit illi præterea eam gratiam, quæ à Sacramento ex opere operato provenit, prout Sacramentum recipiens plus minúsve erat paratus. Septimus conſiſtit in augmento, proportione ſua debito donis jam enumeratis: Cùm enim horum fons ſit Gratia ſanctificans, neceſſe eſt, hâc adauctâ creſcere etiam dona, quæ ex illa promanant: haud ſecus ac appropinquante ſole creſcunt radij, & aucto fonte rivi quoque plus aquæ vehunt.

Jam autem, ſicut Davidi meliùs, quàm nobis, cogniti erant ejusmodi actus miſericordiæ, ſic ille omnium ſigillatim memor, non ſatìs habuit cum gemitu DEO dicere, *Miſerere mei DEUS ſecundùm magnam miſericordiam tuam.* Sed addidit confeſtim; *& ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam*: probè intelligens, quàm

quàm multa simul beneficia polliceri sibi posset ab inexhausta illa pietatis vena, quam venerabatur. Tibi parùm videtur, quòd DEUS veniam tibi det unius peccati lethalis; quia tu non curas ejus beneficij magnitudinem perspicere, nisi superficie tenus: si tamen tu illam sigillatim perpenderes, o quàm attonitus hæreres magnitudine gratiæ, quâ tibi noxa remittitur!

Considera quòd DEUS, ad hoc ut ostendat, quanta re vera sit illa Benignitas, quâ ignoscit peccantibus, sæpe etiam faciat, ut ubi abundavit delictum, ibi abundet & gratia: non propter illud tantùm incrementum, quod conceditur cunctis recuperantibus Justitiam (de quo paulò ante est dictum) sed propter id, quod speciali favore confert nonnullis magis sibi caris. Contingit autem hoc tunc, quando, qui peccaverat, tanto sui delicti dolore tangitur, ut inde stimulos sibi admoveat ad majorem sanctitatem procurandam. Tunc enimvero, *ubi abundavit delictum, non abundat* tantùm, sed *superabundat & gratia*: hujus enim ope mutat quodammodo naturam suam homo, & non tantùm illam reprimit ac coërcet; sic ut planè alius à se evadat: *Saliet ut Cervus, Claudus. Isa. 35. v. 3.* Sed eò etiam progreditur, ut gaudeat de contemptu, lætetur in asperis, jubilet in persecutionibus, quæ subinde experiri contingit; unum illud ad animum revocans, quòd nullum sit malorum genus, cui se obnoxium non reddiderit, dum peccavit. Hoc est peccatum mutatum in salutem, & in salutem maximam. Et idcirco quis dubitare possit, quin hoc ipsum sit, quod à DEO consequi suis his suspiriis David laboravit? & si flagitavit, enimvero consecutus etiam est; dum in tot, quæ deinceps in pœnam peccati supervenerunt, malis, in tot rerum perturbationibus, in

tot cladibus, tantis ſubinde effulſit heroicarum virtutum exemplis, quanta nemo ignorat. Tu Davide ſolo non contentus, contemplare etiam Paulum, contemplare Matthæum, contemplare Magdalenam, & obſerva, quantum illi emolumenti è culpis à ſe admiſſis hauſerint. Omnia hæc citra ullam controverſiam, effecta ſunt Miſericordiæ DEI ad ultimos quaſi limites progreſſæ in auxiliis gratiæ ſuperabundantibus ad finem tam ſublimem ipſis conferendis. Sed cur non & tu pro modo ſtatûs tui conſequi poſſis ejusmodi auxilia, ſi noveris illa ritè petere? ſæpe ſic alloquere DEUM cum magna fiducia: *Reminiſcere miſerationum tuarum, quæ à ſeculo ſunt. Pſal. 24. v. 6.* Et ora DEUM, ut juxta has ſe tecum gerat in te ad pœnitentiam admittendo: *& ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum, dele iniquitatem meam.* Nôſſe, quòd DEUS, ſi velit, poſſit erga nos uti actibus magnis ſuæ miſericordiæ, non excitat nos ſatìs, aut animos addit. Addit hos animos ſpes, quòd DEUS iis ſit uſurus. Ad hanc autem fiduciam excitandam nihil plus confert, quàm ad mentem revocare, quod DEUS iis uſus ſit, cum tot, & tam multis, pro illa ſua propenſione ſummâ, quâ potiùs ad benefaciendum, quàm puniendum pronus eſt. *Reſpicite filij nationes hominum, & ſcitote, quia nullus ſperavit in Domino, & confuſus eſt.* an igitur tu primus confundèris, poſtquam tot ſeculorum decurſu confuſus eſt nemo?

IV. Conſidera, eſſe quidem nonnullos, qui ſæpe meminerint horum actuum Miſericordiæ magnorum: non poteſt id negari; ſed quo fine? ut hâc Miſericordiâ abutantur. Advertunt animum ad illum amorem, quo DEUS tam multos poſt vitam flagitiis infamem & ſacrilegam, traxit ad Pœnitentiam; & inde animos ſumunt ad perſeverandum

dum in malo, non ad inde exeundum. Hoc autem quid est aliud, quàm imitari imperitum aliquem ſicarium, qui ad cædem à ſe tanto liberiùs & minore juſtitiæ metu perpetrandam, locum ſacrum & immunem eligit, & neſcit, quòd locus ſacer tueri non poſſit eum, qui ejusdem ſanctitatem violavit? Aliud eſt, poſt peccatum refugere ad DEI miſericordiam (id quod fecerunt nobiles illi & inſignes Pœnitentes, quorum ſupra meminimus) aliud eſt, peccare, quia ſupereſt nobis perfugium ad Miſericordiam divinam. Prius illud, eſt velle, ut ipſa ignoſcat iniquitati; poſterius, eſt velle, ut eam protegat. Hoc autem nunquam fiet. Audi, quomodo loquatur Pſalmographus: *& ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum, dele iniquitatem meam*; non dicit *ſuſtine*, ſed *dele*. Non enim ideo inſtituta & præparata ſunt antidota, ut faciliora reddant veneficia, ſed ut illis medeantur. Qui igitur de induſtria audet irritare viperas, quia nullo non tempore promptam apud ſe habet Theriacam, dignus eſt, ut priùs illi venenum ad cor, quàm manus ad peram pertingat. Idcirco prudentiſſimum eſt illud Sapientis monitum. *Ne dicas; Miſeratio DEI magna eſt. Multitudinis peccatorum meorum miſerebitur. Miſericordia enim & ira ab illo citò proximant. Eccl. 5. 7.* audis? Si *Miſericordia & ira citò proximant* eadem ratione; igitur ſciri non poteſt, quænam earum prima ſuperventura ſit; an Miſericordia ad ſervandum reum; an verò Juſtitia ad eum perdendum. Nonnunquam Miſericordia occupat Juſtitiam jamiam imminentem, ut videre fuit in bono Latrone. Aliàs autem Juſtitia Miſericordiam occupat, ut videre fuit in Latrone nequam. Sic ut perinde ſtultus ſit, qui ad peccandum inducitur, quia DEUS eſt miſericors, quàm ille, qui deſperat veniam, quia DEUS juſtus eſt.

Sic miſerationes ejus multæ ſunt erga quemcunque, ut paulò ante audîſti, *multæ ſunt miſerationes ejus*, non tamen ſunt infinitæ. Sola in DEO Potentia eſt, quæ limites nullos habet: actus limitem habent, quem illis ſuâ Providentiâ præfigit. Quid ſi igitur actus Miſericordiæ exercendi erga te, finem jam haberent? Et tamen quàm id eſt facile? *Abſtuli pacem meam à populo iſto, dicit Dominus, Miſericordiam & miſerationes. Jer. 26. v. 5.*

## Versus III.

*Ampliùs lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.*

I. COnſidera, quòd *ſimiliter odio ſunt DEO, Impius & Impietas ejus. Sap. 14. v. 9.* Eo tamen diſcrimine, quòd Iniquitatem ille abſolutè oderit, Iniquum autem tantùm ut Iniquus eſt. Idcirco Miſericordia & Juſtitia (dotes duæ tantarum in DEO virium) certant inter ſe quodammodo, ut & de Iniquo, & de Iniquitate triumphent: Et verò triumphant etiam: triumphant tamen modis valde differentibus. Miſericordia triumphat de peccato in Peccatore. Juſtitia triumphat de Peccatore in peccato. En modum: Miſericordia triumphat de peccato in Peccatore; quia ejus proprium eſt deſtruere peccatum, quod in ipſo invenit, & ſic dolentem ſalvare. Juſtitia triumphat de Peccatore in peccato, quia ejus proprium eſt punire Peccatorem in peccato, quod ab eo tolli non poteſt, atque ita damnare obſtinatum. Jam ſicut David hîc de admiſſo peccato dolens non rogat Juſtitiam, ſed rogat Miſericordiam; ita de ſua Iniquitate loquens, petit à DEO, ut illam diſperdat,

dat, illam dissipet, illam deleat: *dele Iniquitatem meam.* Non ita loquitur cum DEO de se iniquo agens. Tunc enim petit tantummodo ut ipsum lavet ab iniquitate: *Lava me ab inquitate mea*: dum enim ipse vult superstes esse post suum peccatum (quod, rem ipsam spectando, confestim illum mortis reum effecerat) non ob aliud id vult, quàm ut deflere illud, & satisfacere pro illo possit: *Vivet Anima mea, & laudabit te. Psal. 118. v. 175.* Deletur Iniquitas, quando remittitur. Iniquus dein lavatur simul, & mundatur. Lavatur, quando non contentus videre remissam iniquitatem, in id insuper incumbit, ut tollat omnem vel minimum ad illam affectum, & omnem vel minimum, qui erga eam supereſt, amorem: Mundatur, quando ne ipso quidem contentus, studet insuper tali, támque implacabili erga dictam iniquitatem odio animum informare, ut virtutum contrariarum actus exerceat; Humilitatis nimirum, si peccatum fuit superbiæ; Mansuetudinis, si fuit iræ; Abnegationis, si fuit intemperantiæ; & sic de aliis peccatis differendo: *Ampliùs lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.* Visne tu nôsse causam, ob quam sæpe lotus, non diu post tamen iterùm te inquinas? non ob aliud, quàm quia lavaris, sed non mundaris. Desistis à malo, sed non desistis ea ratione, ut tantundem facias boni, quantum feceras mali.

II. Considera, quam ob causam petat à DEO David lavari, & petat mundari; dum DEI quidem proprium erat delere inquitatem; sed illud penitus eluere, ab eo penitus se mundare, modis jam indicatis, ad Davidem veriùs ipsum pertinebat. Ratio est, ut sic advertamus, quanto plus in operibus, Gratiâ adjuvante perfectis, debeatur ipsi Gratiæ, quàm nobis cum illa operantibus. Certum est, quòd ipsi

lavare nos debeamus, ut tu dicis, & certum eſt, quòd ipſi nos debeamus mundare. Sed ex nobis ipſis quid poſſumus? Poſſumus tantùm nos indies fædare & conſpurcare ampliùs. Ut mundemur, neceſſe eſt, ut nos DEUS nunquam ſolos operari ſinat; atque hác causâ ſemper à DEO petere debemus, ut ipſe faciat, non ſolùm, quod ad ipſum ſolum pertinet, ſed etiam illud ipſum, quod ad nos ſpectat. *Lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.* Si ipſe non eſt, qui faciat nos facere (ſalvâ tamen ſemper noſtrâ libertate) nos ex nobis nihil planè faciemus. *Da Domine quod jubes, & jube quod vis. S. Auguſt.* Hinc obſerva diſcrimen. Delere enim peccatum ex noſtra anima, opus eſt, quod totum quantum ad ſolum DEUM pertinet; unde DEUS nunquam nobis præcipit, ut ejusmodi opus faciamus; ſed tantùm, ut ponamus illa, quæ ad id nos præparant, noſtra ex parte illi non obſiſtendo: *Pœnitemini igitur, & convertimini, ut deleantur peccata veſtra. Act. 3. v. 19.* Quia verò tam Animam noſtram à peccato lavare, quàm mundare, opus eſt commune DEO operanti, & nobis libero noſtro arbitrio divinæ gratiæ cooperantibus; idcirco nonnunquam petimus à DEO, ut hoc ille opus faciat, ut hîc petit David, dum dicit: *Lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me:* aliàs autem DEUS nobis præcipit, ut illud faciamus. An vis ejusmodi præceptum lavandi te? *Lava à malitia cor tuum Jeruſalem, ut ſalva fias.* Ita per Jeremiam præcipit DEUS. *4. 14.* Vis præceptum mundandi te? *ab omni delicto munda cor tuum.* Ita per Eccleſiaſticum 28. 10. attende proinde, quid tibi omni conatu agendum ſit: id nimirum, ut ſedulò te & laves, & mundes ratione jam indicatâ. Ejus quod reliquum eſt (peccati ſcilicet delendi) omnis omnino cura DEO relinquenda

quenda est: quin locum aliquem concedas Diabolo, quando iste turbare te voluerit variis dubiis, an DEUS remiserit, an verò non remiserit tibi peccatum? Fac tu, quòd sic DEI est, ut & tuarum partium, & committe DEO reliquum, quod ab ipso solo pendet. An ambigere potes, num id ipse facturus sit?

III. Considera, quòd delere peccatum ex anima, sit opus, quod non fiat paulatim, sed totum momento, infundendo gratiam justificantem. Non perinde res se habet cum lavando, & mundando reliquias peccati. Hoc est opus, quod semper peragi potest perfectiùs. Si enim Peccator tum lavatur, quando ad id enititur, ut omnem penitus ad peccatum affectum, omnem vel minimum amorem extinguat; & si tunc mundatur, quando insuper studet omnem affectum, omnémque amorem peccati mutare implacabili odio ejusdem, producendo, ut dictum est, actus virtutum cum eodem peccato pugnantium; quis non videt, nunquam hoc tam perfectè fieri posse, ut satis sit? Hinc vides Davidem, quando à DEO petiit abolitionem peccati, aliud non fecisse, quàm ut sine ambagibus DEO diceret, *dele iniquitatem meam.* At quando lavari & mundari petiit, satis non habuit dicere illi, *lava me, munda me:* sed addidit *ampliùs: ampliùs lava me, ampliùs munda*, petendo hac ratione gratiam à DEO, faciendi semper perfectiùs omne illud, quod cognoscebat tanto suo bono adhuc fieri posse.

Disce etiam hac occasione, quid requiratur, ad lavandam, mundandámque solicitè animam, quando te pro sacro tribunali Judici homini sistis. An persuades tibi, te satis facere officio tuo, si illi cum fide peccata tua omnia enumeres? Haudquaquam. Majus tuum studium esse

oportet,

oportet, abhorrere ab illis peccatis, deteſtari illa, abominari; id enim ni fiat, vix à pedibus ſacri tui Judicis digreſſus ad illa denuo admittenda revertéris, nec id mirum.

Omne ſiquidem peccatum relinquit poſt ſe in anima effectus geminos valdè terribiles. Unus eſt aſſuetudinis pravæ peccando contractæ, quæ facili negotio ad relabendum impellit. Alter eſt Concupiſcentiæ rebellis, eodem peccato corroboratæ: huic enim quanto plus cedit Peccator, & ejus deſideria explet, tanto illa fit petulantior, & plus ſibi in illum juris arrogat. Ad tollendos autem effectus iſtos geminos, tam formidandos, ſatis non eſt, peccatum eſſe deletum, etiam ope veri & legitimi doloris. Neceſſe eſt, dolorem iſtum legitimum eò pertingere, ut à te tollat, ut jam eſt dictum, omnem qualemcunque ad peccatum tale affectum, omnem vel minimum amorem: imo ut hic convertatur in odium perfectum. *Iniquitatem odio habui, & abominatus ſum. Pſ. 118. v. 163.* Hoc odium ſi vividum fuerit & efficax, non ſolùm debilitabit confeſtim pravam aſſuetudinem, ſed eam tollet penitus, & efficiet præterea, ut perduellis Concupiſcentia, non quidem tollatur penitus, ſed debilitetur tamen, ne adeò licenter ampliùs inſoleſcat. Quomodo autem odium ejusmodi in te vivum erit & efficax, niſi illud identidem à DEO ferventiùs petas, crebrò ingeminando: *ampliùs lava me ab iniquitate mea: & à peccato meo munda me?*

IV. Conſidera, maximam ablutionem & emundationem animæ, quæ obtineri poſſit, non eſſe id, quod ex noſtra parte ponitur in Sacramento Pœnitentiæ actibus jam ſæpius memoratis; quamvis & ipſi ſint neceſſarij. Eſt enim id, quod in nos redundat à pretioſiſſimo cruore Servatoris noſtri Chriſti JESU, pro nobis occiſi, à quo etiam vim ſuam omnem

omnem accipit, quidquid nos ponere possumus. *Sanguis Christi, qui per spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum DEO, emundabit Conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum DEO viventi. Hebr. 9. 14.* Quis igitur unquam inducet in animum, quòd quando Rex David tanto animi affectu iterum, iterúmque sic DEUM allocutus est; *Ampliùs lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me:* non semper adverbio illo *ampliùs*, alludere voluerit ad ablutionem istam perfectiorem qualibet aliâ, & emundationem omni alia emundatione majorem, cujus hîc memini, non jam à nobis, sed à Christo JESU factam? Certum est, hujus virtute etiam antiquos illos recuperâsse justitiam, juxta eam fidem, quam habebant de Christo, qui humano generi Redemptor & Servator erat promissus. En igitur, quid potissimùm facere te oporteat, cùm te reum Sacerdoti vis sistere. Non contentus illo dolore, quem de peccatis tuis in animo sentias, illa etiam submergere debes in Christi sanguine, sic illum magnâ fiduciâ alloquendo: *Ampliùs lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.* Si enim finis præcipuus, qui Christum impulit ad sanguinem suum in Cruce profundendum, fuit lavare nos ab omnibus nostris culpis: *Lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo. Apoc. 1. v. 5.* quis ambigat, quin præcipua Sacramenti virtus, in quo ad efficiendam hanc ablutionem proceditur, proveniat, à Christi sanguine, non verò proveniat ab illis actionibus, quas nos ibi ponimus, tanquam necessariam præparationem, ad illam consequendam? *virtus Sacramentorum, quæ ordinantur ad tollenda peccata, præcipuè est ex fide Passionis Christi. Sanctus Thomas 3. parte, q. 62. ar. 5. ad 2.* Atque hác causâ, quoties te coram Sacerdote reum sistis, ne omittas unquam affectu

aliquo ſingulari commendare te Chriſto, tanquam illi, à quo provenire debet vis omnis ſupernaturalis, quæ reperitur in præparatione, de qua ſumus locuti.

V. Conſidera, ſi cupis habere rationem quandam ac methodum, quâ datam doctrinam in uſum redigas, dum de peccatis te accuſas, en illam paucis expreſſam. Recordare, quòd ſi unquam aliàs, in hoc certè Sacramento verum agnoſcitur illud, quod de Chriſto ſcriptum nobis reliquit Apoſtolus, quòd nimirum *ille factus eſt nobis Sapientia à DEO Juſtitia, & Sanctificatio & Redemptio. 1. Cor. 1. 30.* Roga igitur ante omnia JESUM, ut ipſe dignetur ſupplere, quod tibi deeſt de Sapientia, dando tibi lumen in diſcutiendis animi tui latebris, non tantùm ut in memoriam ſubeant omnia ac ſingula peccata, quæ admiſiſti; ſed etiam ut penetres eorum deformitatem, ad dolendum de illis, quantum par eſt te dolere. Roga eum, ut Suppleat pro te defectum *Juſtitiæ*, in judicio, quod contra te ipſum inſtituis, quando tanquam reus ſiſtis te Sacerdoti tanquam Judici; ut ſis veridicus tui ipſius accuſator, animo ad vitam corrigendam obfirmato: Roga, ut velit pro te ſupplere *Sanctificationem* perfectam, quando ſupplex coram Sacerdote procumbis in genua, ut ille te liberum & abſolutum à noxis pronuntiet; quæ mox atque apparet, JESUS animæ tuæ gratiam ſanctificantem debet reſtituere. Roga illum denique, ut ſuppleat etiam pro te quod deeſt *Redemptionis*, dum exequeris modicum illud, quod tibi in pœnam injungitur ad ſatisfaciendum pro gravibus illis ſuppliciis, quibus vivis obnoxius: ſi enim modicum illud ſufficit, non aliunde id eſt, quàm quia JESUS adjungendo promerita ſacratiſſimi Sanguinis ſui modicum illud attollit, ut eum valorem majorem habeat, quem non haberet extra Sacramentum.

tum. Et ecce JESUM verè effectum pro te, quoties Pœnitentiæ sacramento uteris, *Sapientiam à DEO & Justitiam, & Sanctificationem & Redemptionem.* Inde, ut iterum te totum immergas pretioso illi balneo, adora illum, ut instrumentum Divinitatis, non quidem disiunctum, quole est baculus respectu brachij, quod illo utitur; sed conjunctissimum, quale est brachium respectu capitis; & denuo illud etiam ingemina: *Ampliùs lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me:* Si enim à JESU ut DEO venit Gratia Sacramenti; à JESU ut homine provenit etiam Gratiæ applicatio.

## Versus IV.

*Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper.*

COnsidera, cùm David à DEO petat veniam tam perfectam peccati sui, videri debuisse ad illam consequendam ante omnia DEO proponere, tanquam titulum sufficientem, dolorem illum, quem jam sentiebat in corde contrito; non autem ejus cognitionem: dolori enim illi (juxta id, quod ore suo DEUS promiserat) debebatur per consequens venia; non debebatur autem cognitioni. Et tamen David non meminit doloris, meminit autem cognitionis. *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco.* Sed quem latet, quòd cognoscere culpam, sicut cognosci meretur, semper sit conjunctum cum dolore vivacissimo? Sicut cognosci non potest DEUS, & non ardentissimo amore amari; sic cognosci non potest, quid sit offensa DEI, quin illa odio habeatur eâdem mensurâ, quâ I.

ex perfecta DEI cognitione creſcit erga eundem amor. Hinc rectè ſcriptum eſt, *Qui addit ſcientiam, addit & dolorem. Eccl. 1. v. 18.* Quis enim eſt, qui ſatìs de peccato doleat? qui ſatìs illud cognoſcit. Ignorans quispiam, cùm audit nominari peccatum, ridet, & quâ causâ? quia ignorans eſt: Non poteſt ejus rei afferri ratio verior. *Omnis peccans eſt ignorans.* Sed qui ſcit, qui ſcit inquam, quid ſit peccatum; qui capit ejus malignitatem, qui comprehendit ejus malitiam, ô quàm ille dolet! Chriſtus in horto cùm hanc animo volveret, ſanguineo undique ſudore maduit. Et tamen ille cogitavit de malo non ſuo. Quodſi ſcientia duplex eſt, boni una, mali altera, *Scientia boni & mali. Gen. 2.* Qui peccatori hac in vita addit *ſcientiam boni, addit & dolorem:* facit enim ut agnoſcat, quantum ſibi deſit boni. *Et qui addit Scientiam mali, addit & dolorem;* cùm faciat eum etiam cognoſcere, quantum ſit, quod ipſe habet malum. Si igitur amas ſeriò dolere de admiſſo malo, in id incumbe, ut iſtud ad fundum usque pernoſcas. Lepram corporis ſatìs erat cognoſci à Sacerdote; non ita res habet cum lepra animi. Hanc ille cognoſcat oportet, cujus eſt eam curare; ut eſt certum: multo autem magis ille, qui eâ liberari deſiderat. Cauſa ejus rei hæc eſt; qui laborat leprâ corporis, ſanari poteſt, etjamſi non doleat, quòd eâ laboret. Animi leprâ liberari non poteſt, niſi qui magno mali hujus dolore tangitur. Dolor autem nunquam poteſt eſt major, quàm ſit cognitio; ſequitur eam paſſibus æquis.

II. Conſidera. Non eſſe magnopere mirandum, quòd homo tam illuſtratus lumine cæleſti, quàm erat David, cognoverit tandem enormitatem iniquitatis ſuæ; illud dignum ſtupore, quòd tamdiu non cognoverit. Et tamen ita

ita est, multo tempore eam non agnovit. Totis novem mensibus illam non agnovit, donec scilicet nata illi est proles spuria, & Nathan supervenit ad enormitatem hanc facti alieni fœditate illi demonstrandam, quam in suo non agnoscebat. Medio autem tempore an ille forsan ne aliorum quidem peccata agnovit? Vix ille à Propheta, quem modò dicebamus, audivit proponi sibi Parabolam illius divitis, qui, ad parandam hospiti suo cænam, tam fuit crudus & inhumanus, ut parcendo omnibus gregibus propriis, qui tam multi per campos errabant & nemora, cucurrerit ad tugurium pauperculi, & vi avulserit ex ejus sinu oviculam illam unicam, quam inibi ad innocentes suas delicias fovebat, nulla habitâ ratione sumptuum, laboris & amoris, quibus miserus ille eam nutriebat; non inquam, priùs narrari ista David audivit, quin mox, summo indignatus furore, nefarium hunc hominem mortis reum pronuntiaret. *Vivit Dominus, quoniam filius mortis est vir, qui fecit hoc. 2. Reg. 12. 5.* Et tamen de se, qui atrociora longè ausus fuerat, ne verbulum quidem mutivit. Quin, etsi probè perspicere posset facinus suum vivis admodum coloribus in ficto illo eventu repræsentatum, non tamen agnovit; neque ad agnoscendum progressus esset, nisi ipse Propheta explicuisset, citra omnes ambages pronuntians; *Tu es ille vir!* O execrabilem amorem proprium! quo tandem perducere potest homines, etiam sanctissimos, cùm locum illi dare cœperint! Et tu non cohorrescis? attende, quàm probè videas, quámque lynceus sis in erratis alienis. Sed quàm cœcus es in tuis? Non ob aliud, quàm quia à te ipso digressus, vagi instar hominis, effundis te in omnia, quæ divellere & occupare animum tuum possunt, quin unquam ad te redeas, ut in temet, sicut oportet, obtutum

convertas. Et tamen hæc eſt inter præcipuas dotes Animæ rationalis una, quòd poſſit in ipſas ſuas cogitationes inquirere, ſe diſcutere, ſe ad examen vocare, ponderare, quam demum vitam vivat? id quod brutarum animantium facultatem ſuperat. Quid tibi proderit, poſſe coram DEO profiteri, *Iniquitatem alienam cognoſco?* proderit autem plurimum, *cognoſco meam.*

III. Conſidera, quòd David re ipsâ diu non agnoverit admiſſam à ſe noxam. Subinde tamen operis tarditatem ejus vi & fervore compenſavit. Unde cùm vix dixiſſet; *Iniquitatem meam cognoſco:* mox verè ſubjungere potuit: *Et peccatum meum contra me eſt ſemper:* tam illum repentè ſummus dolor occupavit, mox atque agnovit, quid peccando admiſiſſet. Neque dolor hic brevis tantùm, & vix unius momenti fuit, qualis tempeſtatis eſſe ſolet, quæ quò majori furore, hoc breviori tempore tranſit: perpetuus fuit ac ſtabilis: ſic ut miſer David per omnem deinceps vitam oculis ſuis objectam habuerit imaginem ſui, DEO perduellis. Cuncta hæc dicit ille, dum dicit: *Peccatum meum contra me eſt ſemper.* Dicit *contra*, ſive *coram* (nam & hæc vocis illius vis eſt; *Ite in caſtellum quod contra vos eſt*) ut oſtenderet, facinus ſuum ſemper oculis ſuis obverſari: *dolor meus in conſpectu meo ſemper.* Ait etiam *contra* ſive *adversùs*; ut indicet, non verſari hanc culpam ob oculos, tanquam rem viſu non injucundam; ſed tanquam rem ejusmodi, quæ ſemper ſibi adverſetur, ut hoſtis ſuus, cum quo pax ipſi nulla eſſe poſſit: *Tota die verecundia mea contra me eſt, & confuſio faciei meæ cooperuit me: à voce exprobrantis & obloquentis, à facie inimici & perſequentis. Pſal. 43. v. 16.*

Duo hîc habes, ad quæ animum tuo bono animadvertas, ſi te gerere volueris ut Pœnitentem perfectum. Primum

mum est, ut nunquam obliviscaris vitæ pravæ, quam duxisti. *Ponite corda vestra super vias vestras. Agg. 1.* Non eâ quidem ratione, ut omnium singillatim peccatorum memineris, quæ admisisti. Unde David non dixit, si rectè observamus, semper obversari sibi suum adulterium, suam cædem, sed generatim; suum peccatum. *Peccatum meum contra me est semper.* Idque duplici ex capite: primò, quia meminisse peccatorum singillatim, non est semper utile, imò non semel etiam noxium, ob imagines quas in animo excitant, instar picturarum turpium. Deinde, quia id, quod in peccato super omnia detestari oportet, non est specialis hujus, aut illius peccati malitia; sed illa communis omnibus; quòd sit offensa DEI. Unde cùm David sermone Prophetæ Nathan rediisset ad cor, aliud non habuit quod diceret, quàm *Peccavi Domino.* Hoc fuit, quod ipsi tam luculentam plagam inflixit. Facilè poterat plurium aliarum rerum mentionem facere: sed cùm hoc ipsi doloris magnitudo non permitteret, omnes brevi duarum vocum epilogo clausit, quæ bene ponderatæ multis aliis virtute æquipollent. Ita & tu, quotiescunque in te animi dolentis affectus excitare volueris, hoc tibi sit satis: revocare tibi in mentem, quid tandem egeris offendendo DEUM. *Peccatum meum contra me est semper.* Atque hoc, si ponatur idem esse, dicere *Contra me*, quod *coram me.*

Alterum monitum est, quòd peccatum non debeat obversari oculis tuis, tanquam imago mortua; quæ etsi sit Basiliſci, non te terret. Obversari tibi debet tanquam Basiliscus, aut Draco vivus, qui si te etiam immotus aspexerit, occidet te: quid fiet, si te invaserit etiam? Hoc posito, quando dicis: *Peccatum meum contra me est semper*: non debes accipere hanc vocalam, ut significat *coram* tantùm, sed

ſed etiam ut ſignificat *adversùs*; imaginando tibi, quòd aſpicias Peccatum inſtar Draconis immanis, qui tantum tibi mali intulit, & qui tantum adhuc inferre poteſt, ſi non attendas tibi. Hinc ſicut ille ſemper in id intentus eſt, ut pugnet contra te, & bellum tibi moveat; ſic tu viciſſim in id intentus eſſe debes, ut bellum ipſi moveas: adeoque ſimul dicere poſſis: *Peccatum meum contra me eſt ſemper: & ego ſemper contra peccatum meum.* Væ illis, qui pro eo quòd peccatum ſuum ſemper ante oculos habeant, ſemper illud à tergo habent! Hi enimvero, ut dicamus rem ipſam, neque medentur ullatenus malis præteritis, nec unquam tueri ſe poſſunt contra futura, licet imminentia.

VERSVS V.

*Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci, ut juſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cùm judicâris.*

I. COnſidera, quòd cum vellet David, magno illo dolore peccati admiſſi impulſus, aut exaggerare, aut ſaltem cum fide exponere omne malum, quod à peccato ſuo, aſpectui ſuo ſemper obverſante, exprobrari ſibi audiebat, videatur nunquam debuiſſe DEO dicere, quòd ipſi ſoli peccaverit: *Tibi ſoli peccavi*: ſed quòd etiam peccaverit contra plures alios; ut & ex adulterio, & cæde injuſta, plus ſatis ipſi apparebat. Sed adverte animum, & vid. bis, Davidem tantum dixiſſe, ut plus non potuerit. Et primò quidem dixit *Tibi*, & cur hoc? quia non poterat dicere *in Te.* Quisquis peccat, rectà nunc DEUM, nunc Proximum, nunc ſemet ferit. Nunc DEUM, ut faciunt Impij;

Impij; nunc Proximum, ut Iniqui; nunc se tantùm, ut facit quilibet etiam postremus in peccantium caterva. Hoc posito, peccaverat quidem David contra se modo non simplici, uti & contra Proximum: at contra DEUM nullam unquam Sacrilegij noxam quoquo modo contraxerat: & idcirco cùm non posset DEO dicere *Peccavi in Te* dixit, *Tibi*: quisquis enim quocunque demum modo peccat, mox DEO tanquam Judici suo summo, aut veriùs, soli, reus constituitur. *Qui peccaverit mihi, delebo eum de libro meo. Ex. 32. v. 35.*

Præterquam quòd, dum dixit *Tibi soli* nullo modo negavit David, se etiam contra alios deliquisse. Quid igitur propositum sibi habuit ita loquendo? voluit indicare, id quod sibi præ quovis alio dolebat in peccato, esse parvum illum respectum, quem erga DEUM habuerit. Animus ejus ita semper occupatus erat gravi ista consideratione, ut præ DEO contempto, parum aut nihil videretur Vxor violata, & Maritus occisus.

Ceterum si videre vis, infelicem non id spectâsse allatis verbis, ut quidquam detraheret de enormitate delicti sui, sed potiùs adderet, observa dixisse illum DEO, non *Tibi solùm peccavi*, sed *Tibi soli*, hoc est, *Tibi, qui solus es.* Esse solum, jus est prærogativum, ita DEO proprium, ut olim nomen ejus censeretur. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine, nonne tu, qui solus es?* Job. 14. Quam igitur temeritatem non est fassus David admisisse se peccando? Siquis alius esset major DEO aut saltem illo non inferior, ad quem appellare liceret, confugere, se vertere post peccatum; temeritas tanta non videretur esse. Sed dum ille solus est Judex, atque adeò à quo provocari non possit, prô! quæ ista est audacia transgredi tam multas leges ab eo latas & scriptas charactere tam per-

ſpicuo! Ecce igitur, quomodo humilis noſter Pœnitens, ad conſequendam deſideratam veniam proprium delictum non conatus ſit elevare, ut tu exiſtimabas, cùm dicentem audiiſti *Tibi ſoli peccavi*; ſed illud potiùs amplificârit, quæ eſt vera ratio placandi DEUM. Tu quid ea in re facis? Faxint boni Superi, ne minimum, quod in peccato tuo tibi diſplicet, ſit offenſa DEI: ſic ut illud tibi doleat ob aliquam ignominiam, quæ ex eo in te redundavit, aliquam jacturam, aliquam ſiniſtram ſortem, quæ tibi obvenit; parum autem, aut penitus nihil ob contemptum DEI Legislatoris tui. Non eſt hæc juſta dolendi norma *Ego dixi: Domine miſerere mei, ſana animam meam, qui peccavi tibi. Pſal. 40.* Hæc eſt præcepta à Sanctis norma: hujus tamen ſortis non eſt illa, quâ multi utuntur.

II. Conſidera, aliquorum opinionem eſſe, quòd David dixerit DEO *Tibi ſoli peccavi*; ut indicaret, quod ipſe, tanquam Rex, nemini alteri, præterquam ipſi ſoli, obligatus fuerit reddere rationem; adque idcirco, veniâ ab ipſo impetratâ, non haberet porro quod formidaret. Locum iſtud haberet, ſi magìs ſolicitus fuiſſet David de pœnæ, quàm de culpæ veniâ. Sed quis hoc credat? Longè magìs illum ſolicitum habebat culpæ, quàm pœnæ venia. Ad conſequendam autem veniam culpæ nihil ſerviebat immunitas ab omni altiore poteſtate humana, cum obedientia & ſubjectione ſoli DEO debita. Demus enim, verum eſſe, quòd Principes in hoc Mundo non habeant, qui ipſos punire poſſit; non tamen idcirco eximij ſunt ab omnibus legibus, etiam divinis. An enim ipſorum Adulteria non ſunt vera Adulteria? Ipſorum homicidia non ſunt vera homicidia? an fortaſſis in ejuſmodi delictis minor eſt Principum, quàm Privatorum culpa? Quin imò major eſt ob exem-

exempli, quo aliis præeunt, pravitatem, quod tanto stragem edere majorem solet, quò Torrens ejusmodi altiore è loco præcipitat. Si igitur David, tam verè dolens, DEO dixit *Tibi soli peccavi*, non id dixit, ut Regem se profiteretur, nullius alterius, præterquam DEI, potestati obnoxium: veriùs id dixit ad indicandam enormitatem delicti sui, dum negotium illi fuit cum DEO, qui est Judex unicus, Judex planè omnium; nec tamen pensi habuit omnem ejus prohibitionem suis subijcere pedibus, & audacter transgredi: *Tibi peccavi qui solus es.* Et tu de te ipso quid dices, qui toties idem facere ausus es, nec tamen rei atrocitatem apprehendis? Dices fortassis DEUM, etsi solus sit Judex, esse tamen Judicem benignum. Imò benignissimus est. Hoc tamen quid facit ad insaniam tuam excusandam? Si benignus est, cave unquam obliviscaris, esse etiam unicum: *Videte quòd ego sim solus. Deut. 32. v. 39.* Solus nimirum est, qui misericordiam exhibere possit, quâ post admissam culpam opus habes. *Ego occidam, & ego vivere faciam ibid.* Hac autem si uti ille nolit, dic infelix, quid te fiet? cui alteri supplex accides? Quanto ampliùs tibi fidis, quia ille misericors est, tanto plus habes quod metuas, quia ipse solus est: *Quis non timebit te Domine, quia solus pius es? Apoc. 15. v. 4.*

Considera, magnam omnino esse illus audaciam, qui contemnit jussa Judicis talis, qualis est quem dicebamus; solus nimirum in toto Mundo: *Ipse enim solus est, & nemo avertere potest cogitationes ejus. Job. 23. v. 13.* Quanto tamen major est illius insania, qui non contentus illa nihili pendere, & violare, insuper illa violat in ipsiusmet ejus oculis? & tamen hoc quoque fassus est David, quando addidit: *Et malum coram te feci*: cùm probè intelligeret infe- III.

lix, quod quantumcunque ipſe conatus eſſet vitare oculos hominum, in ſceleribus à ſe admiſſis, non tamen vitaverit oculos DEI. Hoc autem cùm ita haberet, quid aliud ſupererat reo tam miſero, quàm ut victas DEO manus daret? Quamdiu res eſt cum Judice, ſolo quidem, ſed non conſcio eorum quæ geſta ſunt, ſemper aliquid ſpei ſupereſt evadendi. Ubi enim Judex reſcire voluerit, quid Reus admiſerit mali, ſolus id agere non poterit: opus erit Accuſatoribus, Actoribus, Teſtibus, quibus judicij ordo nitatur. Ad cùm Judex ipſe ſuis oculis aſpexit facinus, quid tum porro habet quod quærat? Idcirco tam ſapienter hîc David dixit DEO, *& malum coram te feci, ut juſtificeris*, hoc eſt, ita feci, *ut juſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cum judicâris*, aut judicaveris, quod idem eſt. Si DEUS ipſe non vidiſſet malum, juſtificaretur in ſententiis, quas fert, in ſermonibus aliorum, in ſermonibus ſcilicet deponentium, non in ſuis. Sed quia ipſe videt, *juſtificatur in ſermonibus ſuis.* Ad convincendum ſcilicet Delinquentem, ut Reum, & ad demonſtrandum ſe Judicem juſtum in eo damnando, non erit opus DEO quoquam, qui compareat coram tribunali inſtructus prægrandi volumine Actorum, ad juſtitiam damnationis, in quacunque cauſa promulgatæ, vindicandam. Satis erit tali Judici dicere: Perſpecta mihi abunde ſunt omnia, quæ perfidus iſte admiſit, meis hiſce oculis vidi. *Ego ſum Judex, & Teſtis, dicit Dominus. Jer. 29. v. 23.* Atque hoc eſt, quod ad majorem ſibi ruborem excutiendum, David hîc DEO voluit exponere, fatendo ſe reum extra omnem excuſationem. Tu interim adverte tantiſper animum, quid ſit peccare ſine arbitris, quos Rex iſte ſolers omnes excluſos voluit. Quære, licet, noctis tenebras ad DEUM offendendum. Claude oſtia,

de ostia, velo fenestras obnube, intimos cubilium recessus pete. Quid totum tibi proderit? An minùs fortassis ibi præsens DEUS, quàm in foro publico? *In omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos. Prov. 15. v. 3.* Quod cùm ita sit, quocunque demum è loco boni, quocunque è loco mali vocentur ad tribunal Christi, perinde omnino erit. Omni in loco præsentem sibi illum habuerunt, sive cùm bene, sive cùm malè agerent.

## Versus VI.

*Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.*

COnsidera, istud *enim* esse particulam, quæ orationem posteriorem cum priore connectit, cujus ea vis est, ut reddat rationem ejus, quod ante dictum est. Jam cœperat ostendere David, DEUM in ferenda de ipso sententia triumphaturum, se verò victum iri: *vinces cùm judicâris:* & ad hoc adstruendum, firmamentum adduxerat, quo nullum in hoc genere porentius; ipsius scilicet Judicis in scelere admittendo præsentiam. *Malum coram te feci.* Et tamen hoc ille non contentus, descendit insuper ad hoc demonstrandum ex Præsumptionibus, quæ nascebantur ex pravis Rei propensionibus, & idcirco subiecit: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Præsumptiones istæ, ut verum fateamur, videntur planè esse supervacaneæ. Ubi enim Judici de delicto evidenter constat, de quo ferenda est sententia, quid ipsi Præsunptionibus opus est, ut rectè judicâsse demonstretur? Præsumptiones substituuntur, cùm desunt argumenta certa, & I.

ta, & in dubiis probationem faciunt nunc plenam, nunc ſemiplenam, prout magìs minúsve fortes ſunt. Quidquid tamen de hoc ſit: noverat David ad conſequendam à DEO miſericordiam non eſſe rationem magìs aptam, quàm ſe magìs magísque Reum convictum palàm facere. Non cenſuit proinde ſibi utendum normâ, noſtrate in foro uſitatâ, Evidentiæ delicti, quamquam ad damnandum ipſum plus quàm ſufficienti, voluit, ſi aliud non poſſet, Præſumptiones ſaltem addere, & Præſumptiones quidem omnino firmiſſimas; dum faſſus eſt, ſe ita proclivem ad malum, ut mali eſſet planè nihil, quod non de ipſo credi confeſtim poſſet. O felices illos Pœnitentes, qui in hoc Davidem ſequuntur! Iſti enimverò viam invenerunt optimam placandi DEUM. Quid juvant excuſationes coram illo, coram quo ſola valet ſui accuſatio? *Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo; multum eſt enim. Pſal. 24. v. 11.*

II. Conſidera, duplex fuiſſe malum, de quo ipſe erat judicandus, ut ſuperiùs indicatum eſt, malum peccati reſpectu ſui, & iniquitatis, reſpectu Proximi. Rectè procul dubio tu (pergit dicere ad DEUM David) rectè *vinces cùm judicaveris.* Quæ enim Præſumptio peccati & iniquitatis non militabit contra me, cùm in peccato ego conceptus ſim, & conceptus ſim in iniquitate. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.* His verbis neceſſe eſt illum intellexiſſe vel peccatum originale, in quo eum patentes ſui genuerint, vel peccatum actuale. Non potuit autem intelligere peccatũ actuale, utpote natus thoro legitimo. Igitur Originale peccatum intellexerit oportet. Atque hoc præ alio quovis potens

erat

erat ad adstruendum quod volebat. Nullum enim peccatum actuale, quantumcunque enorme, quo, in ipso generando, se parentes obstrinxissent, transfudisset in illum propensionem eam tam pravam, quam in atroci suo facinore ostenderat; hæc ab Originali in ipsum promanavit. Et ratio est; quia possunt quidem homines generare prolem ejusdem secum speciei, hoc est similem in omnibus, quæ ad communem cum ipsis naturam humanam pertinent, ut est peccatum Originale, quod idcirco *languor naturæ* dicitur; non tamen possunt generare sibi similem in individuo, in illo nimirum, quod est proprium personæ ipsorum, ut sunt maximè actus, qui à libero arbitrio proveniunt, sive boni isti, sive mali sint.

Igitur ut redeamus in semitam: en quam Præsumptionē omnis peccati, & omnis iniquitatis in se, quantumcunque hæc essent enormia, David adduxerit; esse nimirum se conceptum in illa perturbatione, quæ est fons omnis iniquitatis, & omnis peccati. Hinc etsi peccatum Originale non nisi unicum sit in singulis hominibus, juxta illud *Ecce Agnus DEI, ecce qui tollit peccatum Mundi. Jo. 1. v. 29.* Non tamen locutus de illo est David numero singulari, sed plurali, tribuendo ipsi nomen multorum; cùm re vera multorum ipsum fons sit & origo, imò omnium. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* O egregiam igitur artem persuadendi, ut facilè habeamur Rei, etsi accusationes contra nos in medium allatæ parùm firmæ essent! Quid igitur erit, quando illæ firmissimæ sunt?

III. Considera, quòd, cùm Peccatum Originale, de quo hîc sermo, sit pravitas omnibus generatim mortalibus communis, non videatur idcirco potuisse à Davide adduci anquam

quam Præſumptio ſufficiens ad ipſum in particulari reum adſtruendum: ſecus enim ſi eſſet, quis non videt hominem quemcunque, quamlibet eminenti Sanctitate, poſſe in judiciis præſumi reum cujuscunque adulterij, cujuscunque homicidij; cùm ipſe perinde, ac mortalium ceteri, conceptus ſit in tam perverſa propenſione, qualis eſt hæc, quæ noxæ originariæ pœna eſt? Sed adverte ſolerter, & videbis tum locum fore huic in alteram partem argumento, ſi Judex contra Reum Præſumptione tali uteretur; non verò ſi Reus ipſe Judici illam proponat.

Locus eſſet argumento, modò allato, ſi Judex uteretur Præſumptione contra Reum; quia Judex non poteſt unquam judicare, imò ne ſuſpicari quidem, quòd quis ſit reus ullius ſceleris admiſſi, ex eo duntaxat, quia ille conceptus eſt in peccato; neque unquam hoc ex capite progredi poteſt ad ipſum torquendum, quantumvis moderatè, imò ne quidem ad ipſum capiendum, aut carcere conſtringendum. Aliter ſe res habet, ſi Præſumptionem ejusmodi in medium afferat coram Judice reus, de admiſſo ſcelere ſincerè dolens. Reus, qui probè novit, quàm intus apud ſe perturbata ſint omnia, ob eam, quâ facultates ceteræ voluntati, voluntas autem Rationi, Ratio DEO repugnat, perduellionem, quàm non infirmum inde ſumit argumentum credendi de ſe peſſima quæque, & apertè profitendi?

Verum quidem eſt, quòd hac ex perduellione nullum homo poſſit argumentum ſumere de admiſſo à ſe re ipſa peccato aut iræ, aut fœdæ libidinis, aut ſuperbiæ, aut quocunque alio, quando ipſi conſtat, rem ſe aliter habere. At cùm dubius eſt, facillimè propendere poteſt ad credendum, ſe deliquiſſe, cùm in ſe ipſo contra ſe ipſum habeat Præſumptionem ex perverſitate congenita. Cùm autem certum

certum eſt peccatum, poteſt etiam, imò debet facillimè propendere ad credendum firmiter, non alteri quàm ſibi mali illius culpam adſcribendam. Non eſt illa adſcribenda pravis Sodalibus, non Superioribus parùm prudentibus, non Servis importunis, non malis Dæmonibus moleſtè impellentibus, ſed ſoli & uni homini, qui ſuâ ſe Concupiſcentiâ paſſus eſt induci ad malum quod patravit: *Concupiſcentia ſubvertit cor tuum. Dan. 13. v. 56.* Vides igitur, quid in delicto à ſe admiſſo fecerit David? Non contulit culpam in pulchritudinem feminæ, quæ fuit petra ſcandali; non in incautam ejus agendi rationem, quâ ipſam non puduit lavari loco aliorum oculis expoſito; non in facilitatem, quâ ipſa ceſſit petitioni nefariæ & inconſultæ; non in alteram quamcunque in DEI oculis frivolam rationem: uni illam ſibi attribuit: *Dixi, confitebor adverſùm me injuſtitiam meam Domino. Pſal. 31. v. 5.* Noverat enim perbene, habere ſe intra ſemetipſum omnem veram totius mali originem. *Mulier longè, libido propè. Alibi erat, quod videret, in eo unde caderet. S. Auguſt. in Pſal. 50.* Cur igitur tu modo tam diverſo te geris, qui ſemper in alios culpam conjicis mali quod perpetras?

Conſidera, quàm latus ſit iſte campus, qui ſe aperit, ad vivendum in perpetua ſui abjectione: Si nimirum profundè in te ipſum deſcendas, & ibi contempleris, quòd modò dicebamus; eſſe intra temetipſum totam originem omnis mali! *Humilitatio tua in medio tui. Mich. 6. v. 14.* Et ô originem inexhauſtam, & ſemper ſcaturientem! Etſi enim Gratiâ Baptiſmi acceperis veniam totius culpæ, quæ ineſt noxæ Originariæ, multum tamen relictum fuit illius, quod eadem noxa ſecum fert pœnæ, & hæc eſt illa Lex fomitis, quæ idcirco Lex dicitur, quia non excludit quem- IV.

quam (niſi per privilegium prorſus ſingulare) eſt tamen lex pœnalis, quæ conſiſtit in pugna quadam perpetua carnis contra ſpiritum : *Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, Rom. 7. v. 23.* Duplex idcirco effectus eſt, qui inde in te naſcitur: Summa quædam renitentia contra bonum, quòd à te DEUS exigit, & ſumma propenſio ad malum, quod tibi prohibet. Perpende igitur, an non hoc utroque ex capite habeas, unde abjectè de te ſentias? Si DEI adjutorium deeſſet, quæ tandem ſors tua foret? ecquid tandem boni faceres ex te ſolo? imò quid mali non faceres? Inito numerum, ſi potes, propenſionum pravarum, quæ te infeſtant, Ambitionis, Faſtûs, Gulæ, Intolerantiæ, Invidiæ, Avaritiæ, Acediæ, Impudicitiæ, & inde quod res eſt colliges. Objice animo ferarum ſeptum ampliſſimum, in quo ſtabulantur Urſi, Lupi, Leones, Tigrides, Pardi, Pantheræ; nec tamen quidquam ulli nocent. Cogita autem pandi alicubi ſeptum, unde ſolùm exitus ipſis pateat. O quàm tum omnes, ſecutæ naturæ ſuæ impetum, turmatim prorumpent hàc illac ad fruendum libertate obtentâ! Quæ belluinas tuas propenſiones regit ac frenat, DEI tui gratia eſt, quæ præcipuè obſiſtit, ne impetu ſuo proruant, facítque ut fruſtrentur conatu, quo ad libertatem non debitam aſpirant. *Salvator ponetur in ea murus & antemurale. Iſ. 26. v. 1 Murus*, Gratiâ interiore, *Antemurale* Gratiâ externâ. Tolle hunc obicem, ut potes, ſi vis; ô te infelicem! quò non illæ erumpent?

Atque hoc eſt, quod te ſemper non humilem modò, ut dictum eſt hactenus, ſed trepidum etiam ſervare poteſt. Lex enim Fomitis vitæ noſtræ toti coæva eſt (quæ hâc etiam causâ Lex dicitur, ut differat ab iis decretis ac ſtatutis, quæ certo

certo tantùm tempore durant) & quamquam operâ abnegationis sensim frangantur vires tyrannidis istius miseræ, quâ nos subjectos tenet, nunquam tamen penitus, nisi cum vita, vires omnes amittet. Quamdiu proinde anhelitum reciprocas, tamdiu timere temetipsum debes. *Serva timorem Domini, & in illo veteraſce. Eccl. 2. v. 6.* Et siquis eum tuum timorem miratur, irridet, & quærit, quid tandem metuas? repone confestim: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* An non hæc sufficiens est trepidandi causa hominibus etiam Sanctissimis? *Non est peccatum quod faciat homo, quod non possit facere alter homo*; Et cur istud? quia omnes ex eodem fragili luto ficti sumus.

Considera, quæ fuerit causa, ob quam, cùm in peccato se conceptum asserere David vellet, dixerit *in peccatis concepit me mater mea.* Ut ad amussim loqueretur, videtur potiùs dicere debuisse *Pater meus*; Originaria siquidem noxa in nostrûm quemlibet Patris, non Matris culpâ transfunditur. *Peccatum originale non contrahitur ex Matre, sed ex Patre. S. Th. 1. 2. q. 48. a 5.* Transfunditur ex Patre, quia Pater ille est, qui respectu nostri fungitur vice Adami, in quo peccavimus, tanquam descendentes, in Capite: non transfunditur ex Matre, quia respectu nostri Mater pro Eva est, in qua non peccavimus. Ut quid igitur dicitur *Mater mea?* Ut quid dicitur? ad adstruendum id, quod Davidi erat propositum. Propositum erat Davidi (ut ostensum est hactenus) ostendere se propensissimum ad malum. Consistit porro hæc ad malum propensio non in eo, quod peccatum originarium habet de culpa: consistit in eo, quod hoc peccatum habet de pœna, quod est illa carnis contra Spiritum pugna perpetua. *Igitur ego ipse* V.

*mente ſervio legi* DEI, *carne autem legi peccati. Rom. 7.* Cur igitur exiſtimes Davidem rectiùs fuiſſe dicturum *Pater meus*, quàm *Mater mea?* Verum eſt, noxam originariam à Patre transfundi, ſed transfundi ſecundùm id quod in eo de culpa eſt. Super hoc autem David non potuit fundare illam contra ſe Præſumptionem; jam enim culpæ veniam in Circumciſione acceperat, quæ eſt Baptiſmi Symbolum. Solùm illam fundare poterat in eo, quod peccatum illud habet de pœna, quæ etiam obliteratâ culpâ perſeverat, in carnis inquam indomitæ petulantiâ. Quis autem neſcit, indomitam hanc & petulcam carnem noſtram magìs à Matre, quàm Patre, nobis obtingere? atque hâc causâ tanto ad rem aptiùs voluit dicere David *in peccatis concepit me Mater mea*, quàm *Pater meus*. O te beatum, ſi eò progreſſus fueris, ut te aſſuefacias ad præſumendum de te peſſimum, quod poſſis, & ad id profitendum! Et verò jure id ſemper feceris, quamdiu mortales has exuvias circumfers, illas inquam infectas exuvias, quibus te non minùs, quàm alium quemvis, Mater tua circumdedit.

## Versvs VII.

*Ecce enim Veritatem dilexiſti: incerta & occulta Sapientiæ tuæ manifeſtâſti mihi.*

1. COnſidera, Davidem ad placandum certiùs DEUM ratum fixúmque habere, nihil penitus ad ſe purgandum afferre, ſed tantùm ad accuſandùm; cùm pergat magìs magísque ſe reum demonſtrare ita apertè convictum, ut penitus nihil ipſi ſuperſit, quò recipiat ſe, niſi ad principio ſtatim imploratas miſerationes DEI, nullis terminis

minis clausas: *Miserere mei DEUS secundùm magnam misericordiam tuam.* Postquam confessus jam est, DEUM non posse non vincere in ipso judicando, dum crimini suo jam aliàs manifestissimo, consentiebant etium Præsumptiones, quas ad majorem suam ignominiam adduxit, nunc etiam illas laborat amoliri Præsumptiones, quæ contra sententiam Judicis afferri possent.

Duo non rarò præjudiciorum genera occurrere possunt sententiæ, quæ ad aliquem condemnandum fertur: unum ex parte Judicis est, alterum ex parte Rei. Ex patte Judicis potest esse affectus sinister, aut emolumentum proprium, quo occupatus aut sententiam re minùs ponderatâ ferat, aut ultra æquitatem exasperet, aut arbitrio suo plus indulgeat. Hoc autem, ait David, ex parte DEI contingere non potest: *Ecce enim veritatem dilexisti.* Ex parte Rei potest esse ignorantia, quæ dignum illum reddat miseratione, si non gratiâ. Sed ne ista quidem locum habet in delicto meo, ait David; *Incerta* enim *& occulta Sapientiæ tuæ manifestâsti mihi.* Hæc videtur esse allatorum verborum sententia omnium aptissima ad ostendendum, quomodo inter se cohæreant tres isti versus. Quòd autem re vera inter se connectantur, satìs monstrat particula *enim*, quæ posita in secundo, & repetita in tertio, palàm facit, in eo versum utrumque convenire, quòd ambo reddant rationem ejus, quod Psalmographus dixerat in primo; Quòd nimirum DEUS omnino vincere debeat in sententia contra ipsum ferenda; *vincet, cùm judicârit.*

Tu interim hinc disce, excogitare semper rationes, quibus exaltes judicia DEI omnia, quantumvis tibi molesta & onerosa, quin illa unquam minùs probes, aut de iis conquetaris, id quod tamen aliqui nimiùm queruli, aut

veriùs, nimis quàm præfidentes facere non verentur. *Quid vultis mecum judicio contendere? dicit Dominus: Jer. 2. v. 29.* An obſcurum eſt, quantopere ille amet veritarem? non minùs illam, quàm ſemetipſum amat; unde non ſolùm illam amat, ut inter nos mortales Judices æqui, ſed non poteſt illam non amare; cùm perinde DEO eſſet non amare Veritatem, ac deſinere amare ſemetipſum. *Ego ſum Veritas.* Si autem hoc ita eſt, quis unquam ſuſpicari poterit, quòd ab hac ille vel latum unguem in ſuis judiciis diſcedat? *Negare ſe ipſum non poteſt. 2 Tim. 2. v. 13.*

II. Conſidera, quòd Veritas ſit Virtus quædam tranſcendens, quæ locum habeat in omnibus planè negotiis bene ordinatis, niſi quòd pro negotiorum diverſitate diverſa nomina ſortiatur. In Scholis ſortitur nomen Scientiæ; in loquendo, Veracitatis; in moribus & vitâ, candoris; in converſatione, ſynceritatis; in operando, rectitudinis; in contractibus, fidei; in conſulendo, libertatis; in ſervandis promiſſis, Fidelitatis; atque ita in Tribunalibus nomen Juſtitiæ ſortita eſt, quæ eſt conſtantiſſima voluntas dandi unicuique quod ſuum eſt; bonum, ſi bonum ipſi debetur; malum verò, ſi malum. En igitur, quid ſit judicare ſecundùm veritatem. Idem eſt ac judicare ad amuſſim regularum Juſtitiæ: & hâc Juſtitiâ judicabit DEUS: *Judicabit Populos in Veritate ſuâ. Pſal. 95. v. 113.* Non *in aliena*, ſed *in ſua*, quæ eſt ipſemet DEUS, usque adeò pura eſt. Et tu quomodo ſtare poteris ad regulam tam tremendam? Ne objicias animo tuo illam regulam, ad quam hac in vita DEUS judicat. Hac in vita ipſe non dat, quod cuique debetur; dum multis bonis dat mala, & multis malis bona. Et quâ id causâ? Eâ ſcilicet; quia hac in vita DEUS nos non judicat, ſed experitur, ut qualis noſtra ſit virtus,

pate-

pateſcat. In altera vita judicabimur; & idcirco tunc quilibet illud habebit unum, quod tempore, quo experimentum de eo ſumptum eſt, fuerit promeritus, ſecundùm Veritatem; præmium, ſi præmium, pœnam, ſi pœnam. Ad nihil penitus aliud tunc attendetur ex ulla parte, niſi quod juſtum eſt: *Veritas tua in circuitu tuo. Pſal. 88. v. 9.* Quid igitur mirum, ſi DEUS vincet judicando? *vincet, cùm judicárit:* cùm opponi ipſi poſſit nihil, nec quidquam contra ejus judicia excipi. Enimvero quàm parum Veritas alicujus argui falſitatis poterit, tam parum judiciis DEI noſtri quidquam erit quod opponamus. *Omnis iniquitas oppilabit os ſuum. Pſal. 96. v. 42.* Tam illa manifeſta, & caſta eſſe deprehendentur. Tu interim unquámne ſeriò tecum perpendiſti, quo loco res tuæ futuræ ſint, quando & tu ſecundùm Veritatem judicaberis? Nunc igitur quantumcunque potes, operare boni; operare autem ſecundùm Veritatem; non ſecundùm apparentiam, non ſecundùm conſuetudinem, non ſecundùm tuum arbitrium; ſed ſecundùm Veritatem, à DEO nobis Evangelica in Lege revelatam.

Conſidera, quòd quisquis judicat ſecundùm Veritatem, animum advertere debeat in ſuo judicio non ſolùm ad qualitatem, ſeu naturam delicti, ſed etiam ad qualitatem, ſeu conditionem delinquentis: quanto enim minus excuſationis hic ſuo delicto poteſt prætexere, tantò magis etiam Reus erit. Quis autem minus excuſationis prætexere poteſt, quàm qui notitiam malitiæ habet perfectiorem? *Servus ſciens voluntatem Domini, & non faciens, vapulabit multis. Luc. 12.* Aliud eſt in tenebris, aliud in claro lumine prolabi. Habuit autem David lumen hoc clariſſimum: & idcirco, cùm inde arguere vellet monſtroſam ſuam perfidiam, III.

fidiam, revocat DEO in memoriam, non ad ſui commendationem, ſed ad majorem ignominiam, quidquid ex eo reſcierat arcanorum: *Incerta & occulta Sapientiæ tuæ manifeſtâſti mihi.* Et ſanè quid tandem Myſteriorum erat, quod DEUS Davidi non manifeſtârit? Communis eſt opinio, neminem alium ad eum diem tam multa & recondita didiciſſe, juxta id, quod David ipſemet videtur innuere, ubi pronuntiavit; *Super omnem docentes me intellexi. Pſal. 118. v. 99.* Atque hinc non ſolùm ille Propheta appellatur inter Reges, ſed etiam Rex inter Prophetas.

Poſſunt autem hæc Myſteria duplicem ad claſſem revocari. Alia enim ſunt rerum non contingentium, ſed neceſſariarum, ut ſunt in DEO operationes, quæ vocantur *ad intra.* Et hæc occulta erant Davidi propter ſuam ſublimitatem, niſi DEUS illa manifeſtare ipſi dignatus eſſet. *Trahitur Sapientia de occultis. Job 28. v. 18.* Alia ſunt rerum non neceſſariarum, ſed contingentium, ut ſunt in DEO operationes dictæ *ad extra*; quæ pendent à libero ejus arbitrio: & hæc Davidi non tantùm occulta erant propter ſublimitatem, ſed etiam incerta propter eventum, tanquam res quæ & eſſe poſſent, & non eſſe ſpectatâ earundem naturâ. Tam horum autem, quàm illorum longè plurima DEUS manifeſtârat Davidi. *Incerta & occulta Sapientiæ tuæ manifeſtâſti mihi.* Specimen arcanorum primi generis eſt Generatio Verbi, quæ verbis tam diſertis exprimitur iis verbis, quæ arbitro Davide Æternus Pater Verbo ſuo dixit: *In ſplendoribus Sanctorum ante Luciferum genui Te. Pſal. 110.* Secundi generis ſpecimina ſunt, Myſteria omnia ipſius Verbi humanam naturam induti, quæ etiam omnia Davidicis in Pſalmis clarè admodum explicantur. Unde jure merito de iis loquens David non quocunque modo illa

ſibi

sibi indicata, sed manifestata affirmat; *manifestâsti mihi*, ut significaret, manifestationes arcanorum ejusmodi non quacunque, sed perfecta valde ratione sibi factas, non viâ figurarum, seu schematum, ut Prophetis aliis gradus inferioris: *In manu Prophetarum assimilatus sum. Os. 12. v. 10.* Sed viâ illustrationum apertarum, & sine ullis involucris: *Mihi* (ita de se ipso David pronuntiavit) *Mihi locutus est Fortis Israël &c. Sicut lux auroræ, oriente Sole, mane absque nubibus rutilat. 2. Reg. 23.* Unde licet observare, Davidis mentem modo valdè excellenti fuisse roboratam: cùm negari non possit, perfectiorem multo intelligendi facultatem requiri in Discipulo ad hoc ut intelligat Veritates ut in seipsis sunt, ac simpliciter propositas, quàm si eædem à Magistro per involucra, similitudines, ac comparationes adumbrentur. Et tamen (quis hoc in animum induxisset?) & tamen homo tanto divinitus lumine prædituS, ipse etiam transgressus est, & tam turpiter transgressus! Quanto igitur ille minus excusationum coram divino Tribunali prætexere potuit! Vade igitur tu, vade miser & fiduciæ aliquid in temetipso repone.

Considera, ut tu inde proficias, quomodo tandem VI.
cum lumine tam claro jungi potuerit lapsus tam pudendus! Innuit hoc David ipsemet, ubi dixit: *Priusquam humiliarer, ego deliqui. Psal. 111.* Antequam tam immaniter prolaberetur, jam cœperat exerrare nonnihil à semitâ, sic ut locum dederit, & occasionem DEO, subtrahendi ipsi auxilia illa robusta, & opportuna, quibus aut Concupiscentiæ appetitus fuisset suppressus penitus, aut quamlibet ille fuisset excitatus, non magno tamen negotio frenari, cohiberíque potuisset, quo minùs rationis lumen tantopere offuscaret.

Davidem, quando lapſus eſt, plurimum jam remiſiſſe à perfectioris vitæ ſtudio, ex eo Interpretes colligunt, quòd videant; cum tempus eſſet prodeundi in aciem ad confligendum cum hoſtibus, ad quod ipſum ſuæ vitæ gradúsque conditio vocabat, loco ſuo Joabum toti exercitui præfeciſſe, & expeditionem in hoſtem ei uni commiſiſſe: non aliâ de causâ, niſi ut interim ipſe Hieroſolymis ſubſiſteret, ſuis deliciis, ſua quiete frueretur, quin valde de bono Regni communi ſolicitus eſſet. Quin ſacer textus videtur tale quid innuere illis verbis non temerè prolatis: *Factum eſt autem, vertente anno, eo tempore quo ſolent Reges ad bella procedere, miſit David Joab, & ſervos ſuos cum eo &c. David autem manſit in Jeruſalem. Dum hæc agerentur, accidit ut ſurgeret David de ſtrato ſuo poſt meridiem, & deambularet in ſolario domus regiæ &c. 2. Reg. 11. v. 1. e.* Quæ omnia in homine ejus conditionis erant argumenta animi deliciis jam emolliti, atque ita ad caſum pronioris.

Quomodo autem ſubinde vehemens animi Perturbatio potuerit Intellectum ejus adeò turbare, quin & tenebras illi offundere, non eſt valde difficile perſcrutari. Cùm enim hæc animum hominis magno impetu obruit, tam vehementer eum ſubinde ad ſe rapit, ut avertat à re quacunque alia cogitanda, præterquam ab illa, quæ ipſi proponitur, ut dignâ quocunque impendio, quo illa obtineatur; huic illum afficit, & faſcino quodammodo alligat; usque adeò, ut homo denique non tantùm Rationis conſiliis aures jam nullas prabeat, ſed phrenetici inſtar contra eum exardeſcat, qui in præcipitium ruentem retinere laboret.

Atque huc pervenire poteſt quicunque, cui manum ſuam DEUS conſtanter non porrigat. *Qui ſe exiſtimat*

*ſtare*

*stare, videat ne cadat. 1. Cor. 10. v. 12.* En igitur, quò tibi constanti studio collimandum, ne te hoc singulari auxilio indignum reddas, quo juvare te DEUS potest, si vult, quódque etiam negare potest, cùm sit adjutorium planè gratis collatum. Hoc autem ne indignum te reddas, quid tibi agendum? Cave inprimis illa laxamenta, quæ sensim sine sensu suâmet naturâ ad ruinam te ducunt: temerarium siquidem est velle, ut illum DEUS regat, & à lapsu præpediat, qui nihil ferè non agit, ut cadat. Subinde id age, ut hanc à DEO gratiam victricem nullo non tempore à DEO petas, agnoscásque te vel ultimâ die illius tam indigum, quàm fueras primâ. Si utroque hoc medio David usus fuisset, procul ille fuisset à casu.

## Versus VIII.

*Asperges me hyssopo, & mundabor; lavabis me, & super nivem dealbabor.*

COnsidera, quòd cognoscere ratione quadam valde perfecta malum admissum, ut cognovit David, illud describere, exaggerare, profiteri, quàm illud omni ex parte grave fuerit, videatur debere in Pœnitente tollere omnem omnino spem veniæ unquam consequendæ, aut illam saltem plurimum imminuere. Et tamen aliter res habet. Tantum abest ut hinc fiduciæ aliquid firmitatis decedat, ut potiùs plurimum crescat & animetur. Fit id propterea, quia si unquam DEUS magnâ suâ voluntate ignoscit nostris delictis, id tum fit, cùm eâ nos veniâ quàm indignissimos agnoscimus: tunc enim certiùs consequitur id, quod spectat in concedendâ veniâ; quod non est aliud, I.

quàm Benignitatis ſuæ manifeſtatio; quæ quanto eſt contempta indigniùs ab eo, qui per inſignem atrogantiam eâ abuſus eſt, tanto è diverſo honoratur ampliùs ab eo, qui eam ſupplex implorat, ut à peccato redire ad animæ vitam poſſit. *Exaltabitur Dominus parcens vobis. Iſ. 30. v. 18.* Poſtquam igitur David tam multa atulit ad ſe ipſum contemnendum, quàm multa in præcedentibus verſibus propoſita ſunt, en in quæ repentè verba prorumpat, plena ingentibus animis, & fiduciâ. *Aſperges me hyſſopo, & mundabor: lavabis me & ſuper nivem dealbabor.* Perinde ac ſi diceret: Vide Domine, quàm fœdo ſim corpore ob peccata carnis, à me admiſſa, & quam tetrâ animâ ob peccata tam Carnis, quàm Spiritus! ſi aſperſeris me tantillum, ſi tantillum laveris, momento eodem & caro mundabitur, & Spiritus pulchritudinem priſtinam recuperabit.

Quòd peccata carnis non Animam tantùm, ſed & corpus inficiant, diſertis verbis traditum eſt ab Apoſtolo inſigni illâ ſuâ ſententiâ: *Omne peccatum quodcunque fecerit homo, extra corpus eſt; qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat. 1. Cor. 6. v. 18.* Idque idcirco, quia cùm humani corporis maxima gloria conſiſtat in eo, quòd ſe totum ſinat regi Ratione, ſic ut certo quodam modo ipſum quoque pertingat ad operandum inſtar ratione præditi; dediti voluptatibus ſensùs hanc illi gloriam auferunt, dum volunt ut agat & operetur tantùm more ſuo, hoc eſt more animalis. Quòd autem peccata tam Carnis quàm Spiritus nigerrimam efficiant animam, dubium non eſt, cùm omnes de Peccatoribus pronuntiatum fateantur: *denigrata eſt ſuper carbones facies eorum. Thr. 4. v. 8.* Quod cùm de vultu corporis intelligi nequeat, qui apud multos plus etiam quàm deceat, nitet, de interno Animæ vultu neceſſariò accipien-

accipiendum est. Et tamen, ô quàm momento unico Gratia ex fœdis mundos, & ex nigris candidissimos efficit!

Leprâ infecti vetere in Lege Sacerdotem accedebant, qui eos aspergebat fasciculo hyssopi, in sanguinem intincti (quando Sacerdotis ore mundi pronuntiari debebant) ac subinde aquâ purâ à capite ad calcem abluebantur. *Levit. 14.* Quem ad ritum alludens David hîc dixit: *Asperges me hyssopo, & mundabor: lavabis me, & super nivem dealbabor.* Quamquam hâc etiam loquendi ratione palàm fecit, præclaras Gratiæ vires, dum ritus ille ad nihil aliud valuit, quàm ut Leprosus mundus esse promulgaretur, postquam leprâ jam erat liberatus; non tamen ipse auferre hoc illi malum potuit. At Gratia verè aufert lepram, non reipsâ tantùm, sed & integrè perfectèque, & nulla difficultate. Facilitas aspersione indicatur; *asperges me hyssopo, & mundabor:* integritas, perfectâ ablutione à capite ad calcem. *Lavabis me & super nivem dealbabor.* Et tu quomodo hinc affici debes, ut talem te agnoscas coràm DEO, qualis re vera es, indignissimum scilicet omni favore, dum hac ipsa ratione magis idoneus redderis ad illum consequendum?

Considera, communem Sacrorum Interpretum doctrinam esse, notam fuisse Davidi, dum hæc verba scribebat, prodigiosam vim, quam nova in Lege accepturus erat Baptismus: sic ut illum anhelans ardentibus votis insignis hic Pœnitens, ecstatici instar, in has voces prorumperet; *Asperges me hyssopo, & mundabor: lavabis me, & super nivem dealbabor.* Visu quidem contemptibilis hyssopus est, sed virtutis non vulgaris: sic ut in ipso, ex quo nascitur, saxo, radices figat, quas difficile sit evellere. Volunt eum esse symbolum Fidei, quæ & ipsa aspectu contempti- II.

bilis, virtutis eſt ſingularis, in radicibus maximè, quas illa ſua in Petra firmiter defixas habet, in illa inquam Petra, ſupra quam ipſa Eccleſia fundata eſt. Hac ſine Fide certum eſt à Baptiſmo non poſſe produci omnem ſuum effectum, qui non eſt ſolus character, ſed præterea Infuſio Gratiæ ſanctificantis: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur. Marc. 16. v. 16.* Unde adultus, qui eo tingendus venit, mox à Sacerdote baptizaturo interrogatur, ita jubente Sacrorum Rituum volumine, an credat? *Credis in DEUM Patrem* &c. In Parvulis autem alij eorum vicem ſupplent: ſicut enim Parvuli iſti in alio, Adamo ſcilicet, peccare potuerunt: *Omnes in Adam peccaverunt*: ita ſupponitur quòd ipſi etiam credere poſſint per alios, quales ſunt eorum Parentes, Patrini, & ubi iſti deſunt, Cœtus Fidelium, in uno corpore myſtico congregatus, quæ Communitas ſeu Cœtus, ubi deſunt alij, eam ſemper tacitam intentionem habet, ut S. Auguſtino viſum eſt (*Ep. 23. ad Bonifac*) credendi loco ipſorum. De reliquo certum eſt, quòd juxta definitionem Apoſtoli *Juſtitia DEI eſt per Fidem JESU Chriſti. Rom. 3. v. 22.* Eâque causâ Chriſtus JESUS, qui ipſe ille eſt, quem Iſaias Aſpergentis vocabulo indigitavit: *Iſte aſperget Gentes multas. Iſa. 52. v. 15.* En quo aſpergendi inſtrumento ad mundandos Populos Chriſtianos utatur: utitur Fide: *Fide purificans corda eorum. Act. 5. v. 8.* Verum quidem eſt, aſperſionem iſtam ab aliis Populis penſi non haberi: ſed idcirco Propheta non dixit: *Hic aſperget Gentes omnes*, ſed *Gentes multas*: ut tanto faciliùs intelligeretur, de qua ipſi aſperſione ſermo eſſet. Et verò an neſcis, quid in omni aſperſione contingat? Alij aſperguntur, alij non: non jam inſtrumenti vitio, quod adhibetur, per quod non ſtat, quò

quò minùs aspergantur omnes; sed vitio eorum, qui deliberatâ voluntate non accedunt propiùs, sed illud ut vile contemnunt. Idem accidit in re nostra. Multi contemnunt Fidem, ut vilem, cujus hyssopus symbolum est, & idcirco non dignantur subjicere & ipsi frontem superbam, ut rite aspergantur. Sed non horum è numero optabat esse David: & idcirco en ut submisso reverenter capite alloquatur Christum: *Asperges me hyssopo, & mundabor*! Id quod tunc fecit David, id & tibi faciendum est, quoties redeunte anni certo die recepti Baptismi memoriam instauras. Oportet semper submissiùs inclinare caput illi Fidei, quam tanquam baptizatus profiteris.

Considera, non debere tibi mirum videri, quòd Fidei tribuatur vis mundandi nostram Animam. Quin imo hoc ipsi proprium est. Quamquam intelligere non possumus, quomodo Fides mundet, nisi etiam sciatur, quomodo Anima sordibus inficiatur. Anima tunc sordescit, quando miscetur rebus se vilioribus: neque enim quisquam dicet argentum fœdari, cùm auro miscetur; fædatur tamen cum stanno miscetur aut plumbo. En igitur, quid in Anima efficiat Fides. Separat illam à rebus se inferioribus & vilioribus, quales sunt caducæ omnes, & facit ut adhæ[illegible]scat nobilioribus & superioribus, quales sunt cælestes; atque ita eam mundat; primò in Intellectu, efficiendo ut illa non nisi verum bonum æstimet, quod solum æstimari meretur; deinde in Voluntate, efficiendo per consequens, ut illud ipsum bonum amet. III.

Hinc est, quòd illa mundities, quæ à Fide nullo mediante nascitur, non sit suis absoluta numeris: ad eam perficiendam Caritate opus est, cui semper comes incedit Gratia sanctificans. Et idcirco istam sequentibus m[illegible]x verbis

David

David petiit: *Lavabis me, & ſuper nivem dealbabor.* Atque utinam explicari poſſet mirabilis illa mutatio, quam in Anima efficit Gratia in ſacro fonte! Aqua communis abluit ſordes humani corporis, ita eſt, ſed non facit illud candidius, neque formoſius, quàm nativo candore & formâ ſit. Aqua Baptiſmi non mundat tantùm Animam à maculis, ſed illam evehit ad certum candorem, certum formæ ſplendorem, multo, quàm à natura habeat, excellentiorem; quam proinde cùm alia verborum formulâ David explicare non poſſet, hac utendum cenſuit: *ſuper nivem dealbabor*: cùm candor nivis ſit genere ſuo ſuperior candore, qui homini competit. Verum eſt, quòd ille non dixerit: *Ut nix dealbabor*: ſed *ſuper nivem*: quia denique ipſe etiam nivis candor, quantuscunque ſit, naturâ ſuâ indies aliquid deperdit: cùm tamen candor Gratiæ indies creſcat, aut ſaltem poſſit creſcere ſine ulla menſura; cùm Anima ſemper poſſit arctiùs uniri DEO, qui illam tam ſplendidam efficit: & ideò dicit: *& ſuper nivem dealbabor.* Et tu, qui, ut ſperare fas eſt, tali candore nites, jacturam illius facere vis pro nihilo, ut adhæreas crapulis, ludo, locis, vanitatibus, quæ ſenſim tantopere te conſpurcare poſſunt? ô veram ſtultitiam Ignorantis, apud quem nihil cujusquam ſit pretij, quod ſub aſpectum non cadat!

IV. Conſidera, Bonitatem divinam, tactam miſeratione imbecillitatis humanæ, tam facilis & pronæ ad lapſus, non contentam dediſſe hominibus Fidelibus primum Baptiſmum, cujus virtute eorum Animæ tam nobilem candorem conſequerentur; voluiſſe inſuper primo adjungere ſecundum, cujus virtute primus ille candor poſſet opportunè ab ipſis ad extremum usque vitæ halitum reſtaurari. Verum eſt, cùm primus Baptiſmus aquâ fiat, & ideo ſit ſuavis,

alterum

alterum debuisse esse lacrymarum, atque adeò aliquanto laboriosiorem primo: cùm omnino æquissimum sit, cariùs vendi homini liberationem ab iis peccatis, quæ ipse suâmet malitiâ admiserit, quàm ab illo, quod malâ suâ sorte Adami hæres contraxit.

Quis nunc dixerit, Davidem non etiam ad hunc secundum anhelâsse Baptismum eâ precum formulâ, quam nunc ponderas? Non ignorabat ipse magnam illam plenitudinem Gratiæ, quam olim à Christi Sanguine, per totos torrentes effuso, hausturi erant Christiani de suis peccatis dolentes, prostrati ad pedes inclytorum suorum Sacerdotum, ipsiusmet Christi vice fungentium. Quàm sanctâ proinde invidiâ eos consideraverit? Hinc in ipsa adeò Lege Veteri studuit ille meliore modo quo poterat conformare se Institutionibus proponendis in Lege nova, non solùm interno dolore malum à se admissum detestando, ut tunc usus poscebat, sed mille etjam modis & signis dolorem illum exteriùs prodendo.

Vide igitur, quid ipse, ut suo illi desiderio obsecundaret, Pœnitens ad DEUM dixerit. *Asperges me hyssopo, & mundabor*: siquidem in Confessione Sacramentali, Fides totius operis fundamentum est, dum sordidam nostram Animam effatis suis sinceris nobis emundat. Hoc ut agnoscas; dic quæ tandem est origo omnium sordium præ ceteris abominabilium: an non Amor sui ipsius? Hic facit, ut tres potissimùm affectus pravi in nobis dominentur, è quibus semper unus alio deterior est. Affectus & adhæsio ad propriam voluntatem, quæ nascitur ab ipsa voluntate, nimis cupida operandi juxta suam propensionem: Affectus & adhæsio ad existimationem propriam, derivata ab Irascibili, omnis contemptûs intolerante: Af-

fectus ad commoditates proprias, natus ex Concupiſcibili, quæ averſatur omnia aſpera, & prona eſt ad animi remiſſiones ac mollia. Ad excindendos autem penitus tres hos affectus præcipuè inſtitutum videtur, quod modo dicebamus, Pœnitentiæ Sacramentum. Culparum enim retractatione (quæ dolorem de admiſſis cum decreto vitam poſthac corrigendi complectitur) aggredimur voluntatem propriam, vero dolore averſando omnia, quæcunque ad contemptum DEI volueramus, & promittendo, nos deinceps pro nulla re totius Mundi quidquam eorum velle ſectari. Ad hoc autem vires dat Fides, dum nobis perſpicuè ob oculos ponit, quàm ſit res abominanda, anteponere voluntatem propriam Voluntati divinæ! *Nonne DEO ſubjecta erit Anima mea? Pſal. 61. v. 2.* Deinde, manifeſtatione noſtrarum noxarum, quâ illaſmet aperimus Sacerdoti, exponendo eas ſine ullo fuco, minutim ac diſtinctè deſcribendo cum omnibus illis adjunctis, quæ graviores illas reddant, non tantùm numero, ſed & pondere, impugnamus & aggredimur æſtimationem propriam, quæ propendet ad omne illud occultandum, quod nobis poteſt eſſe dedecori, & ſic obtemperat Appetitui Iraſcibili, qui omnem ſui contemptum tam ægrè poteſt concoquere. Et ad hoc vires ſubminiſtrat Fides, nobis inculcando, æſtimationem hominum eſſe vilem, vanam ac proinde illius duntaxat curam habendam, quâ res noſtras DEUS æſtimat. *Quomodo vos poteſtis credere, qui gloriam ab invicem accipitis, & gloriam, quæ à ſolo DEO eſt, non quæritis? Joh. 5. v. 44.* Tandem exequendo id, quod in peccati pœnam & vindictam Sacerdos imperavit, ad ſatisfaciendum pro admiſſis, à quibus nos liberos pronuntiat, impugnamus ſtudium propriorum commodorum, quo ſubterfugimus quidquid cruciat;

ciat; ut obsecundemus facultati Concupiscibili, quæ tota fertur in corporis oblectamenta. Ad hoc autem robur confert Fides, disertè protestando; Carnem esse servam Spiritus, non Dominam, quæque idcirco, cùm parere recusat sponte sua, ad id vi sit compellenda: *Si secundùm Carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Rom. 8. v. 13.* Observa igitur, quàm multum debeas Fidei in mundandis per Confessionem tuis facultatibus, ut subinde maneat Anima abluta per Gratiam modo tam mirabili, ut recuperet quamprimùm candorem pristinum, & pulchritudinem omnem, quam peccando amiserat! Quare quoties deinceps ibis ad accusandum te coram Sacerdote, tu quoque Davidis exemplo his DEUM verbis alloquere: *Asperges me hyssopo, & mundabor, lavabis me, & super nivem dealbabor:* eo fine, ut petas istam Fidem, cujus tam multa esse debet opera in te penitus mundando; nam etsi tu partibus tuis haudquaquam deesse debes, in illa excitanda; est tamen res longè alia, si suâ te JESUS manu aspergat, quàm si temet aspergas domesticâ horti tui hyssopo. Ubi auten talis emundatio modo debito præcesserit, noli ambigere, quin Confessio in te plenum suum effectum productura sit, Animam ita abluendo, ut tu, quamlibet peccatis ante fœdatus, sed de admissis dolens, multos etiam Innocentes candore tuo vincas: qui est alius vocum à te minutim excussarum sensus. *Lavabis me, & super nivem dealbabor.* Et nonne hos inter dolentes tam felices etiam David fuit? Est equidem longè simillimum vero, nihil illum, quod petierat, non impetrásse.

*Cùm invocarem, exaudivit me DEUS justitiæ meæ. Psal. 4. v. 1.*

VERSUS IX.

*Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam, & exultabunt oſſa humiliata.*

1. COnſidera, an tibi unquam contigerit, ex quo inter homines es, ingens illud experiri ſolatium, quo fruitur Anima aliqua tempore Jubilei alicujus, ſeu conceſſæ communis omnium noxarum condonationis, quando exonerato penitus animo ad pedes periti & prudentis Animarum Medici, & omnibus, quæ animi quietem turbare poterant, in aures ejusdem depoſitis, redit ab illo tribunali libera ab omnibus noxis, obfirmato in id animo, moriendi potiùs, quàm ullâ ampliùs offensâ DEUM irritandi. Si expertus es, nullo negotio confeſtim aſſequeris verum versûs, quæm præ manibus habemus, ſenſum. Solatium hoc tam non explicabile unde naſcitur? Naſcitur ex teſtimonio, quod Animæ reddit conſcientia non fallax de recuperata DEI Gratia. Et ad hoc ſolatium advertit animum David, cùm dixit: *Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam, & exultabunt oſſa humiliata.* Non quòd ex Nathano non reſcîſſet, conceſſam jam eſſe admiſſi delicti veniam: ſed quia concipiebat animo (ut præcedentis in versùs paraphraſi indicatum eſt) ſe ſurgere à pedibus noſtrorum Sacerdotum candidiorem nive; explicare in ſe voluit illam plenam lætitiæ animi pacem, quàm futuris ætatibus experturi eramus omnes nos, auditis prodigioſis illis vocibus: *Ego abſolvo te à peccatis tuis.* Pax ista jucundiſſima duplicis eſſe ſortis poteſt. Una talis, ut ſiſtat in parte animæ ſuperiore; altera, quæ ex ſuperiore redundet in inferiorem.

Illa

Illa sistit in superiore, quæ in casu nostro originem ducit à judicio prudente, quo judicamus, nos esse DEI amicos, & ipsi caros, cùm nihil porro sit, in quo nos conscius animus accuset, aut remordeat. *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus in DEUM.* 1 *Joh.* 3. *v.* 2. Huic autem paci meritò tribuitur nomen gaudij, quod juxta doctrinam Angelici 1. 2. q. 31. a. 3. est delectatio aliqua proveniens à ratione. Hinc bruta (ut S. Doctor observat) omnia carent gaudio (etsi multarum aliarum oblectationum sensu non carent) quia omnia carent ratione. Hoc cùm ita sit, quanto in nobis magìs crescit verisimilitudo, nos esse in DEI gratia (quod est bonorum, quæ in terris nobis obtingere possint, maximum) tanto etiam gaudium est rationi conformius, & idcirco tantò etiam magìs vivum. Quando autem hæc verisimilitudo major est, quàm quando sic pro sacro tribunali nos accusavimus, sicut res postulat? Unde gaudium quod talem sui accusationem sequitur, explicari non potest: durátque illud tanto diutius, quanto diùtius durat dolor, & emendationis propositum, quibus illam accusationem animavimus.

Redundat deinde plenitudo illa pacis ex parte Animæ superiore ad inferiorem, dum in casu nostro formamus prudens illud judicium, quòd simus in gratia DEI, non solùm ex eo, quòd videamus & experiamur, quòd conscientia nostra nos ampliùs non remordeat, ut solebat antehac, sed sentiamus etiam in nobis affectus quosdam suaves amoris erga DEUM, excitatos ab ejus Spiritu, inhabitante in nobis. Siquidem, cùm noluerit DEUS ut mortali hac in vita certi essemus de ejus gratia, nisi id ipse manifestet revelatione speciali, non nisi rarò admodum concedi solitâ: non parum tamen miseratus est mœrorem illum & afflictionem

onem, quam ejus fideles famuli ex hac incertitudine patiuntur. Idcirco quid facit? Signum dedit ipſis valde veriſimile & magni omnino ponderis, ex quo non phyſica quidem, morali tamen quodammodo evidentiâ id colligerent. Et en ſignorum iſtorum præcipuum: Spiritum DEI, qui in ipſis operatur. *Ipſe Spiritus reddit teſtimonium Spiritui noſtro; quòd ſumus filij DEI. Rom 8. v. 16.* Non dicit, *quòd poſſumus eſſe*, hoc enim commune eſt omnibus, juxta illud: *dedit ejus poteſtatem Filios DEI fieri*, ſed dicit *quòd ſumus*: quod eorum tantùm eſt, qui re ipſa DEO accepti ſunt. Hic autem Spiritus alius profectò non eſt, quàm Spiritus Sanctus, Spiritus Amoris; Ideo ſicut iſte ſemper facit, ut Juſti ament DEUM, ita nonnunquam facit, ut magna veriſimilitudine cognoſcant etiam, ſe amare, ex illis impulſibus, quos in ſe ſentiunt erga eum, complacentiæ, confidentiæ, & continuati deſiderij faciendi quod ipſi placet. Atque tunc gaudio additur illa, quæ hîc nominatur, *lætitia*: quæ ejusdem S. Thomæ doctrinâ, eſt certa quædam dilatatio, quam cor experitur ſupra conditionem ſuam naturalem, per quam videtur quodammodo ſe ipſum ampliùs capere non poſſe: *Mirabitur & dilatabitur cor tuum. Iſ. 60. v. 5.* De hac autem dilatatione quomodo loquetur, qui nunquam expertus eſt? Nemo illam ſuo ſibi arbitrio fingere poteſt; unde rectiſſimè loquitur hîc David: *Auditui meo dabis gaudium & lætitiam*: Hanc enim ſi DEUS non dat, nemo dabit.

II. Conſidera, quàm gravis ſit illius error, qui ut Animi pacem ac tranquillitatem obtineat, in id incumbit, ut corpori ſuo quàm minimè malè ſit, usque adeò, ut ne obſcœnas quidem oblectationes illi neget. Alia prorſus tenenda via eſt. Solatia ab animo in corpus redundare debent;

bent; à corpore in animum redundare non possunt. Hinc an non audis, quomodo hîc loquatur Psalmographus? *Auditui meo dabis gaudium & lætitiam, & exultabunt ossa humiliata.* Exultatio ossium, facultatum inquam inferiorum, non præcedit gaudium, & lætitiam auditûs, sed sequitur. Tunc siquidem in nobis ossa exultant omnia, quando Spiritus capere jam & intra se solum continere non potest vim illam gaudij, quo ipse fruitur, sed facit, ut tacito velut consensu exundet in corpus, quo Spiritus ille clauditur: *Cor gaudens exhilarat faciem. Prov. 15. v. 13.* Ita se habebit res in Beatis: in his enim, quia Anima in corpus dominium tam perfectum exercebit, ut de illo pro arbitrio statuere possit; simul ac semel illud reddet particeps ejus Beatitudinis, qua ipsa in se gaudet; quantum quidem corpus capere potest intra fines suos ac limites: quin ut tanto plus capere possit, quàm ceteroquin ejus naturalis habitudo patitur, ipsa certa quadam ratione illud reddet spirituale, hoc est, penitus in dotibus propriis simile efficere laborabit. Ut quid igitur tu vis, ut nunc res alio modo procedant? hac quoque in vita idem earum rerum ordo servandus est. Id autem quomodo in quocunque homine impio fieri potest? Spiritus eorum corpori nunquam potest communicare id, quo ipse caret. Et nonne paulò ante intellexisti; gaudium esse genus oblectationis, quod à ratione proveniat? Quomodo igitur hoc commune esse potest cum Impiis, quorum omne negotium est, opponere se rationi in suis operibus, aut certè, nullam ipsius rationem habere? Gaudium eorum nititur deceptione, falsa nimirum persuasione, quâ sibi bonum imaginantur, quod tale re ipsa non est. Et idcirco etiam gaudium ipsorum falsum est. Si autem tale est, non solùm illud nunquam gignet effectus

veri

veri gaudij, ſed ſi momento durat, durat tempore quanto poteſt: *Gaudium hypocritæ ad inſtar puncti. Job. 20. v. 5.* An tu gaudium verum expetis? quære hoc non alibi, quàm ubi recta ratio dictat inveniri poſſe. Aſt ubi tandem illud reperire eſt? Non alibi, quàm in fine Ultimo, aut in Patria poſſeſſo, aut in terris ſperato.

III. Conſidera hîc oſſium nomine nonnullos voluiſſe intelligere Virtutes, quæ omnes exultant, hoc eſt, reviviſcunt, & novum vigorem induunt, quando Anima illâ ſuâ pace ac gaudio Spiritûs, quod diximus, fruitur: *Anima mea exultabit in Domino, & delectabitur ſuper ſalutari ſuo,* dixit alibi Pſalmographus, & ſubdidit: *Omnia oſſa mea dicent: Domine, quis ſimilis tibi? Pſal. 34. v. 10.* Tam res iſtæ inter ſe aptæ ac connexæ ſunt!

Atque hinc diſce, Devotionem, quàm dicimus, ſenſibilem non ſolùm naturâ ſuâ non præjudicare virtuti, ſed vim illi vigorémque addere, haud ſecùs ac pluvia herbis areſcentibus. *Ego conſolabor vos: videbitis, & gaudebit cor veſtrum, & oſſa veſtra quaſi herba germinabunt. Iſ 66. v. 14.* Hinc etſi in devotione hac ſenſibili non conſiſtit Devotionis eſſentia ac natura, eam nihilominus plerumque ſequitur, ut laborem ac meritum ſua merces. Devotio ſpectata ſecundùm totum id quod complectitur, conſiſtit in eo; quòd quis velit efficaciter omnia, quæ ad divinum obſequium ſpectant; utque hæc eadem velit promptè, atque etiam cum quadam lætitia. Velle efficaciter, & velle iſta promptè, ad naturam ipſam & ſubſtantiam Devotionis ſpectat; velle cum lætitia, hoc eſt cum quadam affectûs teneritudine, cum ſuavitate, jucunditate, exultatione, ſpectat ad accidentariam, & illam ſcilicet Devotionem, quam diximus ſubſequi ſubſtantialem, & ex illa tanquam legi-

timam

timam prolem ex sua matre progigni. Dixi, tanquam legitimam prolem: siquidem, si rectè advertimus, à Devotione substantiali accidentariam istam progigni naturæ ejus convenientissimum est. Geminæ sunt faces, quæ substantialem Devotionem accendunt. Una est consideratio divinæ bonitatis atque beneficentiæ. Altera est consideratio miseriarum propriarum, & malitiæ propriæ. Istæ porro considerationes sensim in corde contrito progignunt mixturam quandam suavissimam jucunditatis simul, ac tristitiæ. Consideratio divinæ bonitatis ac beneficentiæ gignit in nobis ex natura sua jucunditatem, dum nos facit viva quadam ratione in DEO confidere; ex accidenti autem gignit tristitiam, dum facit ut simul cognoscamus, quanto plus illa mereatur à nobis amari, quàm re ipsa illam amemus, aut amare possimus. Consideratio nostrarum miseriarum & malitiæ, gignit in nobis rectà tristitiam, dum facit, ut proprium nihilum probè agnoscamus, quod nos ad nihil aliud, nisi ad malum proclives constituat: velut ex obliquo autem gignit jucunditatem, dum facit nos judicare, DEUM tanto magìs naturâ suâ fore obligatum ad nos juvandos in eo, quod à nobis ipse exigit, quò magìs nos ex nobis nihil sumus, nihil scimus, nihil valemus. In hac porro, quam modò diximus, suavi mixtura, Devotio sensibilis medullam suam habet, tanto revera magis delicatam, quò magis profundam & internam. Talis autem cùm est, prô quantum inde utilitatis redundat in Spiritum! Tunc ille (circulo non vitioso, sed quàm cogitari possit pulcherrimo ac beatissimo, & quem nemo unquam sapiens damnârit) Devotio substantialis producit accidentariam, & hæc vicissim illi addit incrementum. Quâ autem ratione addit? nimirum, virtutes omnes, ut dicebamus, novo quodam vi-

gore animando, ſi quando illæ, pro humanæ imbecillitatis conditione, labaſcere & debilitari cœperint. *Dulcedo Animæ ſanitas oſſium. Prov. 16. v. 24.* Nemo igitur aures illis præbeat, qui auſi ſunt damnare devotionem ſenſibilem, dum vides illam ab ipſo adeò Davide non hoc tantùm, ſed pluribus aliis locis petitam; *Sicut adipe & pinguedine repleatur Anima mea, & labiis exultationis laudabit os meum. Pſal. 62. v. 6.* Noſtine quando ſenſibilis Devotio probanda non ſit, aut potiùs contemnenda? tum cùm illa ſola expetitur; hoc enim perinde eſt ac velle accidentia ſine ſubſtantia: calorem ſine igne, lucem ſine flamma, & robur ac vires ſine alimonia, quæ ſola illas confert. Quære Devotionem ſubſtantialem; & in hac probè obfirmatus cur deſiderare non poſſis, ut illi DEUS adjungat etiam accidentariam? *Auditui meo dabis gaudium & lætitiam, & exultabunt oſſa humiliata.* Satisne illa tibi utilis videtur? Excitat & denuo animat in te virtutes jam marcentes & languidas, eásque reſtaurat.

## Versvs X.

*Averte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.*

COnſidera, Animam cùm ſe in Devotione illa ſenſibili, paulò ante explicatâ, conſtituram animadvertit, tunc præquam aliàs audentem reddi ad petendum. Videtur tum illa ſibi experiri, & ſenſu quaſi ipſo percipere, quòd ſit cara DEO, atque ita quid ſibi non promittit? David proinde, non contentus obtinuiſſe veniam particularem injuriæ illatæ Uriæ, ad aliam quoque poſtulandam

landam progreditur non jam particularem, sed generalem, omnium scilicet peccatorum, quæ per omnem retro vitam admisisset: *Averte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.* Jam omnium noxarum erat consecutus veniam; ita est. Hinc tamen non est consequens, veniam earum ampliùs peti non debuisse. Quin imò oportet eorum quoque delictorum, quæ condonata jam sunt, veniam identidem postulare. Atque hoc est, quod præsenti in versu innuere tibi David voluit, quódque tu non minùs, quàm alius quisquam, tibi quàm maximè familiare reddere deberes. Innuere tibi vult, quòd tum quoque, cùm tantùm non ad fastidium usque pro obtinendâ veniâ laborâsti, redire debeas ad eam quasi à principio petendam. Vide quàm multis modis, jam inde àb initio hujus Psalmi, David eam petierit! & tamen denuo ad idem redit: easdem ad phrases, easdem ad formulas revertitur, & non tantùm ad idem poscendum. Et tu tam citò supplices ejusmodi preces nauseas?

Considera, vitam hanc, si ullo ex capite amanda est, II.
dum illam nobis DEUS, & ejus spatia profert, postquam tot à nobis est injuriis lacessitus, non ex alio amandam esse; quàm ut diutius possimus deplorare has illatas DEO injurias. *Quid restat nobis, nisi semper dolere in vita?* ajebat S. Augustinus *lib. de vera & falsa Pœnit. cap. 13.* Non tamen sine causa dixit *Nobis:* non enim desunt, qui hoc idiomatis genus non assequantur. Si verum fateri vis, quorum ex Pœnitentium classe tu es? an illorum qui procul dubio de admisso malo dolent, sed non nisi proprij commodi respectu; ob inferni nimirum supplicia, quæ promeruerunt, ob cælum, cujus jacturam subjerunt? Si horum è numero es, non nego, si certus esses de veniâ admisso-

rum tuis lacrymis obtentâ, finem aliquando facere & poſſes & deberes, eas profundendi. At ſi ad illos pertines, qui unicè ob DEUM, bonum ſummum, offenſum dolent, ecquod tandem dubium eſſe poteſt, quin quò vivis diutius, hoc etiam malum admiſſum deplorare debeas ampliùs? *Exitus aquarum* (ita & tu rebus ſic ſtantibus alloqui DEUM debes.) *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non cuſtodierunt legem tuam. Pſal. 118.* Hæc præclara dolendi cauſa, quæ eo nititur, quòd nos voluntatem divinam ſimus transgreſſi, cauſa eſt quæ nunquam non perſeverat, & idcirco apta, ut, quantum eſt ex ſe faciat etiam dolorem durare, per omnem deinceps ſeculorum æviternitatem; niſi quòd in cælo dolori jam locus nullus eſt: quapropter Sancti Cælites abominantur quidem ibi culpas veteres, non tamen de illis dolent. Hac in vita ſemper dolori locus eſt; & idcirco nos dum vivimus, & abominari culpas noſtras, & de iis dolere debemus ſenſu doloris amariſſimo. *Lavabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtatum meum rigabo. P. 6. v. 2.* Imò ſi quid eſt, de quo lætari interim poſſumus, de eo lætandum nobis eſt; quòd ſemper admittere in animum poſſimus doloris ſenſum, quem in cælo porro admittere non poſſumus.

Præterquam quòd Pœnitentia vera in Viatoribus vultu eſt duplici: Uno reſpicit præteritum, ut illud deploret: altero malum futurum, ut illud effugiat. Jam quis ambigat, quòd ad evitandum malum futurum nihil magis prodeſſe poſſit, quàm ſemper deplorare malum præteritum? Fieríne poterit, ut denuo Patrem ſuum cariſſimum filius ille vulnerare cogitet, qui torrentibus lacrymarum abluit eas plagas, quas manu barbarâ ante infixerat? Si tu tam facilè

facilè redis ad peccandum denuo, quæ causa esse possit, nisi quia tam citò obliviscaris errorum priùs admissorum?

III. Considera, quòd videri possit David in hac tam universali noxarum veniâ à DEO petendâ non usus formâ convenienti, dum illi dixit: *Averte faciem tuam à peccatis meis.* Quomodo unquam potest DEUS desistere videre nostra scelera, etiam quibus pridem ignovit? Si remissa sunt, fuerunt etiam admissa: & hoc unum sufficit ut illa semper obversentur divinis oculis per omnem æternitatem. Ita est. Sed meminisse oportet, quòd homines, etiam quando cum DEO loquuntur, humano more loqui oporteat: nec enim aliud, quàm proprium suum, idioma habent. Quando igitur humano in commercio dicimus, quòd quis avertat faciem ab iis injuriis, quibus lacessitus est, idem est ac dicere; quòd erga eum, à quo offensus est, perinde se gerat, ac ante omnem offensam se gessit. Et hoc est, quòd à DEO David verbis istis petit. Neque hoc parum videatur. Nosse enim oportet, quòd delictum, etsi condonatum quoad culpam, vindicari tamen possit in hac vita duplici pœnâ, positivâ quàm dicimus, & negativâ. Positiva, est pœna naturâ suâ respondens culpæ jam dictæ: & hæc mensuram suam habet lege taxatam, sic ut illâ exantlatâ certi simus nihil porro luendum superesse. Negativa, est subtractio multorum auxiliorum gratuitorum, quæ iure ac meritò negare nobis potest DEUS, propter malum à nobis admissum. Atque hoc pœnæ genus mensuram suam certam non habet: neque enim certa mensura seu taxa est, ubi non de Justitia, sed de Gratia agitur. His proin auxiliis privari timebat David ob admissa à se delicta, & hâc causâ rogat DEUM, ut avertat faciem ab his peccatis, omnem quodammodo eorum memoriam abolendo; id quod

tunc facturus erat DEUS, ſi deinceps non fuiſſet minùs erga eum beneficus, quàm antè, iisdem intimæ gratiæ argumentis eum præveniendo. Iſta autem petitio non eſt rei penitus inſolitæ. *Convertam eos* pronuntiavit DEUS de iis ipſis, quos jam abjecerat, *convertam eos, quia miſerebor eorum, & erunt ſicut fuerunt, quando non projeceram eos. Zach. 10. v. 6.* Quin imò millies ille oſtendit, pluris ſe facere Pœnitentem, qui Prodigi inſtar filij ſeriò admodum & ex animo ad ipſum reverſus ſit; quàm multos Innocentes, qui nunquam ab eo receſſerunt, ſicut profugi illius frater natu major. Nec id mirum videri debet. Innocentia ſiquidem non eſt prima Animæ humanæ dignitas. Prima Animæ dignitas, citra ullam controverſiam, eſt *Gratia.* Hæc autem ſæpe multo eſt major in ferventi Pœnitente, quàm in multis Infantibus, quantumcunque Baptiſmatis Innocentiæ candore reſplendentibus. Ad hanc igitur majorem gratiam aſpirare te oportet poſt peccatum, editis fructibus Pœnitentiæ convenientibus, & ſubinde penitus fidere DEO, qui tam diſertè ore ſuo pollicitus eſt: *Impietas Impij non nocebit ei in quacunque die converſus fuerit ab impietate ſua. Ezeh. 33. v. 12.* Nimium quantum autem noceret impietas præterita, ſi propter illam ad eximiam Sanctitatem jam nullo modo poſſes evadere. Sæpe igitur precare DEUM, ne propter admiſſas & contractas noxas omittat operari in Anima tua omne illud, ad quod ceteroquin Bonitate ſua propenderet. Et ſi hoc ſenſu illum alloqueris verbis, quæ jam ruminas, *Averte faciem tuam à peccatis meis,* procul dubio illis in maximè legitimo uteris.

IV. Conſidera, Injurias, quibus nos alij afficiunt, omnes duplicem ad claſſem revocari: vel enim præſentes ſunt, vel præteritæ. Præſentes dicimur ante oculos habere; præteritas

teritas verò jam inde à primo die retulisse in librum. Non dissimili ratione loquitur DEUS de injuriis, quæ in ipsum illatæ sunt. Innumeræ sunt, quibus à nobis est irritatus. De præsentibus ait, se illas, utut occultè perpetratas, probè tamen videre omnes ac singulas: *Non sunt absconditæ à facie mea, Jer. 16. v. 17.* Præteritas se ait scriptas conservare: *Ecce scriptum est coram me: non tacebo, sed reddam: & retribuam in sinum eorum iniquitates vestras, & iniquitates Patrum vestrorum simul. Isal. 65. v. 6.* Utrarumque porro singillatim veniam à DEO petit David. Respectu earum, quæ oculis obversantur, dicit DEO, *Averte faciem tuam à peccatis meis*: respectu scriptarum, *& omnes iniquitates meas dele.* Hoc tu imitari debes. Quàm multa tu identidem perpetras, quæ DEO tuo displicent? iis etiam actionibus bonis, quas operaris, illa immisces. Idcirco ne istæ hac causâ minùs gratæ sint DEO, frequenter illum obsecra: *Averte faciem tuam à peccatis meis*, præsentibus nimirum. Ad præterita autem quod spectat, quæ per omnem hactenus actam vitam admisisti, prô quanto illa sunt numero! forsitan etiam de ipsis verum est: *Delicta nostra creverunt usque ad cælum. 1. Esd. 9. v. 6.* Ad mitigandam idcirco DEI iram crebrò tibi respectu istorum in ore sit: *Omnes iniquitates meas dele, omnes, omnes*: idque tanto ampliùs; quia etsi horum veniam, quantum ad culpam spectat, jam impetrâsses, fieri tamen facilè potest, nondum pro omni reatu pœnæ esse satisfactum. Et de hoc quis ambigat? cum profiteatur DEUS, omnes omnino, quibus irritatus sit, injurias se scriptas tenere: *Nónne hæc condita sunt apud me, & signata in thesauris meis? Deut. 32. v. 34.* Argumento igitur est, quòd ipse non confestim pœnas exigat: ita enim fieri amat: in librum rationum referun-

feruntur, non quæ expunctæ jam ſunt, ſed quæ vivæ perſeverant obligationes. Sed ſi ille non confeſtim pœnas exigit, tanto id eſt deterius; moram in his exigendis gravitate ſubinde compenſabit. Et quando? tunc cùm illi magis opportunum videbitur. *Mea eſt ultio; & ego retribuam in tempore. Deut. 32. v. 34.* Cave ergo inde animos ſumas, quòd DEUS ad puniendum non ſit velox: id enim inde naſcitur, quòd nullo non tempore id facere poſſit, quandocunque ipſi placuerit.

V. Conſidera, quanto ſe ſapientiorem ſis probaturus, ſi bono tuo eâ DEI tarditate uti ſciveris: ſic, ut dum adhuc parcit noxis tuis DEUS, tu ipſe eas ſolicitè in te ipſo vindices. Nónne hoc erit illum occupare, & prævenire? dubium id nulla ratione eſſe poteſt. *Si nosmetipſos judicaremus, non utique judicaremur. 1. Cor. 11. v. 31.* Hinc, quam ob cauſam exiſtimas, tantâ confidentiâ & libertate petiiſſe Davidem à DEO abolitionem omnium iniquitatum ad illud usque momentum admiſſarum? *Omnes iniquitates meas dele; omnes, omnes.* Quia jam ipſe eas in ſe, quantum poterat, erat ultus. Debitor hilari fronte ſe confert ad inveniendum Creditorem, & petit ab ipſo, ut nomina ejus omnia deleat, quando pro ipſis jam numeravit totum quod erat annumerandum. Sic & tu facito. Solve, quod DEO debes, operâ pœnitentiæ, & ſubinde dic: *Omnes iniquitates meas dele, omnes, omnes.* Si credis, nunquam te poſſe tantum à temet repoſcere pœnarum, quantum pro noxis tuis ſit ſatis, ſuppleto Indulgentiis, qui eſt ille theſaurus, ex quo ætate ſua David nihil in ſuos uſus accipere potuit. Hæ non ſunt aliud, quàm ſolutio quædam non condigna tantùm, ſed copioſa, quam tuo loco exhibet Eccleſia ex magno illo ſuo ærario. Tu iſto ſaltem ad commodum

modum tuum utere. De cetero, ne dubita, è libris divinarum rationum nullum, quamlibet minimum, nomen deleri, quin pro illo fiat satis. *Nihil de pœna dimittitur. S. Th. Suppl. q. 25. ar. 2. c.* Si non satisfit ex proprio, necesse est satisfacere ex alieno. Accipe igitur tesseram nummariam, quam Christus tibi offert, & illâ Creditori satisfac. Desipies, si, cùm omni momento promptam habeas, moriaris ante, quàm illâ utaris.

## Versus XI.

*Cor mundum crea in me DEUS, & spiritum rectum innova in visceribus meis.*

COnsidera, Auro, quantumvis purum excoctúmque sit, injuriam tamen nunquam fieri, si ad lapidem lydium examinetur. Imò ideo, quia aurum est, probatur. Si esset æs, quis unquam sic illud probare dignaretur? Dolor de peccatis aurum, procul dubio, est perfectissimum. Nihilominus cælesti in ærario clausis oculis & sine examine nunquam acceptatur. Probatur priùs: & quomodo? advertendo, an pertingat usque ad decretum vitæ emendandæ: huc si pertingat, verum reputatur: sin, nullum ejus est pretium. Observa igitur, quâ ratione David, qui tam multis hactenus modis professus est se de admissis verè dolere, DEO palàm faciat, fixum sibi ratúmque esse ab illo momento mutare vitam, eum in finem supplex rogat, donari sibi momento eodem Cor novum, & Spiritum novum. *Cor mundum crea in me DEUS, & spiritum rectum innova in visceribus meis.* I.

Cordis nomine hîc Voluntas intelligitur, ut in multis aliis Sacrorum Codicum locis. *Inveni virum, ſecundùm cor meum. Act. 13. v. 13.* Nomine Spiritûs autem, Intellectus. *Quid tumet contra DEUM Spiritus meus? Job. 15. v. 13.* Duo hæc, partes ſunt nobiliſſimæ hominis interioris, & in his ſtatuenda eſt mundatio à quocunque, qui ſeriò ad DEUM, & bonam frugem redire cogitat. In Voluntate proinde neceſſe illi eſt petere munditiem: *Cor mundùm crea in me DEUS:* ídque propter affectus, qui rebus ſordidis, quales ſunt iſtæ caducæ, adhærendo, ipſi quoque conſpurcati ſunt. *Facti ſunt abominabiles, ſicut ea quæ dilexerunt. Oſ. 9. v. 10.* Pro Intellectu autem rectitudo petenda eſt, *& Spiritum rectum innova in viſceribus meis,* propter facultatem æſtimatricem, quæ deſerendo primam regulam, quæ eſt Fides, denique, decepta à ſenſibus, facere non poteſt quin pervertatur, & detorqueatur: *Generatio quæ non direxit Cor ſuum, & non eſt creditus cum DEO Spiritus ejus:* quod idem eſt ac, *non credidit DEO ſpiritus ejus. Pſal. 77. v. 11.* Ut interpretatur S. Auguſtinus. Omnia hæc David petiit; omnia etiam hæc petenda ſunt illi, qui ſeriò alius eſſe velit ab eo qui fuit; hæc enim procuranda ipſi ſunt. An autem tu illa procuras? avelle tandem, per DEUM, cor tuum à rebus ſenſilibus, & carnem titillantibus, ad quas tam tenaciter affixus hactenus hæſiſti, & corrige ſpiritum, efficiendo ut ille poſthac regatur axjomatibus æternis, & non curvis ac diſtortis ſtulti hujus Mundi.

II. Conſidera, ſine Corde mundo Spiritum rectum haberi non poſſe, nec ſine Spiritu recto Cor mundum: & idcirco David ſatìs non habet petere alterutrum, ſed petit utrumque.

Sine

Sine Corde mundo Spiritus rectus haberi non potest: quia voluntas pravis & belluinis subjecta appetitibus, sensim pervertit Intellectum, efficiendo ut probet, quod ipsi gratum acceptúmque, non quod justum est. *Raptus est, ne malitia mutaret Intellectum ejus. Sap. 4. v. 11.* Neque sine Spiritu recto Cor mundum haberi potest: quia si Intellectus in judiciis suis distortus est, quid facere aliud potest, quàm in casum impellere Voluntatem? *Stultitia hominis supplantat gressus ejus. Prov. 19. v. 3.* Voluntas siquidem, ut toties dicitur, facultas cœca est, quæ innato instinctu fertur quidem rectà suo pondere in bonum universale; nunquam tamen in particulari fertur rectè in hoc aut illud, nisi Intellectus facem illi in eo bono demonstrando præferat.

Quamquam, si ita est, videtur priùs David debuisse petere rectitudinem Spiritùs, qui est Dux, & subinde munditiem Cordis: non autem priùs Cordis munditiem; deinde rectitudinem Spiritùs.

Ita videri potest: sed debes meminisse, quòd sicut quicunque ex bonis fiunt mali, plerumque malum suum non solent inchoare à perversione Intellectûs, suis dictaminibus decepti; sed à perversione Voluntatis, quæ à perduellibus suis appetitibus inducta non cessat oppugnare Intellectum, donec eum inducat ad probandum id, quod ipsa amat. Sic qui ex malo desiderat evadere bonus, ab hoc necesse est bonum suum inchoet; Voluntatem inquam suam fortitet & efficaciter avellat ab omni illo, quod à DEO ipsum abduxerat. *Recesserunt à me in cunctis idolis suis. Propterea dic ad Domum Israël: Convertimini, & recedite à cunctis Idolis vestris. Ezech. 14. v. 5.* Ab Aversione à DEO, potissima saltem in peccatum malitia & perversitas deriva-

tur, id quod negari non poteſt. Converſio tamen ad creaturam peccati fermè occaſio & origo eſt: vix enim unquam aliquis obvertit tergum DEO, ipſiusmet contemnendi & contumeliâ afficiendi ſtudio, ſed quia obvertit vultum ad bonum vanum & caducum, quod ipſi à DEO vetitum eſt. Igitur pari ratione ab averſione à re creatâ & caducâ, nova vita inchoëtur oportet. *Ab univerſis contaminationibus veſtris avertite facies veſtras. Ezeh. 14. v. 6.* Et hoc eſt mundare Cor. Ceterùm diſcute nunc tantiſper te ipſum, ut obſerves, an in te ſit Spiritus rectus, rectus inquam in judicando vero bono, & æſtimando. Si incurvus, & non rectus eſt, attende diligenter, & videbis, affectum aliquem pravum in Corde tuo dominari.

III. Conſidera, quolibet peccato lethali cordis munditiem penitus perire. Et idcirco dum David hîc de corde mundo loquitur, petit à DEO, ut illud creet. *Cor mundum crea in me DEUS.* Non eadem eſt ratio rectitudinis Spiritûs, ſeu Intellectûs. Hæc peccato nunquam tota perit (qui enim peccat, etiam dum peccat, malè ſe agere agnoſcit; aliàs non peccaret) ſed depravatur, ſed habetatur, manétque rectitudo quædam ſolius cognitionis, ſine ulla ad agendum hominémque impellendum virtute. Et idcirco quando ſubinde David de ſpiritu recto loquitur, innovari duntaxat illum, non creari petit: *& Spiritum rectum innova in viſceribus meis.* Creare DEI ſolius eſt; cùm ille unus vi ſua infinita è nihilo rem quamlibet proferre poſſit. *Vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt. Rom. 4. v. 17.* Atque ita unius DEI eſt juſtificare: *Unus eſt DEUS, qui juſtificat. Rom. 3. v. 30.* Juſtificare enim eſt quodammodo creare: usque adeò homo, dum peccat, ad nihilum ſe reducit, etſi minimè advertat, quid agat. *Ad nihilum reta-*

*redactus sum, & nescivi. Psal. 72. v. 22.* Hæc una inter creare & justificare, diversitas intercedit, quòd cum DEO creante nulla res agere quidquam possit, possit tamen cum DEO justificante pluribus modis agere homo, maximè, quem DEUS Sacramentorum suorum constituit Administrum. Innovare non est creare: unde Natura suis viribus ad innovandum progreditur in suis effectibus, ut facit in pratis, in agris, in sylvis tempore verno; idémque dicendum de Arte in suis operibus. Atque ita ad innovandum in se rectitudinem pristinam mentis, aliqua ratione etiam homo pertingit: *Renovamini Spiritu mentis vestræ. Ephes. 4. v. 23.* Pertingit autem ad hanc innovationem, seu restaurationem inprimis juvante ipso lumine naturali, quod etiam post admissam culpam ipsi reliquit DEUS, ut tanto promptiùs à casu posset resurgere. Multo autem plus ad eam rem valet lumen infusum Fidei, quod ipsum admissâ noxâ non tollitur. Verum tamen est, quod id, quod ex se potest ea in re homo, permodicum sanè sit, comparatione illius, quod potest DEUS, si vult, hoc in genere præstare: atque hinc tam sapienter agnoscit David, DEUM esse, qui innovare possit Spiritum rectum, & illum ad statum reducere, quem in prima sui productione obtinebat: *Spiritum rectum innova in visceribus meis.*

Hinc etiam non petit à DEO, *judicium rectum innova* aut *Intellectum rectum* sed *Spiritum rectum*; quia judicium rectum, & Intellectus rectus, significare possent actum judicandi, aut si multum, potentiam: sed Spiritus rectus & potentiam denotat, & donum. *Loqueris cunctis sapientibus corde, quos replevi Spiridu prudentiæ. Ex. 28. v 3* Et hunc Spiritum desideravit David ad vitam novam quàm felicissimè inchoandam.

IV. Conſidera, ubinam cuperet David Spiritum rectum, quem petebat. An in actionibus ſuis externis, ut in mortalium oculis rectè ſe haberent omnia? Haud ſanè, ſed *in viſceribus meis.* Natura, quæ facit opera vera, & valida, non inchoat illa à partibus extimis, ut facit Ars, quæ plus operæ in his, quàm in ſubſtantiâ, ponit: Natura ab internis incipit: hinc illa priùs radicem producit arboris in ſolo, & dein ejus truncum. Idem proportione ſuâ facit Gratia. Ante omnia reparat Spiritum in interno, & ſubinde in actionibus externis, quæ ab interno progignuntur, emendat inquam illum in loquendo, emendat in videndo, emendat in audiendo, emendat in converſando, ſicut hominem ſpiritualem etiam in his ſe gerere convenit. Rectitudo Spiritus tui rectitudo Artis eſt, non Gratiæ, ſi extimâ ſpecie contenta eſt.

## Versvs XII.

*Ne projicias me à facie tua, & Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me.*

I. Conſidera, firmum illud mutandæ vitæ propoſitum, de quo verſu præcedente actum eſt, non eſſe ſufficiens ad efficiendum, ut poſtquam tandem illam Pœnitens mutavit, eandem etiam conſtanter deinceps proſequatur, niſi illi DEUS ſuaviſſimâ ſuâ protectione aſſiſtat. Identidem proinde ad divinam opem poſcendam redeundum eſt. Cor mundum à tam multis ſine ceſſatione objectis oppugnatur, quàm multa ſunt bona ſenſilia, quæ ad ſe illud pelliciendo, aliud non ſpectant, quàm ut ipſum denuò conſpurcent. Spiritus verò rectus opponere ſe conſtanter debet

debet perversis opinionibus populi innùmerabilis, quæ è diametro pugnant cum veritatibus Fidei. Quam multis igitur opus est, ut natura, maximè corrupta, qualis nostra est, invicta resistat ad mortem usque, & tot assultus frangat? Opus est auxilio DEI præsentissimo, & non consueto, quo adjutus quilibet Justus dicere cum Jeremia possit: *Dominus mecum est tanquam bellator fortis: idcirco qui persequuntur me cadent, & confundentur. Jer. 20. v. 10.*

David igitur magno suo malo edoctus imbecillitatem suam, hanc benevolam præsentémque ubique DEI opem versu hoc implorat: probè intelligens, omnem cordis munditiem, quam re ipsa sit assecutus, omnémque rectitudinem Spiritus, quàm minimum valere, nisi illa DEUS potenti suo brachio tueatur.

Tu interim ad profectum tuum perpende, quæ debeat esse prima cura ac solicitudo verè Pœnitentis: Perseverantia. *Justificationem meam, quam cœpi tenere, non deseram. Job. 27. v. 6.* Quarumcunque demum rerum subeunda sit jactura, amittendæ opes, amittenda æstimatio, amittendi amici, amittenda quin ipsa millies vita, amittantur sanè, moriar ego priùs, quàm unquam posthac lethalem noxam conscíscam; moriar priùs, moriar: *Donec deficiam, non recedam ab innocentia mea. Job. 27 v. 5.*

Hinc, si rectè advertis, David etsi audiret magna sibi mala pœnásque intentari pro atrocibus suis delictis, etsi jam veniâ donatis, non rogat DEUM, ut vel unâ earum aliquâ in se non animadvertat; non ut Sceptrum sibi in tuto sit, non ut æstimatio detrimenti nil patiatur, non ut ærario sit consultum, non ut perduellium, non subditorum modò, sed & filiorum, consilia ac machinationes sufflaminentur: quod rogat, hoc unum est, ne denuo tam fœdè cadere se sinat,

ſe ſinat, & tam perfidè prævaricari. *Ne projicias me à facie tua, & Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me.* Hoc ſinceræ ad DEUM converſionis, ſiquod aliud, argumentum eſt luculentum: præ omni alio malo timere denuo relabi. An & tu ſpecimen ejusmodi converſionis præbes? Memento, ſi te tuásque vires ſpectas, cadere te quidem, ſtare autem erectum non poſſe: *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat, 1. Cor. v. 10.* Non inquit, *qui ſtat*, ſed qui ſe exiſtimat ſtare: re ipsâ enim quis tam firmum fixit pedem, ut non vacillet?

II. Conſidera, Pœnitentem Regem, dum rogare DEUM vult, ne denuo ipſum labi permittat, formulâ loquendi uti, quæ non parum indecori habere videatur, dum dixit: *Ne projicias me à facie tua.* Quomodo aliter loqui potuiſſet, ſi peteret, ne æternum damnetur? Aliud eſt, quòd DEUS faciem ſuam ad aliquo avertat, aliud, quòd à facie ſuâ illum projiciat. Avertit ab aliquo faciem, quando ſubtractâ ſpeciali ſuâ protectione ſinit, ut ſuammet experiatur fragilitatem, cadendo in peccatum; & tum cadendo, quando vel maximè firmo pede ſtare ſibi videbatur, ut S. Petro accidit: *Ego dixi in abundantia mea: non movebor in æternum.* At ecce. *Avertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus. Pſal. 29. v. 9.* Projicit à facie ſua, quando non tantùm ſinit, ut peccet, ſed ut etiam in peccato pereat, ut olim periit Saul. *Usquequò tu luges Saul, cùm ego projecerim eum? 1. Reg. 16. v. 1.* Cur igitur David non hîc quoque, ut quondam, ſatis habuit ſic DEUM alloqui: *Ne avertas faciem tuam à me?* hæc enim eſt præ ceteris aperta forma, quâ Reprobatio æterna indicetur. *Argentum reprobum vocate eos; quia Dominus projecit illos. Jer. 6. v. 30.*

Non

Non abs re videtur dubitatio: sed en, unde illa nascatur: ex eo scilicet, quòd nemo satìs capere velit, quòd aliud sit, peccare primò; aliud, peccare denuo. Peccare primò, certò quidem provocat DEUM ad iracundiam; sed peccare iterum (maximè post obtentam jam prioris delicti veniam) non jam ad iracundiam, sed ad furorem provocat; tanta est ejusmodi facinoris fœditas, tam ingratus animus! Et idcirco vide, quid confestim mereatur, qui relabitur: meretur, ne ampliùs illum DEUS juvet ad resurgendum: *Israël cecidit, & non adjiciet ut resurgat. Amos* 5. 1. Non quòd illi DEUS eam quoque neget gratiam, quæ ex se sufficiat ad resurgendum; sed quia illi non donat efficacem. Ejusmodi gratiam timet David, ne mox ab iterato lapsu neget DEUS: hinc noli mirari, si ita DEUM alloquitur: *ne projicias me à facie tua, & Spiritum Sanctum tuum ne auferas à me.* Ecquod enim malum est, quo non sit dignus Canis, qui redit ad vomitum?

Considera, duplex esse favorum planè singularium III. genus, quod DEUS caris suis impertiri consueverit. Unum est, defigere quodammodo in ipsos solicitum oculum, & amovere à via, per quam incedunt, omnes lapides, in quos possent impingere, & quales ceteroquin identidem se offerunt in hac peregrinatione mortali; juxta illud, quod Moysi jam olim dixit DEUS: *Facies mea præcedet te. Ex.* 33. *v.* 14. Quod idem est ac proprio idiomate, præservare ab occasionibus admittendi mali. Alterum est, faciliorem semper illis reddere executionem boi, mediis internis illustrationibus, & inspirationibus, quæ sunt opera Spiritus sancti, qui id agit unicè, ut semper plus lucis accendat in animis Justorum, iisque flammis excitet fervorem, quibus providet magnâ suâ voluntate assensurum hominem.

minem. Duplex hoc favorum genus, ſunt partes præcipuæ illius Gratiæ, quæ Efficax vocatur, & ideò vocatur, quia facit ut accipiens faciat, etſi pleno ſemper arbitrio, & nequaquam coactus. *Faciam ut in præceptis meis ambuletis. Ezech. 36. v. 27.* Atque hi ſunt favores, quos DEUS negat illis, quos projecit à facie ſua. Primò, non id agit ampliùs, ut removeat ab iis occaſiones labendi periculoſas; quin permittit, ut identidem in eas incurrant, in iísque proruant. Hoc metuens David clamat: *Ne projicias me à facie tua.* Subinde autem DEUS ne iſto quidem contentus, facit ut Spiritus Sanctus magìs ſemper magísque ſubtrahat illis ſanctas ſuas inſpirationes, non quòd eas plane penitúsque ſubtrahat, ſed ut non tam vivas & opportunas ſubminiſtret. Et hoc non minùs metuens, David, ſic porro DEUM orat: *Et Spiritum Sanctum tuum ne auferas à me.* Et verò ut dicamus qnod res eſt; ſi DEUS poteſt facere, ut quis mox à peccato admiſſo inopinatò moriatur, aut redigatur ad inſaniam, sícque ineptus fiat ad reſurgendum, cur non facere idem poſſit, ut negentur deinceps illi auxilia abundantia, & magìs exquiſita, ſine quibus nunquam à caſu reſurgat? Nulli unquam debet DEUS hoc genus auxiliorum, quantâcunque ille ſit vitæ ſanctimoniâ, tam illa omni merito ſuperiora ſunt. Quanto minùs igitur erit obligatus ad illa conferenda alicui Peccatori, & Peccatori ingratiſſimo, inhumaniſſimo, qui etiam poſt veniam acceptam denuo perduellionis contra tam tremendam Majeſtatem crimine ſe obſtrinxit? Projecit à ſe DEUM peccator tam impudenter: *Projecit Iſrael bonum. Oſ. 8. v. 3.* Projiciatur igitur & ipſe à DEO per omnem æternitatem. *Projecítque Dominus omne ſemen Iſraël, & afflixit eos, donec projiceret eos à facie ſua. 4. Reg. 17. v. 20.* Atque hoc

hoc tantopere formidavit David cùm dixit: *Ne projicias me à facie tua, & Spiritum Sanctum tuum ne auferas à me.* Et tu non times? Argumento id est, te non capere atrocitatem facinoris, quod admittitur ab homine vili dum peccat, multóque magìs dum obtentâ jam veniâ denuo peccat. Innocens in petendo à DEO dono Perseverantiæ, majori aliqua ratione dicere DEO potest: *Ne avertas faciem tuam à me.* At Pœnitens, si sapit, dicat oportet: *Ne projicias me à facie tua.*

Considera, multos peccare quotidie, imò denuo peccare quotidie post obtentam veniam, & veniam etiam iteratam: & tamen surgere toties, quoties ceciderunt; sic ut tandem Sacris procurati Mysteriis suis in lectis moriantur non sine satìs manifestis salutis obtentæ indiciis. Quid igitur fuit, cur tantopere David post primum suum relapsum metueret reprobationem finalem: aut cur eam quicunque alius tantopere metuat? Cur metuat? Quia judicia DEI sunt inscrutabilia: *Judicia DEI abyssus multa. Psal. 35. v. 7.* An affirmare tu potes, quòd DEUS non præfixerit cuilibet numerum illarum noxarum, quas in eo vult ferre cum patientia, & earum, quas non vult ferre? De hoc sanè ambigi non potest: nec enim DEUS quidquam casu & temerè facit. Unde igitur tu nôsti, quòd DEUS etiam pati velit se offendi à te toties, quoties illum offendit hic aut ille? *Miserebor cui voluero.* Sic ille locutus est *Ex. 33. v. 19.* Neque quidquam certi hac de re cuiquam constare voluit. Manasses fatigavit, si ita loqui licet, Misericordiam divinam: tam multa ille, alia ex aliis, gravissima flagitia admisit. Et tamen denique sic illum admissorum pœnituit, ut salutem consequeretur. Saul primo peccato admisso reprobatus fuit. Quid igitur tu scis, quid te futurum sit, IV.

ſi cecideris denuo? Fortaſſis numerus tuus completus eſt: ſic ut DEUS hodie dicere ad te poſſit, quod olim ad Hieruſalem. *Completa eſt iniquitas tua, Filia Sion. Thr. 4.* Et ſi ita fuerit, quid tibi denuo peccanti ſupereſt, niſi ut à peccato in peccatum proruas, haud ſecus ac fecit iniqua illa & infelix Gens? *Qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc. Apoc. 22. v. 11.* Unde tam ad rem appoſitè pronuntiavit Eccleſiaſticus: *de propitiato peccato, noli eſſe ſine metu.* Etſi enim de veniâ admiſſæ illius noxæ certus eſſes, ſcire tamen non potes, an non illa ipſa noxa poſtrema ſit, cujus tibi gratiam facturus ſit DEUS. Nemini hoc, niſi uni DEO, conſtat: & idcirco hoc ipſum quodammodo innuens Eccleſiaſticus ſtatim addidit: *Neque adijcias peccatum ſuper peccatum. Eccl. 5. v. 5.* Tanta eſt temeritas non advertentis animum ad periculum, cui ſe exponit, qui ſic peccat, perveniendi ſcilicet ad barathrum illud tam profundum impœnitentiæ, ex quo non evaditur. *Lapſa eſt in lacum vita mea: & poſuerunt Lapidem ſuper me. Thr. 3. v. 53.* Non carebis, ne penitus pereas, auxiliis neceſſariis; do hoc tibi: quid autem inde tibi commodi, ſi tu hæc ipſa auxilia, utut de ſe ſufficientia, non acceptabis, nec iis utéris? Ne igitur ad id attendas, quid re ipſa nonnunquam accidat quibusdam pluries relapſis in peccatum, quos tu videris Chriſtiano ritu ac more cum ſalutis ſpe hinc migrantes: ſapientis non eſt arguere ab his exemplis fortunam ſimilem: tu ad id averte animum, quod res ipſa ſecum fert. Solet autem frequens in peccata relapſus negotium ſalutis naturâ ſuâ facere deterius. *Ecce ſanus factus es: jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Joh. 5. v. 14.* Tum quia homo ſemper evadit imbecillior, tum quia malus Dæmon ſemper inſolentior; DEUS autem ſemper turpiùs proditus,

tus. Unde etiam fit, ut multi sic relabentium, etsi surgere videntur identidem, revera tamen non surgunt: surgunt ut mortui ad vitam revocati à Magis & Præstigiatoribus, oculorum ludibrio: advertere enim licet, quòd post vitam ita recuperatam nunquam ferant fructus seriæ pœnitentiæ; non sunt quàm antea cautiores; non præseferunt ulla animi dolentis signa; non utuntur ullis mediis, quæ DEUS ad perseverandum in gratia constituit, atque ita mox iterum ejus jacturam faciunt. *Peccator adjiciet ad peccandum. Eccl. 3. v. 29.*

Considera, quid igitur vero Pœnitenti juxta rectam rationem observandum? illud scilicet, quod Rex David observavit: Existimare, quòd relabi respectu ipsius idem sit futurum, ac æternùm damnari, etsi aliis tam siniſtra sors non obtingat. Fieri potest, ut nec ipsi tam perniciabiliis casus sit: sed quid si esset? Prô quantâ de re agitur, dum agitur de eo, an quis æternùm à DEO sit abjiciendus! Audi quæ sors futura sit sic projectorum: *Pœnas dabunt in interitu æternas à facie Domini. 2. Thess. 1. v. 9.* David tamen, animo præditus verè regio, nullius alterius pœnæ ex istis rationem habuit, quantumcunque atrocis ac formidandæ, non rotarum, non ferri, non ignis, non tenebrarum, non Draconum, non Dæmonum fædissimorum, sed ejus tantùm, quâ procul erat futurus à facie DEI. *Ne projicias me à facie tua.* Hoc enimverò, hoc est, non servi instar, sed filij se gerere; cùm procul à dibus paternis in exilium abeundum est: non meminisse egestatis, quam toleraturus est, non incommodorum, non casuum adversorum, non derelictionis; sed solùm istud revocare in animum; quòd carendum sit Parente. V.

VERSUS XIII.

*Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirma me.*

1. COnſidera, Perſeverantiam finalem eſſe donum tam præſtans, ut nemo illud mereri poſſit condignè; poſſit tamen citra dubitationem obtineri: quibus autem mediis? Vi orationis ardentis continuatæ: cùm Chriſtus ſine ulla exceptione nobis promiſerit: *Petite, & accipietis.* Ecce igitur, quomodo David non contentus tam præclarum donum priore verſu petiiſſe, idemnet mox iſto Verſu repetat; id quod facere convenit in donis magni momenti. Quamquam hîc etiam ultra progreditur; ſic ut non ſolum à DEO petat donum Perſeverantiæ finalis, ſed ab eodem etiam petat ejus pignora: hæc autem duo ſunt: Primum eſt ſpes ſalutis non minùs poſt peccatum admiſſum, quàm antè, conſequendæ: alterum non ſpes tantùm, ſed & certitudo obtinendæ hujus ſalutis.

Spes conſequendæ ſalutis eſt communis omnibus illis, qui morali certitudine nôrunt, ſe vivere in DEI gratia. Quis proin dubitet, quin David, antequam peccaret, ejusmodi etiam ſpe gaviſus fuerit? Si autem gaviſus fuit, rectè nunc ille à DEO petit, ut hanc ipſi reddat: *Redde mihi lætitiam ſalutaris tui.* Hoc eſt, *lætitiam quæ provenit à ſpe ſalutis à te mihi donandæ.* Hactenus non obtinuerat, ut certus eſſet: & idcirco animo prorſus magno ac fiduciâ, prima vice petit, ut confirmetur in gratia: *Et ſpiritu principali confirma me.* Usque adeò verum eſt, non eſſe favorem tam ſingularem, gratiam tam raram, quam ſperare à DEO non poſſit, quem ſeriò pœnitet admiſſorum! Hæc

eſt

est Pœnitentiæ excellentia, ut quando illa vera est ac seria, collocet hominem in statu obtinendi à DEO exquisitissimos illos favores, quoscunque Innocens habere potuisset. *In regno meo restitutus sum* (dicere potuit Nabuccodonosor post agnitum errorem è nemore reversus in Regiam) *in Regno meo restitutus sum, & magnificentia amplior addita est mihi. Dan. 4. v. 33.* Et tantundem cum ipso dicere potest Peccator quilibet, admissa seriò deplorans.

Dixi, seriò deplorans admissa: nec enim quisquis surgit post peccatum, ad eandem gratiæ altitudinem evehitur; sed alius ad altiorem, alius ad inferiorem, pro mensura doloris de malo admisso; & magìs, pro mensura firmitatis propositi de vita emendanda: & quia hoc in Davide fuit valdè perfectum, idcirco eo effectum est, ut ad gradum in quocunque perfectionis genere altiorem surgeret: *Bonum mihi, quia humiliâsti me, ut discam justificationes tuas. Psal. 118.*

Desiderásne tu interea indicium Prædestinationis tuæ haud obscurum? Animum adverte, an illæ noxæ, è quibus emersisti, te juverint, ut quàm antè fueras, melior evaderes. Si juverunt, gaude; id enim argumento est, te Electorum esse è numero. *Diligentibus DEUM, omnia cooperantur in bonum. Rom. 8.* Et quid denotat hoc *omnia? etiam peccata*; respondet audacter Glossa, secuta in ea re Sanctos Doctores. Enimvero æquissimum est, te in hac resipiscentiâ tuâ esse quàm maximè constantem. *Sicut fuit sensus vester, ut erraretis à DEO, decies tantum iterum convertentes requiretis eum: Baruch. 4. v. 22.* II.

Considera, omnem Peccatorem, etsi tam ex animo resipuerit, debere nihilominus præcipuam salutis spem reponere non in propria resipiscentia (hæc enim quantacunque

que ſit, aliquando iterum mutari poterit) ſed in Chriſto. *Chriſtus in vobis ſpes gloriæ. Coloſſ. 1. v. 27.* Si magnus Pater prædeſtinavit nos ad Gloriam æternam, non aliunde hoc, quàm à JESU eſt. *Gratificavit nos in dilecto Filio ſuo. Eph. 1. v. 6.* JESUS fuit ejus Prædeſtinationis cauſa exemplaris: hæc enim nobis data eſt ad ſimilitudinem ejus, quæ ipſi obtigit (quamvis hæc ipſi obtigerit tanquam Capiti, nobis autem tanquam membris.) JESUS fuit illius cauſa meritoria. A quo igitur, præterquam ab ipſo, ejus executionem conſequi poſſumus? *Non eſt aliud Nomen ſub cælo, in quo oporteat nos ſalvos fieri. Act. 4. v. 12.* Cùm æquiſſimum ſit, bona omnia à capite in membra derivari.

Hoc jam inde à ſua ætate Regi Davidi conſtabat, & proinde quis exprimat lætitiam, quam ille ſenſerit, quoties ſubibat memoria, magnum hunc Servatorem, priùs toti Mundo, deinde etiam ipſi, tanquam ſuo Progenitori, inclytam planè ſobolem, fuiſſe promiſſum. Hæc tamen lætitia plurimum in corde infelicis imminuta fuerat poſt facinus illud tam indignum; tum quia jure optimo timere poterat, promiſſionem ſibi peculiariter factam eâ tantùm conditione, ſi fidem ipſe DEO datam conſtanter ſervaret; tum etiam caſu quo promiſſio illa non penderet ab ulla conditione, quid demũ emolumenti redundâſſet in Regem infelicem ex eo, quòd Servatorem aliis quidem, ſed non ſibi, progenuiſſet? Hanc erga lætitiam in Pœnitentiæ ſuæ ſolatium reddi ſibi rogat, ſic ut ipſe ſperare ſalutem poſſit, ut illam ſperârant tam multi; & aliquanto etiam confidentiùs. Et quia hoc eſt, quod à DEO ille poſtulat, obſerva quàm jure ille ac merito utatur his vocibus: *Redde mihi lætitiam Salutaris tui*, hoc eſt, ut S. Hieronymus interpretatur, *JESU tui.* Vide etiam; ut tu tuo bono non minùs

ani-

animum advertas, quòd JESUS debeat esse omnis tua lætitia & exultatio, quando futuræ salutis tuæ meministi: *Exultabo in DEO JESU meo. Abac. 3. v. 18.* Si Salutem hanc ab ipso non habes, quis illam tibi dabit? & si ille tibi eam dederit, quis tibi illam tollet? *Omnia dedit Pater in manu ejus. Joh. 3. v. 35.*

Considera: potuisse Christum duplici modo consecutum esse Prædestinationem Electorum ad Gloriam. I. Primus est, si ipse precibus suis potentissimis (ab æterno à Patre prævisis) non intercessisset pro singulis, nec pro ullo hominum potiùs, quàm pro alio; sed tantùm rogâsset Patrem, ut insignem aliquem numerum Electorum sibi concederet (*Turbam magnam, quam dinumerare nemo posset*) permittendo eidem totum arbitrium quoscunque vellet in hunc numerum admittendi. Alter erat, si Christus precibus illis suis speciali favore hunc præ illo Patri commendâsset (omnium enim divinâ suâ scientiâ habebat notitiam) rogando Patrem, ut pro eorum quolibet efficacia essent, quæ erant accepturi auxilia, cùm alij eadem, suâ licèt culpâ, merè sufficientia essent reddituti. Quo ex prædictis his modis Christus re ipsa sit usus, non satis constat; vero tamen similius videtur, fuisse usum secundo, tanquam magis convenienti Servatori non tantùm communi omnium, sed specialissimo singulorum. *Salvum me fecit, quoniam voluit me. Psal. 17. v. 20.* Verum quidem est, quòd ille muneri Servatoris respectu cujuslibet Electorum abunde fuisset satisfacturus, si solam ipse sibi vindicâsset executionem eorum salutis, quam solus Pater decrevisset. Quanto autem majori titulo Servator singulorum est, si ipse id egit, ut singuli, & hi potiùs, quàm illi, eligerentur? Hoc enimvero erat operari ex dignitate Personæ, qualis

ipſe erat, Filius nimirum DEI tam dilectus! Non decet Primogenitum alicujus Monarchæ ita à Patre negotiis admoveri publicis, ut ad ipſum, præter executionem voluntatis paternæ, nihil pertineat; quo modo Miniſtris talia negotia committuntur; decet, ſi quidem eâ prudentiâ ſit, ejusdem arbitrio multa committi. Humanæ Salutis executio noſtris cujuslibet precibus tribui poteſt. Noſtrûm quilibet eam impetrare poteſt precibus ſibi ipſi, uti & aliis, nec generatim tantùm, ſed certis etiam quibusdam. *Orate pro invicem, ut ſalvemini. Jac. 5. v. 16.* Convenientiſſimum proin erat Chriſtum hoc in genere plus poſſe, quàm alium quemlibet: poſſe ſcilicet impetrate non ſolùm executionem Electionis ad Gloriam, ſed ipſam adeò Electionem: quæ eſt meta tam ſublimis, ut ad eam ſagittæ ejus, qui homo duntaxat ſit, non pertingant *S. Th. 1. p. q. 2. 3. ar. 8.* Ad exequendam Salutem S. Pauli non nihil contulit S. Stephanus, etſi non niſi Diſcipulus JESU eſſet. Et JESUS ipſe plus modóque longè excellentiore non contulerit, ad obtinendum ſcilicet ipſum Pauli æternùm ſalvandi decretum? Quod ſi autem decretum hoc pro Saulo impetrare Chriſtus potuit (hâc ipsâ fortaſſis causâ vas Electionis ab ipſo appellatus, (*Vas electionis eſt mihi iſte*) cur idem impetrare non potuerit pro Petro, pro Joanne, pro Jacobo, & quolibet alio tam multorum ſuorum Fidelium, quos eâ causâ toties Electos ſuos compellavit? *Ego ſcio, quos elegerim. Joh. 13. v. 18.*

Filio à Patre jus prærogativum tam inſigne concedi nihil pugnat cum ratione: quo enim actu ac decreto Pater voluit & intendit Chriſtum, eodem etiam Electos reſpectu Chriſti generatim decernere potuit, ſic ut Chriſtus *eſſet Primogenitus in multis fratribus. Rom. 8. v. 29.* Et quo decreto

creto Pater generatim Electos voluit, poterat (ad hoc ut eos Christo magis devincirer) velle, ut eos Christus, inter Mortales degens, speciatim peteret, relicta ipsi eorundem optione. Et si Pater facere hæc omnia potuit, vero longè simillimum est, re ipsa feciſſe, ut colligitur è verbis illis peculiari obſervatione dignis quibus Filium Pater est allocutus: *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam. Ps. 2.* Et ex illis, quibus subinde Apostolos Christus est allocutus. *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis: & ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, Regnum Luc. 22.* Dum dixit illis *Ego dispono vobis Regnum*, palàm fecit, se fuisse causam impetratoriam Prædestinationis ipsorum singillatim: dum dixit, *dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater*: ostendit se simul fuisse causam exemplatem. Hoc autem si ita habet, quas illi ab Electis per omnem deinceps æternitatem gratias agi par erit? An & tu illas reddes? Vide quis sit Amor, quo tu in Christum ferris: & inde non magno negotio argues, quis fuerit Amor Christi in te, quando inter Mortales, tanquam author Salutis cum lacrymis rogabat, à DEO constitutus, respectu tui perinde, ac cujuscunque alterius, Salutare DEI.

Considera, quòd sperare salutem non temerè, sed cùm magna ratione, sicut illam sperat, qui fiduciam suam novit reponere in meritis Christi JESU, sit res conjuncta cum magna lætitia. Nec tamen vel hâc lætitiâ contentus penitus fuit David, ut audîsti. Cupiebat à spe tansire ad securitatem. Atque idcirco postquam DEO dixit, *Redde mihi lætitiam Salutaris tui* sive *JESU tui*: mox subjungit: *& Spiritu principali confirma me.* Confirmatio in gratia, sicut est donum proprium Termini ad quem tendimus, ubi, virtute claræ DEI visionis, nemo porro peccare po- IV.

re poterit, ita rara admodum eſſe debet in Via. Conſiſtit autem hæc Confirmatio in perpetua quadam ac continua ſerie auxiliorum ac gratiarum tam aptarum, tam efficacium, ut non permittant libero arbitrio ferri in partem divinis legibus oppoſitam, ſed illud ſemper retineant propenſum ad DEI juſſa, id quod eſt proprium Beatorum in Patria. *Confirmatum eſt cor ejus: non commovebitur. Pſal. 118. v. 8* Hinc ſi DEUS alicui in mortali hac vita degenti gratiam iſtam ac donum confert (& quin aliquando conferat ambigi non poteſt) non tamen ſemper eundem de collato tali dono facit certiorem: imò vix unquam id facit, cùm ea incertitudo incredibile quantum conferat ad complurium virtutum exercitationem, quæ ab ea derivantur; quales ſunt, Timor caſtus, Vigilantia, Submiſſio, indefeſſa in imploranda DEI ope diligentia, aliæque ſimiles, quæ cogitanti facile in mentem venient. *Beatus homo, qui ſemper eſt pavidus.* Et tamen hanc, de qua diximus, certitudinem, videtur hîc David in animo ſuo deſiderâſſe: quid enim ad ſinceram lætitiam contuliſſet, confirmatum eſſe ſpiritu, quem ipſe appellat, Principali, niſi ipſi de hac confirmatione conſtitiſſet? Ceterùm ego hîc libenter ex te quærerem: quam tandem cordis lætitiam hac in vita percipere tu poſſis, ſi in hac, quam vivis vita, de ſalute tua tam non potes eſſe certus, ut ne prudentem quidem ſpem habeas?

V. Conſidera, duplicem eſſe poſſe propriæ ſalutis certitudinem. Prima eſt, quæ habetur ex divina Revelatione: hanc autem deſiderare abſque peculiari DEI inſtinctu, qui ad eam petendam impellat, non eſt laudandum. Altera naſcitur ex ſignis, quæ Sancti, tanquam magìs ſecura, in medium afferunt. Et hanc non ſuſpirare tantùm, ſed procu-

procurare, & procurare quibuslibet impendiis omnino par est. Signorum istorum securissimum procul dubio est; constans & indefessa executio omnium operum bonorum; quæ quidem perpetua serie, quoad ejus potest, conjungantur; hoc enim indicavit S. Petrus iis verbis: *magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis: hæc enim facientes non peccabitis aliquando. 2. Petr. 1. v. 10.* Sed quia Signum hoc valdè est universale, en aliud specialius, quod summam in te semper parere lætitiam debeat: Quidquid agis, puro erga DEUM amore agere: *Lætetur cor quærentium Dominum. Psal. 104. v. 3.* Hic, si suis rem momentis libramus, est Spiritus principalis, quem hîc petit Psalmographus, dum ait: *& Spiritu principali confirma me.* Spiritus non plebejus, sed Principe, qualis David erat, dignus, hoc est, spiritus non infectus amore sui, non studiosus suorum commodorum, non abjectus, nullam penitus sui, sed unius DEI habens rationem. O quâm istud securam tibi pollicetur salutem, imò illam efficit, dum te contra omnem assultum invictum facit! *Confirmat te. Quærite Dominum, & confirmamini. Psal. 104. v. 4.* Et quam tandem ob causam existimas verbis tam non ambiguis pronuntiâsse Apostolum? *Certus sum quia neque Mors, neque Vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate DEI, quæ est in Christo JESU Domino nostro. Rom. 8. v. 38.* An ita locutus est ob eam, quam de alute certò consequenda habuerit, Revelationem? Verior opinio est, talem non accepisse, dum uno tantùm anno priùs in prima sua ad Corinthios contrarium diserris verbis affirmavit, eò progressus ut diceret: *Ca-*

*ſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne fortè, cùm aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar. 1. Cor. 9. v. 27.* Ita igitur pronuntiavit, quia experiebatur in ſe decretum firmiſſimum non quærendi porro quidquam præter JESUM: *JESUS Chriſtus heri & hodie: ipſe & in ſecula. Hebr 13. v. 8.* Fixum illi erat, cogitare de JESU, loqui de JESU, laborare propter JESUM, vivere jam non ſibi, ſed ſoli ipſi JESU, donec denique etiam moreretur propter JESUM. *Charitas Chriſti urget nos, ut qui vivunt, jam non ſibi vivant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt. 2. Cor 5. v 15.* Et qui aliud non vult, quàm JESUM, quid tandem metuat? hunc illi auferre nemo poterit. Spiritus igitur iſte puriſſimus Charitatis, etiam Spiritus Principalis vocatur, quia eſt Spiritus imperans, ſuperior nimirum omni alio ſpiritu animali, cupido, diabolico, qui nos ſeparare velit à DEO: *Spiritus robuſtorum, quaſi turbo impellens parietem. Iſ. 25. v. 4.* Et ſi ille talis eſt, quid jam mirum, quòd ipſum ipſiſſimum hîc petat David, ad tanto ſemper certiorem efficiendam ſalutem ſuam? Spiritum, qui hoc in Mundo nihil jam ſuum, ſed ſolum DEUM quærere propoſitum habeat?

VI. Conſidera, videri hîc poſſe nonnemini, quòd ego non advertens quid agam, faciam Davidem affirmare inter ſe apertè pugnantia. Dico enim partè unâ, quòd ille ardentiſſimè deſiderârit Spiritum non jam aliud quidquam curantem, quàm DEUM ſolum: *Spiritu principali confirma me.* Parte autem alterâ affirmo, deſideráſſe illum ſummâ ſolicitudine certam reddere ſalutem ſuam. *Redde mihi lætitiam Salutaris tui.* Hæc quomodo cohærent? tam anxiè cogitare de ſe (in iis etiam quæ ad æternam ſpectant Beatitudinem) & DEUM unum ac ſolum velle, an non pugnant inter ſe? Quomodo pugnant? reſpondent invicem

cem quâm bellissimè: & qui oppositam doctrinam simplici popello venditare non dubitavit, non fuit Dux; fuit Seductor Animarum. Et quid tandem aliud est, Salutem suam studiosissimè curare, quàm idoneum se reddere, quàm anhelare ad consequendum finem suum ultimum? Finis autem noster ultimus an aliud est, quàm DEUS ipse, fidelissimis obsequiis cultus in Via, & possessus cum gaudio in Patria? Qui igitur magis sibi cordi habet finem ultimum, is etiam DEUM magis sibi cordi habere dicendus est. Atqui hic DEUM sibi quærit: sit ita: hoc autem nihil obest quò minùs quærat DEUM. Ille enim DEUM magis quærit & curat, qui magis cordi habet exequi, quod DEUS præ aliis omnibus ab eo exigit. Quid autem magis DEUS à nobis petit, quàm ut salvemur? Hunc ob finem ipse nos condidit. Sufficit igitur, ut in sic quærendo nos, non simus ipsi nobis noster finis, sed ut DEUS sit iste finis. Quid his verbis innuo? Sufficit ut nos, quærendo nobis DEUM, non solum fideli obsequio cultum in vita, sed etiam cum gaudio possessum in cælo, non quæramus illum nobis propter nos, super omnia, sed nobis propter ipsum, hoc est, propter ipsum amandum per omnem æternitatem, sicut meretur amari (cùm hac in vita id tam difficulter fieri possit) propter ipsum admirandum, propter ipsum adorandum, laudandum, glorificandum à nobis simul pleno, cum tot Beatis cæli spiritibus, choro. Dubitásne num David aliâ magis quàm hac causâ & ipse desiderârit suam Salutem? Certùm est, quòd si ipse aliquando dixit tam disertè: *Unam petij à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in Domo Dominî, omnibus diebus vitæ meæ. Psal. 26.* Aliâ palàm facere voluerit, quâ causâ id dixerit, & idcirco etiam

etiam affirmârit *Beati qui habitant in domo tua Domine: in ſecula ſeculorum laudabunt te. Pſal. 83.*

## Versvs XIV.

*Docebo Iniquos vias tuas, & Impij ad te convertentur.*

I. COnſidera; æquum omnino fuiſſe, ut poſtquam David tam multas à DEO gratias, & ipſam adeò omnium maximam, finalem nimirum Perſeverantiam, petierat, ut ipſe viciſſim etiam cogitaret, quas pro tantis donis reddere vices poſſet. Ecquod autem primum fuit eorum, quæ reddere parabat? fuit ſatisfactio ab eo praſtanda pro pravis exemplis, quibus alios ad malum irritârat. Erant hæc exempla, ut notum eſt omnibus, duplicis generis: aliis enim nocuerat directè & ex ipſo actus ſui fine; aliis obliquè, & velut per conſequens. Directa ſpectabant Betſabeam, à Rege impulſam ad adulterium; nuntios ad eam miſſos, qui, ſi ſponte ipſa nollet, etiam invitam & renitentem perducerent: Joabum inductum literis fraudulentis, ut in prima acie ſtatueret Uriam, eúmque in ipſo certaminis calore deſtitueret, ut ita qui arte interficiebatur, caſu cæſus videretur. Indirecta & obliqua fuerant, quæ non Subditos tantùm, in quorum ea notitiam pervenerunt: ſed & exteros graviter offenderant. Etſi enim nihil non ageret David, ut cunctos facinora tam propudioſa lateren̄t, nimium quantum tamen jam tranſpiraverat ad verſutos eorum notitia (ut in Magnatum delictis aſſolet) & ab his etiam ad alios minùs emunctæ naris emanaverat. Unde etſi nemo præſenti Davide auſus unquam eſt ſe conſcium ar-

um arcanorum istorum profiteri; ad amussim Legum Aulicarum, quæ jubent, ut quisquis non potest loquendo in ejusmodi eventibus adulari, aduletur saltem tacendo; non tamen idcirco absente Rege non liberè à cunctis mussitabatur, cum non levi honoris etiam divini præjudicio, tanquam DEUS elegisset ad Sceptrum Judææ, velut hominem factum secundùm cor suum, illum qui à bardocucullo, & rudi cannabe transgressus ad Purpuram, à Pastorum mapalibus ad Palatia Regia, tam fœdè subinde abusurus esset potestate Monarchæ: etsi idem DEUS post tot nefaria facinora ne minimo quidem pœnæ indicio suam erga illum indignationem prodidisset: cùm tamen non multo ante à facie sua Saulem, cum omni sua prosapia, ob delicti, non levis quidem momenti, minoris tamen, si ponderarentur, momenti projecisset. Et hoc videtur esse illud, quod paucis verbis insinuavit Propheta Nathan, cùm in sua illa celebri Legatione Davidi in faciem dixit: *Blasphemare fecisti Inimicos Domini propter verbum hoc.* Neque enim ullo in eventu Mortalium noxæ majori petulantiâ attribuuntur DEO, quàm quando accidunt in iis, qui cælo peculiariter cari sunt. Utrique porro huic scandalo promisit isto in versu David, se pro viribus adhibiturum remedium per omnem deinceps vitam suam. Et quo istud modo? restituendo DEO tot saltem animas, quàm multas antea illi abstulerat, imò etiam plures: *Docebo iniquos vias tuas, & impij ad te convertentur.* Hic est genuinus de admissis dolor; non desistere tantum à malo, quod quis operatus est; sed istud etiam pro viribus compensare.

Considera, quàm ad rem apta & idonea fuerit ratio, II.
quam tenuit David ad compensandum malum admissum, dum saltem pro una Anima aliam voluit restituere. *Ani-*

*mam pro Anima. Levit. 24. v. 18.* Neque idonea tantùm fuit, ſed fortaſſis unica. Si enim, qui Jumentum ſuos ad uſus è Ruſtici ſtabulo abſtulit, tenetur hoc illi confeſtim reſtituere, quomodo non tenebitur, quantum in ipſo fuerit, reſtituere DEO Animam, qui Ejus è ſinu illam abſtulit, ut traderet in manus hoſtis ſtygij? Hîc enimvero, hîc oportet omnes ingenij ac Scientiæ vires exerere, ſic ut ſi reddi DEO non poteſt ampliùs illa Anima, quæ jam migravit in infelix conſortium eorum, qui DEO æternùm maledicent, ejus loco, reddatur ipſi alia, non minùs eidemmet cara, quæ ipſum per omnem deinceps æternitatem in cæli gloria ſuperexaltet. Jſtud procul dubio ſpectavit David verbis allatis; cùm non videretur ſibi poſſe deinceps ſine rubore comparere ante faciem divinam, niſi priùs tam multos in cæli ſemitam reduxiſſet Peccatores, quàm multos antea ab ea ſeduxerat Juſtos. Quid ad hunc finem à cibis abſtinentia, flagra, veſtes ſetoſæ, eleemoſynæ contuliſſent? Habuiſſent quidem iſta aliquam ad ſatisfaciendum pro delicto tam enormi vim, ſed ejus judicio non ſufficientem. Ubi intervenit furtum rei tam pretioſæ, recta ratio etiam reſtitutionem poſtulat: *Animam pro Anima.*

Quid tu hîc de te ipſo dices, homine malè conſulto? Non exprobrat tibi conſcientia, quòd & tu pravo exemplo, directo an indirecto, Animam aliquam in exitium impuleris? Si exprobrat, diſce ex Rege tam magno, quæ ſit optima talem jacturam compenſandi ratio. Hac ſi non uteris, quâ tandem, ut magis idoneâ, uteris? *Væ homini illi, per quem ſcandalum venit! Matth. 18.* Et quare *Væ!* quia pravo exemplo nocere, eſt facillimum: quàm autem eſt difficile ejusmodi deinceps damnum reſarcire! Vipera, ſi veneno inficit, ipſa quoque ſeipsâ antidotum læſis ſubmini-

ministrat. Nihilominus quis explicet, quanto plures illa occidat ut Vipera, quàm sanet ut Theriaca? Idem in re nostra accidit. Et tamen adverte, ad terrorem majorem. Qui Proximorum suorum aliquem in ruinam impulit, non solùm est debitor Animæ illius DEO ablatæ; sed etiam est debitor animæ, propter DEUM illimet ablatum. Idcirco perpende, quàm etiam isto ex capite debitum hoc sit momenti & ponderis immensi! debere Animæ restituere DEUM.

Hoc non est tantùm, debere reddere sanitatem Animæ, sicut sanaretur corpus noxio infectum veneno. Est, debere illi reddere vitam. An enim nescis, multo magis DEUM esse vitam Animæ, quàm Anima sit vita corporis? agnoscis igitur hîc velut in Synopsi, quid facere debeat, quisquis alios pravo exemplo offendit: tanquam fur reddere debet DEO Animas; & tanquam homicida, reddere debet Animabus DEUM. Unde facilè perspicies, quàm non debeat perdere ullum momentum temporis. Admoveat confestim manum operi, non labori, non curæ parcat; & si quâ sinistrâ suâ sorte impeditur, quò minus reddere sine mora possit quod debet, spondeat DEO, sed ex animo, se mox, atque occasio fuerit, id redditurum: *Docebo iniquos vias tuas, & impij ad te convertentur.*

Considera, vias Domini tam multas esse, ut investigari omnes non possint: *Quis poterit scrutari vias ejus? Job. 26. v. 23.* Istas tamen David alibi ad duplicem classem revocavit; ad vias nimirum Misericordiæ, & ad vias Justitiæ. *Universæ viæ Domini Misericordia, & Veritas.* Viæ siquidem Domini sunt profundissima ejus Consilia, quibus Mortalium vitam gubernat: *Terribilis in consiliis super filiis hominum. Psal. 65. v. 5.* Omnia autem hæc Consilia, si III.

animum advertis, ſunt vel opera Miſericordiæ, vèl opera Juſtitiæ. De ejusmodi porro Viis promiſit hîc David idonea admodum documenta ſe daturum Iniquis omnibus, mox atque occaſio ſe obtulerit; eum in finem, ut altè in animum iſti demitterent, quàm multi ſint inauditæ Miſerationis actus, quibus erga eum DEUS utitur, qui peccavit; quanti etiam parte alterâ actus Juſtitiæ; atque ita horum conſideratione ad vitam mutandam inducerentur. Quomodo autem ille ſubinde promiſſis fecit ſatìs? Satisfecit modo quàm fieri poteſt perfectiſſimo; documentis nimirum & tacitis, & manifeſtis. Unquámne tu obſervâſti, quomodo ſe gerant, qui alios artem pingendi, fidibus ludendi, digladiandi, ſaltandi docent? multa omnino te rebus iſtis præcepta tradunt oretenus eas diſcentibus: quin tamen dicant quidquam, plus longè illos docent, dum mira artium earum ſpecimina ipſimet edunt; & ille manu peritâ, hic pedibus, motus eos artificioſos exhibent, quos exhibere oportet, quandocunque aut pingere, aut fidibus ludere, aut digladiari, aut ſaltare ad artis præcepta convenit. Atque hoc eſt, quod David quoque in multo nobiliore magiſterio, ut promiſerat, præſtitit. Tu porro in ejusmodi ſchola ô quantum, ſi modo ad rem animum applicas, diſcere repentè potes!

IV. Conſidera, Davidem, etiam tacendo exhibuiſſe ſe exemplum operum, quæ re ipſa facere DEI Miſericordia cum Peccatoribus, & operum quæ cum iisdem Juſtitia facere conſueverit. Miſericordiæ quidem, dum in ſe ſpectandum exhibuit, quàm promptè, quàm plenè veniam tribuat omni culpæ, quamlibet enormi & atroci, mox atque de admiſſis Peccator dolet; ſiquidem is dolor ex animi ſenſu intimo proficiſcatur. Vix David Nathan prophetæ dixerat:

*Peccavi*

*Peccavi Domino*, cùm mox Nathan; *Dominus quoque transtulit peccatum tuum.* Neque tantùm ad pristinam ille cum DEO familiaritatem admissus est, sed etiam ad arctiorem. Exemplum autem operum Justitiæ se exhibuit, dum omnium oculis objecit, quàm seriò, & severè DEUS pœnas à Peccatoribus exigat, etiam post omnis culpæ veniam indultam. Hujus gratia Davidi facta est momento unico, & tamen quot deinceps annis multiplicium pœnarum acerbitatem ferre coactus est, dum alij ex aliis casus sinistri longa serie in illum irruerunt; mors filioli; conjuratio in ejus vitam à filiorum carissimo & plurimis beneficiis affecto inita; Militiæ Ducem perfidia; recusata imperiis ejus ab urbibus obedientia; fuga, quâ se subducere coactus est è sua Regia, ne in filij perduellis manus incideret: Uxores violatæ inspectante innumerabili Populo; maledicta cum lapidibus in ipsum jacta à Subditis; seditiones, tumultus, mors infeliciſſima, quâ sublatus est ipse filius, tantorum Author malorum, nefarius ille quidem & temerarius, filius tamen, & filius unicè dilectus, occisus tum, cùm pessimo res Animæ ejus loco ac statu erant! *Die ac nocte gravata est super me manus tua. Psal. 31. v. 4.* Tali exemplo non ij duntaxat, qui ætate Magni illius Regis vixerunt, eruditi sunt, sed ij quoque, qui vixerunt postea, & qui ad finem usque Mundi vivent. Quod cum ita sit, negari non potest, quin ille ad præsens tempus velut aliud agendo, magnam tamen partem emendaverit exempli, quo aliis nocuerat, pravitatem: dum tam multos jam ad vitam emendandam pellexit exemplo tam præclaro, quo ad divinas Miserationes post peccatum admissum confugit, quóque se vindici DEI dextræ subjecit. Quid autem dico, se subjecit? dicere debebam, quo in se à vindice DEO ani-

madverti gaviſus eſt: huc enim usque re vera David progreſſus eſt: *Miſericordia tua ante oculos meos eſt, & complacui in veritate tua. Pſal. 25. v. 3.* Et verò quàm inſignis iſta eſt Pœnitentibus norma! Cùm eo rerum ſtatu homo eſt, enimverò nunquam à DEI Miſericordia animum avocare oportet, ne in deſperandi periculum quis ſe conjiciat: in Juſtitia tamen penitus complacere ſibi oportet. *Placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in neceſſitatibus, in perſecutionibus, in anguſtiis. 2. Cor. 12. v. 10.* An curæ tibi eſt, ut Regulæ tam præclaræ actiones tuæ reſpondeant?

V. Conſidera, quòd ſi curæ fuit Davidi viâ factorum mederi damnis, quæ exemplorum pravitate attulerat, non minùs illi curæ fuiſſe præſtare id ipſum deſtinato fine, viâ verborum exemplis conjunctorum. Sunt autem verba duplicis generis; viva alia, alia mortua. Quòd etiam viva voce David conatus ſit multos vocare ad Pœnitentiam per omnem reliquam vitam, id Sacri Interpretes longè vero ſimillimum cenſuerunt. Unde objice menti, egregium hunc Pœnitentem, è Rege tantùm non verbi DEI Præconem vocaliſſimum, reduxiſſe ad DEUM quamplurimos gemino illo modo; proponendo nimirum illis, quàm DEUS cum Peccatoribus & benignus ac Miſericors, quámque ſeverus ac juſtus ſit. Quid quòd hoc ipſum à ſe præſtitum apertè videtur indicâſſe verbis illis: *Non abſcondi Miſericordiam tuam, & Veritatem tuam à Concilio multo. Pſal. 39. v. 17.*

Extra controverſiam tamen eſt, quòd ille hoc multo perfectiùs executus ſit voce mortuâ, & porro executurus in documentis, quæ reliquit paſſim in Pſalmorum libro. Ad timendam DEI Juſtitiam proponit Peccatoribus graves

quas

quas ille intentat minas : *Nisi conversi fueritis, gladium suum vibravit : arcum suum tetendit, & paravit illum. Psal. 7. v. 13.* Docet eos, quòd has ille minas multis modis in rem deducat : *Multa flagella Peccatoris. Psal. 31. v. 10.* Monet, cùm eas DEUS non exequitur, multo majoris iræ id argumentum esse : *Secundùm multitudinem iræ suæ non quæret. Psal. 10. v. 4.* Opportunè illis in memoriam revocat, ne quid spei in fraudibus & astutiis suis reponant; DEUM enim videre ista : *Qui habitat in cœlis, irridebit eos. Psal. 2. v. 4.* Palàm denuntiat, quòd tum injurias suas vindicare & velit, & possit, cùm abesse videbitur longissimè, tutáque omnia credentur: *Inimici Domini, mox ut honorificati fuerint, & exaltati, deficientes quasi fumus deficient. Psal. 16. v. 21.* Denuntiat ipsis omnibus mortem horribilem : *Mors peccatorum pessima. Psal. 33. v. 22.* Singillatim ipsius explicat cruciatus, quos in Inferno sunt toleraturi. *Introibunt in inferiora terræ, tradentur in manus gladij, partes vulpium erunt. Psal. 62. v. 11.* Quæque his non absimilia facilè, si volueris, ipsemet in Psalmis invenies. Ad fidendum autem Misericordiæ DEI, vicissim ipsis manifestat, quanto amore, non admittendi tantùm denuo, sed etiam complexibus stringendi sint : *Sperantem in Domino Misericordia circumdabit. Psal. 31. v. 10.* Quàm plena DEI miserationibus sit omnis Terra : *Misericordia DEI plena est Terra. Psal. 118. v. 54.* Quàm nulla sit res condita, quamlibet abjecta ac misera, quæ earum non sit particeps *Miserationes ejus super omnia opera ejus. Psal. 144. v. 3.* Quàm illarum ne tum quidem, cùm furori suo quodammodo habenas laxat, oblivisci possit : *Nunquid continebit in ira sua Misericordias suas ? Psal. 76.* Atque ita tu de ceteris ratiocinare, contentus, quòd illa tibi innuerim.

II

Sic

Sic ut negari non poſſit, quin David Vias Domini præclarè docuerit, & rectà atque ex fine primario, Verbis, & velut ex obliquo, factis atque operibus; ut hac ratione compenſaret damna utroque modo, rectà & obliquè, pravis exemplis ſuis illata. Quos periculoſa ſymptomata extremis admoverunt, ſuis impendiis præſtantium remediorum notitiam acquiſiverunt: quæ cauſa eſt, cur peccatoribus reſipiſcentibus tam libenter DEUS ad aliorum ſalutem promovendam uſus ſit: in Veteri quidem Lege Davide; in nova Petro ad Judæos; Paulo ad Gentiles reducendos. Felix ergo ille eſt, qui talium mediorum notitiâ non ad ſuam unius, ſed aliorum quoque ſalutem uti novit! Tibi ſi ſatis eſt illis in bonum tuum uti, non exequeris id quod decet Pœnitentem ſerium ac ferventem. *Qui audit, dicat veni. Apoc. 22. v. 21.* Non ideò te DEUS reduxit ad ſe, ut eum tantùm offendere deſinas: reduxit, ut alios quoque ab ipſo offendendo avoces: *Recupera Proximum tuum ſecundùm virtutem tuam. Eccl. 29. v. 27.* Quâ autem ratione eos avocabis, & reduces? Inducendo omnes, ut ſuam in divinis Miſerationibus poſt admiſſum peccatum fiduciam collocent, & divinam Juſtitiam vereantur. Primum efficiet, ne timidi, quibuscum agis, animos deſpondeant; alterum, ne æquo audaciores præſidant.

VI. Conſidera, Davidem, ſi ipſe ſibi impoſuit onus hujus Magiſterij, quin expeſtaret, ut illud DEUS diſertis verbis imponeret, ſicut impoſuerat Moyſi, cùm dixit: *Aſcende ad me, & dabo tibi mandata quæ ſcripſi, ut doceas eos. Ex. 24. v. 12.* Ad id impulſum haudquaquam fuiſſe ſtudio vanitatis, ne minimæ quidem, ſed ſolo divini honoris Zelo. Ad hoc aſſerendum, audi quid ille, poſtquam dixerat *Docebo*, confeſtim DEO adjunxerit: *Et Impij ad te convertentur.*

*tentur.* Non *ad me* dixit, sed *ad te.* Neque enim abjectissimè de se sentiens iste Pœnitens curâ ullâ aut ambitione tenebatur admirationis, aut applausûs humani, qui ad illum rediret ab audientibus tam præclarè de Viis DEI disserentem. Hoc unum ipsi propositum erat, ut isti redirent ad DEUM. Hinc cùm tres sint partes Oratoris boni; Docere, Movere, & Delectare, adverte hîc Davidem Delectationis nullam habuisse rationem, sed tantùm duorum reliquorum: *Docebo*, & *Convertentur*; non quidem quòd ille in Psalmis uteretur phrasi vulgari & rudi; cùm revera usus sit formulis loquendi illustribus, figuris ingeniosis, & metaphoris elegantissimis, ut nemo Interpretum non advertit; sed quia noverat, ejusmodi dicendi genus, etsi suâ præstantiâ ad res divinas tractandas maximè idoneum, ad finem tamen propositum consequendum non satis esse efficax; sed illud potiùs, quo & doceret, & moveret, cujus proin rationem potissimam habuit. Docere studuit, quia qui docet, lucem affundit intellectui ad agnoscendum verum bonum. Movere studuit, quia qui movet, impellit denique voluntatem ad illud amplectendum. Et hic est omnis ille fructus quem meritò quærat Doctor sacer. *Iste est omnis fructus, ut auferatur peccatum Jacob. Ps. 27. v. 9.*

Quamquam autem David suum esse putavit, docere Peccatores, non perinde tamen suum esse censuit, eosdem etiam movere. Unde rectè sic DEUM allocutus est: *Docebo iniquos vias tuas:* non addidit tamen: *& Impios ad te convertam*; sed *Impij ad te convertentur.* Docere ad ipsum pertinebat; & ideò dixit *Docebo*: Converti, divini erat muneris; aut rectiùs pertinebat hoc ad Peccatores, divina adjutos gratiâ; & idcirco etiam sapienter dixit: *& Impij ad te convertentur.* Si tu, dum quæris Animas reducere ad

DEUM, ſpem tuam in te, tuísque dotibus ac habitudine, reponis, oleum perdis ac operam. Repone illam omnem in DEO: qui id procul dubio à te exigit, ne tu in iis juvandis, partibus tuis deſis; vult tamen inſuper, ut tu eodem tempore ad ipſum in oratione confugias, perinde ac ſi ex te planè nihil poſſes. Hoc ſi feceris, ne dubita; ſequetur fructus: nec enim DEUS omittit, quod ſuarum eſt partium, cùm nos, quod noſtrarum eſt, non omittimus. Hinc adverte, Davidem de fine, quem ſpectabat, conſequendo, non dubitâſſe; ſed illum citra dubitationem affirmâſſe: *Docebo, & convertentur*: tantum ille in DEO fiduciæ repoſuerat.

VII. Conſidera, poſſe hîc meritò aliquem dubitare, cur cùm David aliud facere non ſtatuiſſet, quam docere Iniquos: *Docebo Iniquos vias tuas*, ſubinde adderet, quod etiam Impij eſſent convertendi: *Et Impij ad te convertentur.* An enim iniqui ab Impiis non differunt? Differunt procul dubio. Hoc enim nos ipſi principio hujus Pſalmi poſuimus, ubi obſervare voluimus, quòd, ſi loqui placeat in maximè proprio vocum ſenſu, Impij ſint illi, qui erga DEUM pij non ſunt, & verum DEUM rite, ac cultu debito non venerantur. Et tales præ ceteris ſunt Ethnici, qui DEUM ne agnoſcunt quidem. Iniqui ſunt, qui cùm DEUM agnoſcant, eos tamen ſe, quos deberent, maximè erga Proximum, non præſtant. Sed ecce, quàm præclarum ſibi finem David propoſuerit, Iniquos tantùm docendo, iísque prædicando, convertere, & ad DEUM reducere etiam Impios. Et quâ id ratione? ipſorum Iniquorum, quos docere volebat, operâ. Non neſcis, Davidem propter eormem exemplorum pravitatem his non minùs, quàm illis, fuiſſe debitorem; debitorem ſuo Populo, ex quo tam multi,

multi, animati exemplo capitis sui, non dubitârunt gravibus alios injuriis lacessere: debitorem Gentibus & Populis vicinis, qui audita enormitate facinorum admissorum à Principe, qui sua in lege vir eximiè Sanctus existimabatur, progressi erant ad ejusmodi Legem tanto ampliùs vilipendendam, & explodendam, ut nos supra innuimus: atque ita etiam Ethnicis, Impiis inquam, & à veri DEI cultu alienis debitor fuit constitutus. Jam Davidi permissum non erat, Ethnicis prædicare, sed iis tantùm. qui è Populo suo erant. Quid egit igitur? excitavit se ad tanto majori studio conatúque prædicandum suis Popularibus: *Docebo Iniquos vias tuas.* Nec enim ignorabat, quòd si sibi subjectos in Salutis semitam reduxisset, eâdem operâ Ethnicis quoque esset plurimum emolumenti allaturus: propterea quòd tum nullo & ipsi negotio essent convertendi, quin eos ipsemet adhortaretur. *Et Impij ad te convertentur.* Idque eâ causâ, quia Ethnici & à vera Religione alieni non alio argumentorum genere magis se ad amplectendam veram Religionem moveri sentiunt, quàm præclaris rectè credentium exemplis; sicut vicissim pravis alieniores ab ea fiunt. Si omnes Catholici rebus ipsis essent, quod profitentur nomine, an ambigis tu, quin multi Hæreticorum hoc solo impellendi essent ad ejurandos errores suos ac perfidiam? idémque Judæis quoque accideret, qui eâ solùm causâ in urbibus Catholicis morari permittuntur, ut discrimine inter nostram, suámque vitæ rationem agnito, tandem inducantur ad Legem suam antiquatam deserendam, & Christianam amplectendam. Sed quia non pauci Catholicorum longè alij sunt, quàm eos esse oporteret, hinc fit ut passim ea tolerantia magis à prudentia, quàm successu sit commendanda. Prô! quantum igitur confert ad Impios

in viam reducendos, priùs in eam reducere Iniquos! Salomon è mille feminis Idololatris, nullam, quod quidem conſtet, omni ſuâ ſapientiâ permovit ad veri DEI cultum amplectendum, non ob aliud, quàm quia vitam tum ipſe fœdam adeò & voluptuariam vivebat. Conſtat tamen, quòd è diverſo magno dedecore ab ipſis ſeduci ſe paſſus ſit, cùm ex omni earum numero nec una fuerit (nec è ſeptingentis, quàs Reginarum, nec è trecentis, quas Concubinarum nomine alebat) cui carum ſuum Idolum non erexerit, idémque ſummâ inſaniâ non adorârit. Usque adeò facilius eſt cultores DEI, qui pravis ſunt moribus, à DEO abduci, quàm ab iis alios ad DEUM adduci.

## Versus XV.

*Libera me de ſanguinibus DEUS, DEUS ſalutis meæ; & exultabit lingua mea Juſtitiam tuam.*

I. COnſidera, quòd, ſi DEO carum eſt, ut è peccatorum cœno extrahantur Peccatores, non minùs gratum illi ſit, curare ne immergantur. Prius id efficit, ut eos amiſſos recuperet; poſterius ne illos amitat. Hinc dixit Eccleſiaſtes: *Bonum eſt ſuſtentare Juſtum. Eccl. 7. v. 19.* Quantum proin mali infert Juſto, qui illum ad lapſum impellit; tantum viciſſim ab illo accipit boni, qui manum labanti promptus porrigit, ne prorſum ruat. Si autem ita res habet, æquum omnino fuit, ut David, (cùm decreviſſet poſt ſuum ad DEUM reditum totum ſe impendere commodo Proximorum, ad rem DEO gratam præſtandam) non ſolùm ſtatueret docere peccatores (id quod ſe effecturum verſu

versu proximè præcedenti promisit) sed etiam instituere Justos; id quod præsenti in versu pollicetur. Sapienter quidem ille priùs de Peccatoribus, quàm de Justis cogitavit: exigit enim recta ratio, ut priùs porrigatur manus jam prolapso, quàm stanti etiamnum, etsi non sine cadendi periculo. Hinc ipse etiam Ecclesiastes, postquam pronuntiavit *Bonum est sustentare Justum:* mox ad rem aptissimè adjunxit, *sed & ab illo ne subtrahas manum tuam:* noverat enim, quòd si manum oportet porrigere Peccatori, à Justo quoque eadem non sit subtrahenda.

Jam porro dubitari non potest, quin David manum suam, antequam prævaricaretur, magna amoris significatione Justis porrexerit: quanto autem majori postea illam porrigere oportebat; quando jam impendio proprio didicerat manifesta pericula, quibus nullâ non horâ obnoxij sunt illi ipsimet, qui magìs à DEO ornantur præstantibus Naturæ & Gratiæ donis, nisi diligentiâ summâ excubent! Obtutus unicus suffecerat ad auferendam ab ipso momento unico tam insignem, veram & robustam sanctitatem. Observa jam Tu, an post suam ad DEUM conversionem, jure ac meritò ille quemlibet eorum, præquam ante hac, alloqueretur: *venite Filij, audite me: Timorem Domini docebo vos. Psal. 53. v. 11.* Tu verò, si vel tantillum tibi de te promittis, tanto solicitiùs accede ad eum audiendum.

Considera, Davidem, cùm jam ratum illi fixúmque esset, partibus suis non deesse, etiam respectu Justorum, offerre hîc DEO, ad eum finem consequendum, linguam suam, eúmque certum reddere, quòd eâ quàm libentissimè usurus sit ad æstimationem Justitiæ suæ apud eos conciliandam, illius inquam Viæ, quam tenere oporteat in adi- II.

tu ad cælum, inducendo eos ad eandem incundam, & magna alacritate in ea progrediendum. *Libera me de ſanguinibus DEUS, DEUS ſalutis meæ, & exultabit lingua mea Juſtitiam tuam.* Quòd ille hoc loco intellexerit, ut ſæpius alibi, nomine Juſtitiæ, Vitam juſtam, mihi longè vero ſimillimum eſt. Hæc nominis vis omnium optimè reſpondet ceteris quæ ſequuntur. Neque hoc tibi mirum videatur, quòd etſi Juſtitia iſta propria eſt hominis, David tamen illam non homini, ſed DEO adſcribat, dicendo, *Juſtitiam tuam.* Ita omnino fieri oportuit. Vel enim tu Juſtitiam iſtam conſideras in ordine ad eum, à quo imperata eſt, vel in ordine ad eum, qui ipſam mandat executioni. Si in ordine ad illum, qui imperat, DEI vocatur, quia totam DEUS imperat partim præcepto, partim conſilio: *Domine, deduc me in Juſtitia tua. Pſal. 5. v. 9.* Et hoc in ſenſu, quando hîc David dixit, *exultabit lingua mea Juſtitiam tuam*, interprete Sancto Hieronymo dicere voluit: *Prædicabit lingua mea mandata tua.* Si autem Juſtitiam hanc conſideras in ordine ad eum, qui exequitur, non minùs appellatur Juſtitia DEI. Poteſt dici noſtra, cùm nos illam exequamur, quis neget? *Retribuet mihi Dominus ſecundùm Juſtitiam meam. Pſal. 17. v. 21.* Magìs tamen illam DEI dicere oportet, cùm DEUS det vires illam exequendi. *Faciam ut judicia mea operemini.* Non tantùm ut *operari poſſitis*; ſed ut *operemini. Ezech. 36. v. 27.* Joſephus in Ægypto permiſit, ut fratres ſui, ſi vellent, frumenta emerent; ſed clam ipſis etiam pecuniam reddi curavit: unde dici poteſt frumentum illud vendidiſſe, & donâſſe. Non aliter ſe DEUS gerit. Si Juſti eſſe volumus, omnis generis virtutum actiones nobis imperat; ſimul tamen etiam eas exercendi vires largitur: unde eas ſimul nobis imperat,

perat; & simul donat: *Omnia opera nostra operatus es nobis Domine DEUS noster. Isa. 26. v. 12.* Atque ita jam ambiguum non est, quòd Iustitia nostra, potiùs tota DEI appellanda sit, quàm nostra; sicut frumentum illud, licèt venditum, Iosephi tamen magìs, quàm fratrum dici potuit. *Tibi Domine Justitia, nobis autem confusio faciei. Dan. 9. v. 7.* Et tamen quoties tu malè consultus eam potiùs ut tuam consideras, & in ea tibi complacere non desinis?

III. Considera, negari non posse, quin David Iustitiam hanc ratione quadam mirabili totam in Psalmis suis exposuerit: cùm nulla plane perfectionis, mortalis hujus vitæ, pars sit, quàm ille non attingat documentis, brevibus quidem, sed momenti maximi. Hoc tibi ob oculos ponere, mihi longè facillimum foret: complura enim ego ejus generis documenta annis abhinc pluribus pro meo in spiritu profectu collegi, & pro alieno publici juris feci, tacito licet meo nomine. Sed ne hîc sim longior, commodius erit, ut si tu hanc meam opellam amas, totam denuo subjectam prælo in fine hujus libelli invenias. Nunc tibi sufficiat, quòd David cogitaverit de omni hominum genere; de Conjugibus, Virginibus, Viduis, Pupillis, Gubernatoribus, Iudicibus, Sacerdotibus, Felicibus, Infelicibus, & planè omnibus, quicunque perfectionis, vitæ suæ conditioni respondentis, studiosi essent; sic ut citra jactantiam his DEUM verbis alloqui potuerit: *Annuntiavi Justitiam tuam in Ecclesia magna: Ecce labia mea non prohibebo: Domine tu scisti. Justitiam tuam non abscondi in corde meo. Psal. 39. v. 10.* Quotquot enim veræ pietatis sensa DEUS infuderat animo Davidis, totidem ille subinde transfudit in animos aliorum, fontis instar benefici, qui quantum aquæ è montibus accipit, tantum in planitiem refundit. Inde,

quia

quia initio Pſalmi non eo fuerant poſiti ordine, quo nunc ſunt, affirmat Bellarminus, opinionem fuiſſe aliquorum non contemnendam, eo, quo hodie videmus, ordine poſitos deinde fuiſſe ab Esdra, ſic ut ad Pœnitentes ſimul & Incipientes, præcipuè pertinerent priores quinquaginta, quorum poſtremus eſt is ipſe, quem exponimus. *Miſerere mei DEUS* &c. Ad proficientes verò, conſequentes quinquaginta, quorum agmen claudit Pſalmus, *Miſericordiam & Judicium cantabo tibi Domine.* Ad Perfectos, reliqui quinquaginta, quibus finem imponit Pſalmus. *Laudate Dominum in Sanctis ejus.* Quidquid autem ſit de hac diviſione, fortaſſis piâ magìs, ſi rem ipſam examinemus, quàm verâ, ac ſolidâ; certum tamen eſt, quòd ſuo in Pſalterio, tanquam in prato verno, non omiſerit David parare pabulum idoneum cuilibet trium ſtatuum, jam nunc memoratorum. Et tibi pratum ejusmodi ſterilius videatur omni deſerto? profectò culpa palati eſt, non pabuli.

IV. Conſidera, quam ob cauſam David, dum hoc facere DEO promittit, hac potiſſimùm loquendi phraſi uſus ſit: *exultabit lingua meam Juſtitiam tuam*: perinde ac ſi non alia magìs uſitatæ in promptu eſſent. Fuit autem ea cauſa, ut indicaret, ſe Iuſtitiam hanc non ut alij, docere velle cum tædio, & tetrica quadam moroſitate, non quaſi nauſeabundum, ſed cum inſigni alacritate. Hoc ipſius in idiomate ſignificat, *exultare Juſtitiam.* Non ſignificat *exaltare*, ut alij legerunt, longiùs à vero textu abeundo. Significat *cum exultatione exponere, commemorare exultando, celebrare exultando* quo etiam ſenſu alibi ait: *Exultabo mane miſericordiam tuam. Pſal. 58. v. 18.* Idque ideireo, quia vita Spiritualis proponenda eſt omnibus alacriter; cùm Spiritus triſtis & melancholicus tantopere adverſetur omnibus præſtan-

præstantibus virtutis germinibus, maximè autem plantarum tenellarum, usque adeò, ut earum respectu tam non sit ros, qui illas nutriat, ut potiùs sit instar algentis brumæ, quæ adurat. *Congrega cor tuum in Sanctitate, ait Sapiens, & Tristitiam longè repelle à te. Multos enim occidit tristitia, & non est utilitas in ea. Eccl. 30. v. 24.* Vel enim tu DEI in ejus obsequio rationem habes, vel tui? Si DEI, non amat ille Victimas vi pertractas, sed voluntarias. *Hilarem datorem diligit DEUS. 1. Cor. 9. v. 7.* Si tui, quis tandem animus in terra tranquilliùs, & lætiùs vivat, quàm qui DEO famulatur? *Servite Domino in lætitia. Psal. 99. v. 2.* Sicut non potest esse servitus, nec magìs gloriosa, nec magìs proficua, ita quoque nulla debet essa magìs jucunda. Hinc vides Davidem docuisse istam Justitiam metro, & metro quidem suavissimo, etsi tale nobis ob idiomatis diversitatem non appareat. *Cantabiles mihi fuerunt Justificationes tuæ in loco peregrinationis meæ. Psal. 118. v. 5.* Et in ea explicanda usus est cytharis, tubis, tympanis, fistulis, cymbalis, ut ipsa illa organa & instrumenta Musica, quæ Iniquitas, æternis destinata planctibus, sibi vindicaverat, DEO, cui illa magìs debentur, restitueret: *Venite, exultemus Domino; jubilemus DEO salutari nostro. Psal. 94. v. 1.* An non habes tu, unde erubescas, si obsequium, quod DEO præstas, ita præstas, ut qui tecum versantur, alieni potiùs, reddantur à vita spirituali, quàm ut ejus amore capiantur?

Confidera, Davidem ausum non esse promittere DEO operam tam magnam, qualis est, cuicunque generi Justorum in vita Spiritùs Magistrum ac ducem se præbere, quin antè ab ipso peteret habitudinem momenti longè gravissimi. Et quamnam illam? Non ampliùs tantopere esse ob- V.

noxium commotionibus illis fœdis, quas, nobis etiam non volentibus, concitare in nobis ſolet perduellis noſter Appetitus, non Concupiſcibilis minùs, quàm Iraſcibilis. *Libera me de ſanguinibus* DEUS, DEUS *ſalutis meæ, & exultabit lingua mea Juſtitiam tuam.* Tres dotes ad Animas ſine errore ducendas ſummè neceſſariæ ſunt. Prima, ut ejusmodi dux nôrit diſcernere inter verum & falſum generatim; atque adeò neceſſe eſt ut ſit doctus. Hæc porro dos Davidi non deerat, cùm verè de ſe affirmare poſſet: *Super omnes docentes me intellexi. Pſal. 118. v. 99.* Altera, ut in uſu ipſo & rebus ſingularibus nôrit diſcernere, quid cuique conveniat, quid non; & quod conſequens eſt, oportet illum eſſe prudentem. Et ne hæc quidem dos Davidi deerat, cùm mox addere potuerit: *ſuper ſenes intellexi.* Tertia eſt, ut rectum de rebus judicium in eo non obſcuretur, aut quaſi nube obducatur ab animi perturbationibus; & ex conſequenti oportet, ut ipſe earū dominus animo tranquillo ac pacato ſit: *Tu autem cum tranquillitate judicas. Sap. 12. v. 18.* Atque hoc eſt, quod in ſe vehementer metuebat David, recenti doctus experientiâ, quâ didicerat internas illas ſuas pugnas, quibus ſuccubuit, ut dicere poſſet: *Inflammatum eſt cor meum*, facultatis Iraſcibilis operâ; *& renes mei commutati ſunt*, operâ facultatis Concupiſcibilis: *& ego ad nihilum redactus ſum, & neſcivi. Pſal. 72. v. 21.* Usque adeò miſer ſe extra ſe rapi permiſerat. Hinc ab inteſtinis gemini hujus proditoris domeſtici aſſultibus liber eſſe cupit. Non neſcis, geminum hunc appetitum, Concupiſcibilem & Iraſcibilem, geminos illos eſſe fontes, è quibus ſcaturiunt, quæcunque à nobis malè admittuntur. Primò Concupiſcibilis, quia priùs ardenter concupiſcimus id, quod ut bonum nobis imaginamur, ſive tale ſit, ſive non ſit. Dein

sit. Dein Irascibilis, quia subinde ferociter nos opponimus illi, qui nos à bono concupito vult impedire. Verum quidem est, quòd ratio geminis his vehementibus Appetitibus ad malum impellentibus in homine dominetur: *Subter te erit Appetitus tuus.* Non dominatur tamen illis dominio despotico (quale illud est, quo dominus mancipium suum servire cogit) sic ut & ipsa vel nolentes ad jussa facienda compellere possit: sed dominatur illis dominio quasi politico, quale est Principis in subjectos, qui in multis possunt ejus imperiis obluctari; id quod Apostolo tam justi doloris argumentum fuit, cùm in illa prorupit: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ. Rom. 7. v. 23.* Suus autem Davidem casus apertè docuerat, quanta & Concupiscibilis & Irascibilis vis fuerit ad eum de gradu dejiciendum.

Primò quidem facultatis Concupiscibilis, quæ effecerat, ut ille Bersabeam ad se pertractam in fœdæ secum libidinis assensum impelleret. Dein Irascibilis, quæ induxerat ad obicem, qui se interposuerat pacificæ possessioni & fruitioni adamatæ mulieris, summa vi de medio tollendum, Uriam inquam justum maritum. Unde cùm perspiceret quò ab appetitionibus his pravis esset impulsus, non audet sibi polliceri, quod alios suo magisterio inducere ad perfectionem possit, nisi has adverteret probè edomitas, Subditorum instar, si non vinculis adstrictorum, ad nutum tamen obtemperantium. Et si ille sibi fidere non potuit, qui tam claro lumine à DEO erat collustratus, quis alius sibi fidat?

Considera, hos ipsos Appetitus tam effrenes, ut principio pœnæ fuerunt noxæ Originariæ, quæ nos spoliavit Justitiâ Originariâ, illo inquam ordine pulcherrimo, quo VI.

priùs Appetitiones animales ſubditæ erant Voluntati ; & quo Voluntas parebat Rationi, Ratio autem DEO ; ita deinceps pœnæ ſunt perpetuæ peccatorum etiam actualium: unde quodcunque horum admittatur, inſolentes hi & petulantes Appetitus, auctis viribus minùs ſemper minúsque coërceri, & ſub jugo contineri poſſunt. Quod porrò David hanc in animo rerum omnium perturbationem, poſt admiſſum peccatum, in quo annum propè integrum hæſit, ſit expertus, negari non poteſt. Faſſus id eſt ipſe in tertio Pſalmorum, quos à Pœnitentia appellamus, ubi, quamlibet jam de admiſſis ſeriò dolens, quod ad Concupiſcibilem ſpectat, ſic loquitur: *Lumbi mei impleti ſunt illuſionibus, & non eſt ſanitas in carne mea*: quod autem ad Iraſcibilem, addidit: *Cor meum conturbatum eſt: dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipſum non eſt mecum. Pſal. 27. v. 7. q. 10.* Et idcirco mirum nequaquam eſt, quòd tam vehementer ille optaret liber eſſe tam miſera ſervitate. Tantundem proin fuit hîc Davidi dicere DEO; *Libera me de ſanguinibus*, quantum, *Libera me de carnalibus deſideriis.* Quòd autem dixerit potiùs *de ſanguinibus*, quàm *de carnalibus deſideriis*, id arbitror cauſæ eſſe, ut magis inde erubeſceret; demonſtrando ſcilicet fœditatem Originum, è quibus deſideria illa perverſa promanabant; quos in eum Mater, dum concepit, transfudit, ſanguines nimirum illos, magno Adami delicto tam turpiter infectos.

Tu autem hîc interim in memoriam revoca cum Sacris Interpretibus, quòd DEUS, quando veteri in Inſtrumento tam ſeverè prohibuit veſci ſanguine (*Sanguinem univerſæ carnis non comedetis. Levit. 17. v. 14.*) ad hoc, ſaltem myſticè, voluerit alludere, ne quidquam guſtaretur, quod his proveniret à ſanguinibus, ab his inquam occultis cupiditati-

ditatibus. Si tamen quisquam est, quem oportet præ ceteris abstinere cibo tam noxio, ille profectò est, qui vult esse Dux aliorum ad Perfectionem, quod perinde est ac, ad continuam sui Abnegationem. Quænam enim ejuscemodi Abnegationis documenta aliis tradet, quem palàm sit, Appetitiones suas frenare non posse? Et quamquam hoc in aliorum oculos non incurrat, ob diligentiam, quâ cavet quis, ne hæc ejus vitia alij notent, quæ tandem ille solida ac sincera consilia suggerere aliis potest, nisi ipse valde purus sit à fumis, quos perturbationum ignis repentè in Intellectum offundit? Tu quomodo has subjectas habes? Tota denique Vita Spiritualis in hoc consistit; quòd quis, quàm fieri potest perfectissimè, domare sciat geminas has Furias, omnibus Tigribus Hircanis atrociores, Facultates Concupiscibilem & Irascibilem. Has qui vicerit, bellum profligavit; quia prælio quasi decretorio omnes simul animi Perturbationes prostravit: omnes siquidem Perturbationes istæ velut ad exercitum in duo divisum cornua spectant, quorum unum Concupiscibilis, alterum Irascibilis conflet. Sed quis est qui has profligare penitus possit suis viribus & pugnandi ardore? Necesse est ut sua nos DEUS bonitate liberet, collato dono, quod mereri possit nemo sic, ut negari nequeat. Et idcirco id David precum sanctá quadam importunitate postulat, hoc liberationis usus vocabulo. *Libera me de sanguinibus DEUS, DEUS salutis meæ.* Petiit illud & Paulus, nec tamen impetravit; responsum siquidem illi est: *Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur. 2. Cor. 12. v. 9.*

An Rex David ex toto fuerit auditus, non constat. Constat tamen, quòd ille sub ætatem ultimam admirabilis cujusdam continentiæ indicia præbuerit, quam nec sum-

ma venuſtas potuerit labefactare. Tu ne fatigeris unquam preces tam ſalutares repetere; DEO enim nihil eorum, quæ vult, difficile eſt.

VII. Conſidera, ad obtinendam gratiam & favorem tam ſingularem confugiſſe omnino Davidem ad DEUM, ſed ad ipſum, ut DEUM Salutis ſuæ: *Libera me de ſanguinibus DEUS, DEUS Salutis meæ.* Sentiunt multi prudentiſſimè, quòd per DEUM ſalutis, ille ſingulari quadam ratione intellexerit Chriſtum JESUM Servatorem ſuum. *DEUS Virtutum* appellatur Pater propter Potentiam omnimodam, illi ſingulariter attributam. *DEUS Pacis & Dilectionis* vocatur Spiritus Sanctus: *Pacis* quidem, reſpectu Proximi, cui nos conjunctos vivere facit: *Dilectionis* reſpectu DEI, cujus amor etiam ad amandum Proximum inducit: *DEUS Salutis* Verbum æternum pari modo indigitatur, quia ſi Pater, & Spiritus Sanctus ſimul cum ipſo decreverunt noſtram Salutem ab æterno, Verbum dein ſolum tempore deſtinato illam operatum eſt, humanum noſtram carnem induendo. *DEUS autem, Rex noſter ante ſecula, operatus eſt ſalutem in medio Terræ. Pſal. 37. v. 12.* Ne exiſtimes autem, Davidem ſine cauſa ad ipſum ſingulariter confugiſſe ad obtinendam gratiam deſideratam. Noverat enim ſingulari proſus ratione hoc ad ipſum, ad JESUM inquam, ſpectare. An non intellexiſti tu paulò ante, hanc Appetitum concitatorum rebellionem, in nos à peccato originali eſſe derivatam? Ad nos tamen ab iſto liberandos è Cælo in terras DEI Verbum deſcendit. Unde tam præclarè de ipſo loquens, pronuntiavit nobilis ejus Præcurſor: *Ecce Agnus DEI, ecce qui tollit peccatum Mundi. Joh. 1. 29.* Peccata Actualia, peccata ſunt, hæc hujus, illa illius hominis in Mundo. Peccatum Originale peccatum

eſt to-

est totius Mundi: *Peccatum Mundi.* Quamquam igitur Christus, ut extra controversiam est, venerit ad nos etiam à peccatis actualibus liberandos, juxta illud: *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui Justitiæ vivamus. 1. Pet. 2.* Ante omnia tamen ad nos ab illo, Originali inquam, liberandos venit: non quòd Originale, in se spectatum, majus sit actuali in intensione, quam dicimus, (cùm potiùs actualia omnia majora sint in Intensione, propterea quòd plus habent de voluntario) sed quia Originale majus est in extensione, utpote ad totum se Mundum extendens. Si autem Originale se extendebat ad totum Mundum, quis non videt, æquum fuisse ut ejus destructionem ante omnia sibi Christus præstitueret; cùm bonum Universi, generatim acceptum, præferri debeat bono & commodo hujus, aut illius in particulari?

At si Christus nos à Peccato originali ex toto liberavit, illam nobis in Baptismo gratiam restituendo, quâ spoliati nascimur, non tamen etiam idcirco nos liberavit à pœnis omnibus huic peccato propriis. Liberavit nos ab æternis, non liberavit à temporariis. Inter temporarias autem hæc maxima dici potest, quòd nos privet Justitiâ Originali, quâ in terrestri Paradiso primi Parentes nostri gaudebant. Erimus quidem hâc etiam pœnâ sua tempore Christi beneficio liberi, non tamen modò. Liberi erimus, cùm resurgemus nostris olim è tumbis corpore glorioso: tunc enim Natura humana *Liberabitur à servitute corruptionis*, ut promisit Apostolus, *in libertatem gloriæ filiorum DEI. Rom. 8. v. 21.* At nunc liberi non sumus; sic enim Christus ad majus nostrum emolumentum rem gerere voluit, ut se tanto ampliùs nobis exhiberet DEUM Salutis,

non

non illo ſolùm malo, quod à nobis abſtulit, ſed illo etiam ipſo, quod nobis reliquit.

VIII. Conſidera, in Peccato Originali Perſonam, Adamum videlicet, infeciſſe Naturam; Naturam autem ita infectam infeciſſe poſtea Perſonas, omnes nimirum Poſteros, ordinariâ generationis viâ ab Adamo deſcendentes. In liberatione autem ab ejusmodi peccato Chriſtus diversâ viâ proceſſit. Voluit enim primò liberare Perſonas illo, quod erat malum peculiare ipſarum Perſonarum, hoc eſt, privatione Gratiæ divinæ, ſine qua Gratia nulla prorſus earum pervenire potuiſſet ad cæleſtem gloriam. Subinde autem liberabit Naturam illo, quod eſt malum proprium Naturæ, privatione nimirum Juſtitiæ originalis ante explicatæ. Idque idcirco, ut interea Perſonæ talem gloriam conſequantur genere acquirendi ut magis honorifico, ita etiam jucundiore, quale triumphantium eſſe conſuevit. *Beatus vir, qui ſuffert tentationem: quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam Vitæ, quam repromiſit DEUS diligentibus ſe. Jac. 1. v. 12.*

Iſraëlis Populo voluit DEUS ſemper relinquere, ad inertiam prohibendam, plures Populos ſuperbos, & inimicos qui illum infeſtarent, ad id nobis velut in imagine repræſentandum, quòd à nobis expetebat, ut nimirum mortali hac in vita ſemper armis inſtructi ſtrenuè confligeremus. *Hæ ſunt Gentes, quas Dominus dereliquit, ut erudiret in eis Iſraëlem, ut poſtea diſcerent filij eorum certare cum hoſtibus, & habere conſuetudinem præliandi. Jud. 3.* Quod Iſraëlis poſteris erant Populi illi infeſti, nobis ſunt Appetitus noſtri effrenes. Æquiſſimum tamen eſt, identidem flagitare à DEO, ut quotidie hoſtibus iſtis aliquid virium decedat; ut denique aliud nobis cogitare neceſſe non ſit, quàm

quàm quomodo nos totos divino obsequio impendamus. *Ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi. Luc. 1. 74.* Quare sicut Judæi orabant semper, & orare debebant, ut ab infestis illis Populis liberarentur, ita & tibi in re nostra faciendum. Illi dicebant DEO: *Deus, fortis super omnes, libera nos de manu Iniquorum. Esther 14. v. 19.* Te autem oportet dicere: *Libera me de sanguinibus DEUS, DEUS Salutis meæ.* Jam audîsti, DEUM salutis tuæ esse JESUM. Ad hunc igitur rebus ita poscentibus singulari cum fiduciâ accede, quia, sicut ad ipsum spectavit liberare te Peccato Originali, sic ad eundem spectat liberare te pœnis, quæ ex ejusmodi Peccato consequuntur. An nescis quod ille quondam de se dixit in historia Evangelica? *Si vos Filius liberaverit, verè liberi eritis. Joh. 8. v. 36.* Roga proinde ipsum, ut si te ad hanc diem nondum voluit liberare penitus ab infestatione hostium tuorum intestinorum, parte saltem aliquâ deinceps liberare dignetur: ita ut si te illi identidem solicitant, ut naturali eorum genio obsecundes, nunquam tamen te totis viribus aggrediantur. Quomodo tamen tu petes esse liber & eximius, si tu ipse semper eosdem irritas? Quid hac re indico? Desideras tu, ut JESUS benignè te præservet à desideriis carnabilus, de quibus hactenus locuti sumus, *ut liberet te de sanguinibus*, si tu ipse ea irritas, & excitas, occasionibus pravis, etsi non periculosissimis, quibus te ingeris? Næ ille id præstabit nunquam. An tu nihilominus propterea queri de eo poteris? Nequaquam. *Obsecro vos* (sic nos ille S. Petri ore hortatur) *abstinere vos à carnalibus desideriis, quæ militant adversus Animam. 1. Petr. 2. v. 11.*

Si dixisset ipse, Obsecro vos abstinere carnalia desideria à vobis, tu facilè te posses excusare, revocando illi in

memoriam, id non eſſe poſitum in tua poteſtate, ſicut tamen erat in poteſtate Adami, qui in ſtatu Innocentiæ Appetitibus ſuis pro arbitrio dominari poterat. Sed dum ille dicit: *Obſecro vos, abſtinere vos à carnalibus deſideriis,* quam excuſationem prætexes?

## Versvs XVI.

*Domine labia mea aperies: & os meum annuntiabit laudem tuam.*

1. Considera, Davidem, poſtquam promiſerat DEO, ad compenſandum præſtanti quadam ratione malum, quod admiſerat, ſe primo loco invitare velle Iniquos ad Pœnitentiam, *Docebo iniquos vias tuas*; ſecundo autem loco excitare velle Juſtos ad Sanctitatem; *& exultabit lingua mea Juſtitiam tuam*; nunc tranſire tertio loco ad affirmandum DEO, quòd deditâ operâ ad laudandum ipſum velit incumbere: *Domine labia mea aperies: & os meum annuntiabit laudem tuam.* Sed quâ iſtud ratione? an non hinc potiùs initium facere, quàm in hoc deſinere Davidem oportebat? Ita ſanè, niſi Sancto Regi jam abunde perſpectus eſſet DEI genius, qui ipſum inclinat ad Animarum ſalutem omni alteri laudi ſuæ præhabendam. Et de hoc quis ambigat, dum ipſe majorem ſuam laudem in iſto collocat; in ſalute inquam Animarum? Unde ſiqua eſt, quam ipſe antonomaſticè laudem ſuam appellet, en, quænam illa ſit: non alia, quàm quæ in ipſum redundat ex iis, quæ pro ſervandis ipſis nunquam non operatus eſt, & adhuc operatur. *Populum iſtum* (ſic ille de Populo Chriſtiano per Iſaiam pronuntiavit) *Populum iſtum formavi mihi: laudem meam narrabit.*

*narrabit. Isa. 43. v. 21.* Et quid sibi vult hîc *laudem meam* nisi *salutem à me acceptam?* Ita certè Sacri Interpretes censuerunt. O laudem, DEO caram! Servare pereuntem, & servare eum pretio quantocunque! Servare eum, ejus causâ è cælo in terras descendendo! Servare eum tot laboribus! servare tot cruciatibus! servare ipsa adeò morte pro illo in ferali Crucis trunco inter latrones obitâ! Hæc est illa laus, quam DEUS jure meritissimo laudem suam vocitat; ita planè, hæc ipsissima, neque enim ulla alia tantis ipsi stetit impendiis: *emit pretio magno.*

Si autem ita res habet, quis non facilè in animum inducat, quòd hanc ipsam laudem ob oculos sibi positam David habuerit, quando hoc in Versu DEO dixit, quòd laudare illum velit non quomodocunque: sed quòd ipsius laudem velit annuntiare: *os meum annuntiabit laudem tuam?* Si non aliud habuisset in animo, quàm laudare DEUM, ut tam multi alij faciunt, satis erat, ut postquam dixerat: *Domine labia mea aperies*, etiam hîc, ut alibi diceret: *& labia mea laudabunt te. Psal. 62. v. 4.* Sed dum mutata phrasi dixit: *& os meum annuntiabit laudem tuam*: videtur ad illam præ ceteris laudem adjicere animum voluisse, quam DEUS ipse (ut audîsti ante) appellat laudem suam; ad illam inquam, quam olim tantis nos impendiis servando erat promeriturus. Certum saltem est, quodsi David nonnunquam laudavit DEUM ob id, quod in se ipso est, ob ejus scilicet propriam Infinitatem, Immensitatem, Immutabilitatem, Æternitatem, quæ sunt DEI Attributa absoluta, illa scilicet, quæ respectum ad res creatas non dicunt: *Laudate eum secundùm multitudinem magnitudinis ejus. Psal. 150. v. 2.* innumeris aliis vicibus eundem laudavit ob id, quod est respectu earundem rerum conditarum;

ob Potentiam inquam ſuam, Providentiam, Sapientiam, Bonitatem, Benignitatem, Amorem, Liberalitatem, Fidelitatem, Juſtitiam, & alia ejus generis, quæ dicuntur Attributa relativa; hoc eſt, quæ omnia reſpiciunt bonum rerum conditarum, quas vel jam produxit, vel producere poteſt. *Septies in die laudem dixi tibi, ſuper judicia Juſtitiæ tuæ. Pſal. 118. v. 164.*

Hinc mihi perſuadeo, talem omnino fuiſſe laudem, quàm hîc David DEO offerre conſtituit: illam, quæ redundare in ipſum debeat ex opere, in quod omnia ſua Attributa Relativa eſſet impenſurus, conjuncta ſimul, &, ſi dicere fas eſt, fœderata ad finem tam excellentem ſervandarum Animarum. Quodnam autem hoc ejus opus fuit, niſi fundatio Eccleſiæ? Et idcirco ego (ſalvâ ſemper reverentiâ, quam aliorum judiciis debeo) certum atque indubitatum habeo (maximè ex eo quod ſupereſt ad præſentis usque Pſalmi finem) hanc ipſam Eccleſiam eſſe, quam ſe annuntiaturum David promiſerit, dum formâ tam novâ ſic DEUM allocutus eſt: *Os meum annuntiabit laudem tuam.* Si enim operi huic tam pulchro DEUS nomenclaturam Laudis dare non potuit, cui tandem potuit? Certum eſt reſpectu hujus illum tot ante ſeculis humano generi dicere potuiſſe, cùm iſthoc in omnimodam perniciem ſenſim præcipitans miſeraretur: *Laude mea infrenabo te, ne intereas:* in hoc ſiquidem opere, in fundanda inquam Eccleſia, illa quoque Lex Evangelica fundabatur, quæ ſola demum potens futura erat freno continere brutas appetitiones tam multorum, qui miſerè in præceps ruebant. Tu ex eo quòd agnoſcas, in quo demum præcipuè laudem ſuam DEUS conſtituat, in ſalute ſcilicet Animarum, diſce hanc ſalutem tanti æſtimare, quanti re vera meretur. An & tu in ea pro-

ea procuranda laudem tuam reponis? Faxint boni Superi, ne tu potius ejusmodi ministerium parvi æstimes, quasi minùs laude dignum, propterea quòd quivis illi se possit impendere.

Considera, quàm verum sit, quòd DEUS ex fundata Ecclesia, quæ (ut dubitari non potest) supponit in se totum opus Incarnationis, ampliùs laudari mereatur, quàm ex quocunque alio tam innumerabilium, quæ extra se effecit. In se ipso semper ille eâdem prorsus ratione laudabilis est; nemo id nescit: respectu nostri autem in aliis plus, in aliis minùs laudabilis apparet. In Ecclesia fundanda tam ille apparet laudabilis, vix ut possit ampliùs. *Magnus Dominus & laudabilis nimis* (sic idemmet David alibi exclamavit) *Magnus Dominus, & laudabilis nimis.* In quo autem? in Terra? in Aere? in Aqua? in Igne? in Planetarum ordine tam harmonico? in Stellis? in Sole? non; sed: *laudabilis nimis in Civitate DEI nostri, in monte sancto ejus. Psal. 47. v. 1.* Quænam autem ista DEI civitas, nisi Ecclesia Christi? *Civitas supra Montem posita*, quia Civitas posita in apice altissimæ Perfectionis. In hoc enim vero DEUS se summè laudabilem exhibet, *laudabilis nimis*, sicut enim ibi, juxta ipsam literam, Bellarminus explicavit; non habemus opus, ex quo meliùs assurgere valeamus ad cognoscendam Magnitutinem DEI, eam admirari, deprædicare, aliis etiam agnoscendam proponere, quàm ædificationem Ecclesiæ. *Ex iis, quæ nobis revelata sunt, nihil ferè majus habemus, unde Domini Magnitudinem meliùs cognoscere, & unde magis eum laudare possimus, quàm Ecclesiæ ædificationem.* Quæ cùm ita sint, an non & tu facilè induces in animum, quòd, cùm hîc propositum haberet David, quantum uspiam posset laudis DEO reddere, ad respondendum tot DEI II.

donis, quæ acceptâ delicti veniâ receperat, hanc pro præcipuo citharæ ſuæ, ad concentum promptæ, argumento delegerit? Opus tam ſublime, in quo certatim reſplendere debebant omnia DEI Attributa, Potentia, Providentia, Sapientia, cum reliquis omnibus Relativis, paulò antè propoſitis, quale ad eam usque diem Mundus non viderat, & idcirco hîc David tam non temerè dixit, ejus ſe præconem futurum: *Os meum annunciabit laudem tuam.* Scis annunciationi geminis in caſibus locum eſſe: primò in præſagiendis eventibus futuris: & hoc in ſenſu morituriens Jacobus filios allocutus eſt. *Congregamini, ut annunciem ea, quæ ventura ſunt vobis in diebus noviſſimis. Gen. 49. v. 1.* Utimur ſecundò eodem verbo ad enarrandas res præſentes, & præteritas, ſed iis, quibus illæ ignotæ ſint: & hoc in ſenſu JESUS energumeno illi, quem in finibus Geraſenorum infauſto hoſpite liberaverat, dixit: *Vade in domum tuam, ad tuos, & annuncia illis, quanta tibi Dominus fecerit. Marc. 5. v. 19.* Jam quod ad formoſam Chriſti Eccleſiam ſpectat, illa re verâ, ætate Davidis, non erat futura in intentione, utpote ab omni retro æternitate jam in Divinarum trium Perſonarum Senatu decreta, erat tamen mortalibus tunc viventibus, planè omnibus, aut certè penè omnibus, ignotiſſima; unde in hac ſecunda vocis acceptione cautiſſimè dixit, quod eam, utpote ignotam, velit annunciare: erat autem, quòd executionem concernit, ex toto futura; cùm decem, & quod excurrit, adhuc ſecula ad ejus usque exordium eſſent tranſitura: & idcirco, primo etiam in ſenſu, non minùs cautè dixit, quòd illam ut futuram eſſet annuntiaturus. Argumentum equidem huic, ſuâ præſtantiâ comparandum, ad laudandum DEUM deligere non potuiſſet. Et tu interea, ut debes, præpara te denique,

que, ad agnoscendum summè æstimabile beneficium, quod in te DEUS contulit, dum hac te in Ecclesia nasci voluit. Tibi equidem illa in priore acceptione annuntiari non potest, ut futura nimirum : sed faxint boni Superi, ne tibi etiamnum in secundo annunciari possit, ut ignota penitus, aut tantùm non ignota; tam modicum est quod de illa scis, aut, quod saltem rescire de illa studes.

Considera, ad affirmandum totum id quod hucusque III.
dictum est, Davidem, priùs quàm annuntiationem divinæ laudis DEO promissam aggrediatur, petere à DEO, ut priùs ipsi labia aperire velit. *Domine labia mea aperies.* Verum, an non David inde à teneris annis constanter laudando DEO operam dedit? & tamen ad tam multiplicem ejus laudem nunquam petierat, ut labia ipsi aperiret, ut petit hîc. Argumento igitur id est, quòd peculiari quodam laudis genere laudare ipsum cogitaret. Neque hîc mihi quis occinat, quòd ad laudandum DEUM, post admissum peccatum, singulari quadam præparatione sit opus, quæ antè necessaria non fuerat. Neque enim ignoro, non placere DEO laudem è Peccatoris ore profectam. *Peccatori dixit DEUS, quare tu enarras justitias meas? Psal. 49.* Non tamen scio, illam in ore Pœnitentium minùs gratam esse, quàm in ore Innocentium. *Laudabunt Dominum, qui requirunt eum. Psal. 22.* Petit igitur à DEO David in præsenti statu, ut aperire ipsi velit labia, ob argumenti, ex quo laudis materiem esse accepturus, nobilitatem atque excellentiam. Quotiescunque in Sacris Codicibus hæc loquendi phrasis adhibetur, aperiendi labia, perinde ac si illa clausa essent, semper id fit ad indicandum, ut S. Thomas notavit, quòd inde promendæ sint res non communes, sed sublimes, sed excellentes, sed eatenus inauditæ. *In apertione*

*tione oris intelligitur, ubicunque in Scripturis invenitur, doctrinæ profunditas. S. Thomas hîc.* Quæ fuit verior cauſa, ob quam Sacer Hiſtoricus, cùm famoſus ille Chriſti in monte ſermo eſſet enarrandus, ſingulari eâ ratione præfatus eſt: *Cùm ſedisſet, acceſſerunt ad eum Diſcipuli ejus, & aperiens os ſuum, docebat eos, dicens*, &c. Non præmiſit hæc, ſi rem dicere volumus, ut indicaret, eum, qui eatenus aperuerat ora Prophetarum, tandem ſuummet aperuiſſe. Quàm multa enim jam tum locutus fuerat JESUS ad cujusvis conditionis Perſonas? Multo antè, quàm collem illum conſcenderet, legimus de ipſo, quòd *circuibat totam Galilæam, docens in Synagogis eorum, & prædicans Evangelium Regni. Matth. 4. v. 23.* Præmiſit igitur Evangelij Scriptor præludium tam ſolenne, ut indicaret; quòd Chriſtus eo in Sermone traditurus eſſet doctrinam, eatenus inauditam, tot retro ſeculis, nunquam ne quidem cogitatam, & tamen veriſſimam: nimirum quòd mortali hac in vita Beati eſſent Pauperes, Beati perſecutiones paſſi, Beati qui lugent, atque ita tu perge ratiocinari de reliquis omnibus, divinâ illâ Diſſertatione propoſitis, quibus velut in ſynopſi continetur Perfectio Evangelica, hoc eſt, Mons ille, ſeu potiùs, Apex altiſſimus, cui Chriſtus Civitatem ſuam erat inædificaturus. Nunc igitur cogita, eundem ad finem petere Davidem hoc in Verſu aperiri ſibi labia: *Domine labia mea aperies*, quia laudandus ipſi erat DEUS ob fundatam & ædificatam Eccleſiam, Civitatem tam prodigioſam ut ſit præcipuum omnium operum DEI, quæ ille mortalium bono eſt operatus. Miſeri proin protervi illi, qui de doctrinis & dogmatibus non profundis tantùm & abſtruſis, ſed abſtruſiſſimis, confidunt ſe loqui poſſe ſine ullo errandi periculo, quando de iis, etiam animi laxandi causâ,

agunt

agunt in conventiculis ! ô quanto illi facerent rectiùs, si linguam suam freno coërcerent ! an existimant ipsi, quòd DEVS aperturus sit labia ipsorum illis in contuberniis, in quibus malorũ minimum est de novis, quæ per Mundum accidunt, disserere ? Frustra speres, quòd illi unquam DEVM imploraturi sint eâ causâ, ut priùs quàm de dubiis profundissimis pronuntient, labia ipsorũ aperiat, dicendo ; *Domine labia mea aperies.* Satìs præstant, si non & ipsi sint è numero eorum, *qui dixerunt : Labia nostra à nobis sunt ; quis noster Dominus est ? Psal. 11. v. 4.* Usque adeò tenerarij existimant, se de labiis statuere posse pro arbitrio.

Considera, quàm fideliter David promissis hîc DEO factis deinceps steterit. Satis sit tibi meminisse ; Ecclesiam nullo unquam Ritu defungi, non sacrare Templa, non cogere sacros Cœtus, non venerari Sanctos, non celebrare dies festos, & ut rem paucis, nullius per annum Mysterij memoriam recolere, ad quod asserendum verbis Davidicis non utatur : usque adeò omnia ille jam suâ ætate sigillatim distinctéque descripsit ! Hinc ejus Psalmis Fideles crebriùs, quàm ullis Sacrorum Codicum partibus tam privatim, quàm publicè utuntur. Ille siquidem alicubi descripsit æternam Verbi generationem, alicubi temporariam, alicubi Nativitatem, alicubi Magorum adorationem, alibi Prædicationem, alibi Passionem, alibi Mortem, alibi Sepulturam, alibi Resurrectionem, alibi Ascensionem, alibi quidquid de Christo, ejúsque majoris momenti operibus ac factis extat, ídque tam clarè, atque distinctè, ut si Psalmorum liber epilogus est Instrumenti Veteris, Novi tantùm non Evangelium dici possit, adeò, ut non tantùm S. Petrus, & S Paulus, duo illi Ecclesiæ Principes, Davidem testem allegent veritatum Christianarum, quas in suis ipsi Epistolis pro-

IV.

lis promulgâtunt, sed etiam ipse Christus in admirandis suis Sermonibus.

Atque hæc altera causa est, ob quam jure meritissimo David hîc petiit aperiri sibi labia: *Domine labia mea aperies.* Quâ enim alia ratione potuisset ipse tam minutim indicare ejus generis Mysteria, decem, & ampliùs, seculis priùs quàm gererentur, nisi DEUs ipse linguam ejus movisset? Quamdiu illi agendum fuit de Mundi Creatione, de plagis Ægypti, de Maribus apertis, de Muris dejectis, de aliis DEI laudibus, magnis illis quidem, spectantibus tamen ad legem antiquam, opus illi non fuit, ut studio tam singulari opem à DEO poscceret. Sed ubi meminisse oportuit laudum, spectantium ad novam Legem, non utile tantùm, sed & necessarium fuit, opem tam præsentaneam postulare. Et quòd ita res habeat, adverte, quòd in loquendo de his David solerter uti voluerit jam ponderatâ voce annuntiandi: *Os meum annuntiabit laudem tuam*: id quod ipse egit non tantùm causis jam recensitis, sed ut præterea nobis innueret, quòd res illas aperire debuerit ut Nuncius, qui tantùm de iis manifestat, quantum à mittente imperatum est. *Dixit David filius Isai, dixit Vir, egregius Psaltes Israel; Spiritus Domini locutus est per me.* 2. *Reg.* 23. *v.* 1. Et tu, si unquam Psalmos istos recitas, quomodo recitas? quâ animi evagatione? quibus saltibus, quantâ luriditate? Quomodo igitur sub exordium non vereris petere à DEO, ut labia tua aperiat? *Domine labia mea aperies.* An æquum putas illa tibi aperiri eâ causâ, ut laus ejus, dum ab iis egreditur, ludibrium fiat Dæmonibus in Inferno?

V. Considera, quæ causa sit, cur Ecclesia quotidie, dum psallendi officium aggreditur, uti consueverit Versu, quem tractamus. Consuevit illo uti, ut in memoriam nobis revocet

vocet, quòd ad laudandum DEUM (quod par est nos facere vixdum à somno excitatos) nos inepti simus, nisi DEUS ipse labia nobis aperiat. O quàm magnum opus est, laudare DEUM! Non est hoc aliud, quàm quod faciunt tam multæ Mentes Beatæ, & quod in omne deinceps ævum Beati Cælites facturi sunt. Et tamen etsi id ipsi sine fine faciant, ne quidem existimant, se illud dignè satìs didicisse usque ad præsens tempus, sic ut se mutuò alius alium excitando, identidem plenis choris ingeminent: *Benedicentes Dominum exaltate eum, quantum potestis: major enim est omni laude. Eccl. 43. v. 33.* Cogita jam tu quid nos mortales miseri præstare hoc in genere valeamus, nisi DEUS ipse nobis donet, ut dignè ipsum laudemus?

Deinde an nescis prudens illud consilium Sapientis, qui desiderabat, ut nemo non seram haberet labiorum suorum, cujus ope suo tempore clauderentur, suo aperirentur; cùm perinde absurdum sit, illa perpetuò aperta, quàm semper clausa habere? *Ori tuo facito ostia & seras. Eccl. 28. v. 28.* Hujus summè necessariæ seræ clavem par est à quolibet tradi manibus DEI nostri: solus enim ipse certò scit quodnam si tempus magìs aptum ad claudendum, aut aperiendum, & quod non sit aptum. Idcirco Ecclesia, quæ se gerit ut hujus necessitatis conscia, vult ut quilibet primo mane meminerit, quòd si clavem ipse DEO tradidit, ad hunc spectet seram aperire. Nemo se alius ingerat.

Denique quis nescit, quàm solicitè mali Dæmones conentur semper prævenire DEUM? Quare cùm ipsis, ob ingeniosissimam, quâ pollent, malitiam, mille sint claves adulteræ ad cujuslibet os aptæ, pro diversa hujus illiúsve propensione; ô quàm ipsi primo mane studiosè id agunt,

ut ad quemlibet alium finem labia, quàm ad DEUM laudandum, aperiant! Eccleſia igitur, adjuta illâ gratiâ, quam DEUS negat nemini, ad opem ab eo poſcendam, hunc quaſi ſupplicem libellum quamprimum offert, ut Proditores iſtos occupet. Et ſanè an non pudor eſt, ſi prima, quæ manè tibi ex ore prodeunt, verba, negotia tua caduca ſpectent, quæ confeſtim animum ſubeant? ſi conventicula, ſi crapulas, ſi nugas? Si ita tecum res habet, argumento id eſt manifeſtiſſimo, non DEUM eſſe, qui tibi labia aperiat, mox atque è ſtrato te proripis; ſed malos eſſe Dæmones; qui furum inſtar peritorum DEO debitum officium aſtutâ perfidiâ auferant. Quis mutus non volens ac lubens hoc cum DEO pactum iniret: *Domine labia mea aperies: & os meum annunciabit laudem tuam?* Et tu, etſi beneficio haud paulo majore, jam inde à primis annis loquendi acceperis facultatem, tantillum grati erga illum animi non rependes, ut quæ mane prima profers verba, ejus honori conſecres?

VI. Conſidera, majorem etiam admirandi cauſam eſſe tibi poſſe, quòd Sancta Eccleſia cujusque diei exordio petat à DEO aperiri ſibi labia, non ad exhibendam DEO debitam laudem, ſed ad illam annunciandam, exemplo Pſalmographi. *Os meum annunciabit laudem tuam.* Quæro enim: Laus illa magna, quam hîc Pſaltes promiſerat annunciare Mundo, an non jam annuntiata eſt? Eſt illa quidem annunciata, ſed nequaquam quantum ſatis eſt. Tu ita tecùm ratiocinaris, quaſi jam coronis impoſita ſit ædificio Eccleſiæ. Re tamen ipsâ illa non eſt ædificata, ſed ædificatur indies. Et idcirco hîc ſemper proprius fuit Chriſtianorum ſpiritus, ut quisquis operâ ſuâ promovere non poſſet hocce ædificium, illud ſaltem quotidie deſideriis adjuvaret.

varet. Non venit tibi in mentem, quod hunc in finem ipse adeò David dixit? Ille postquam, ut audîsti, exclamavit: *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, in Civitate DEI nostri, in Monte sancto ejus*: quid subindefecit? satísne habuit præ stupore obmutescere in illo actu? quin imò sine mora subjunxit: *Fundatur exultatione universæ Terræ Mons Syon, latera Aquilonis, Civitas Regis magni.* Quæ autem fuit hoc subjungendi causa? ut nobis insinuaret, quid nos cum ipso ad Mundi usque finem semper dicere oporteret. Ecclesia Christi non est similis Palatio, quod anni spatio ædificetur. Civitas est amplissima, quæ latitudine & vastitate ipsum æquare terrarum Orbem debeat; atque idcirco in ea ædificanda per partes perrectum est, pergetúrque nullâ non die in eâ ad ignotas usque Gentes proferendâ, donec denique Christi notitia ad omnes perveniat. *Prædicabitur hoc Evangelium Regni in universo orbe: & tunc veniet consummatio. Matth. 24.* Non igitur dici de illa debet, *fundata est*, sed *fundatur*; neque enim ædificatio ejus certi temporis est, ut est Palmarum, aut Platanorum; sed incerti, & per secula continuandi. Hæc ædificatio nunc quoque in diversis Orbis partibus urgetur, præcipuè in Asia & America, cum *exultatione universæ Terræ.* Neque enim explicari potest lætitia spiritûs, quæ Fidem propagatam consequitur. *Audientes Gentes gavisæ sunt. Act. 13. v. 48.* Hinc argue, dum hoc loco dicitur *fundatur exultatione universæ terræ Mons Syon*, non intelligi per Montem Syon, ne in literali quidem sensu, celebrem illum in Palæstina Montem, sic indigitatum; ille siquidem jam aliis cum Montibus Mundi exordio fundatus, seu ædificatus est, non autem ædificatur: neque ille toto plaudente Mundo ædificatus est; cùm priùs fuerit constitutus, quàm essent, qui ejus

ædificatione lætari poſſent. Intelligitur, juxta ipſam literam, Mons ſpiritualis, cujus materialis ille fuit figura; intelligitur, inquam, Perfectio Evangelica. Mons Syon lateribus ſuis urbi Solymæ pro propugnaculo erat à Septentione, frigidos illos ac ſævos ventos Boreales meliùs, quàm ullus Murus poſſet, arcendo. Etiam Eccleſia, fortiùs quàm ullus murus, Aquiloni tartareo oppoſita eſt. Qui enim rectè ſe ad ejus pedem recipere novit, doctrinam inquam Evangelicam, non habet quod metuat. Aſpirent etiam hodie à Septentrione flatus illi peſſimi doctrinarum partim erroneārum, partim hæreticarum, id efficient nunquam, ut quidquam damni illi inferant, qui, quod Eccleſia docuit, conſtans & immotus tenet. Sed in quo plus momenti eſt, illud eſt, quod hæc Eccleſia ſit *Civitas Regis magni*, eâque causâ, quisquis Regem hunc amat, ô quàm ille conari debet, ut hæc Civitas amplificetur! Nemo igitur non enitî debet, ut ibi fundetur, ubi necdum ſatìs fundata eſt. Quocirca qui ad opus tam eximium præconio Verbi divini incumbit, DEO ut Nuntius Evangelij ejus dicere debet, *Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam.* Qui provinciâ tam nobili non fungitur, eâ fungentes ſanctis deſideriis adjuvare debet: & idcirco Evangelium, quod annuntiare linguâ propriâ non poteſt, debet velle annunciare alienâ. Et ad finem tam nobilem, cùm tu etiam privatim tuo in cubili vis pſallere, debes DEO dicere: *Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam.* Nam etiam ibi, quadam communione Caritatis, tuam debes exiſtimare illam linguam, quæcunque ſub illud tempus Evangelium annuntiat, hoc eſt, ſummam illam laudem divinam, quæ Verſui huic argumentum præbuit, plurium

Myſte-

Mysteriorum (etsi in fundo reconditorum) quàm verborum feraci.

## VERSVS XVII.

*Quoniam si voluisses Sacrificium dedissem utique; holocaustis non delectaberis.*

COnsidera, in præsenti versu non aliud spectâsse Davidem, quàm ut redderet rationem, ob quam in præced entibus tanta firmitate decreverit, ad respondendum DEI beneficijs, operam dare potiùs juvando Proximo, & DEO laudando, quàm Sacrificia illi numero plurima offere, qualia ipse, tot armentis abundans, offerre facilè poterat, & libens etiam volénsque obtulisset, modò sciviſſet ita DEUM velle. Causa igitur non offerendi fuit: quia DEUS illa noluit. Non tamen id propositum fuit Davidi verbis in medium allatis, ut assereret, DEUM generatim sacrificia non expetere; cùm hæc omnis tum Populus adhuc summiæstimaret. Id duntaxat intendit, ut affirmaret, à se speciatim illa non expeti. Atque ita nunc dictorum ista est paraphrasis. *Quoniam si voluisses à me Sacrificium, dedissem utique: sed à me nec holocaustis quidem delectaberis; multo minùs ergo delectaberis Sacrificijs minoris notæ.*

Duo igitur hîc utiliter investigare potes. Primum est; Cur DEUS à Davide non expetierit Sacrificia, quæ expetebat ab alijs? Alterum: cur David illa, etsi non jussus, tamen non immolârit? quamvis enim DEUS sciatur illa non imperâsse; non tamen constat, quòd illa vetuerit.

Si quaeris, cur DEUS à Davide Sacrificia non expetierit? ratio commodè desumi potest & ex occasione, quâ motus

est

eſt DEUS ad præcipienda illi Populo tam multiplicis generis Sacrificia, & ex cauſa: fuit autem occaſio illa præcipiendi, ſumma abjecti ejus Populi propenſio ad Idololatriam, cùm enim in tractando luto & lateribus, quod tamdiu factitavit in Ægypto, omnem quaſi mentis aciem & perſpicaciam perdidiſſet, neſciebat facere, niſi quod ab alijs fieri videbat. Unde ut ab alijs, tam multis nimirum Ethnicis, qui totam undique Palæſtinam cingebant, ſtultiſſimis exemplis ſeduci ſe non ſineret, ad ſacrificandum ſaxis & metallis, juſſit DEUS, ut ſacrificaret; ſed non niſi ipſi vero DEO: *Qui immolat Dijs, occidetur, præterquam Domino ſoli. Ex. 22.* Et res ipſa monſtrat, non ante DEUM certa Sacrificia imperâſſe, quàm Vitulo illi ſuo Populus immolâſſet. Neque tamen hoc ſatis fuit: Judæi ſiquidem ad malum proclives tenere ſe non potuerunt, quin tandem imitarentur Gentes vicinas in ſuis Ritibus, ſtolidorum inſtar gregum, qui libenter eunt, quà itur, non quà eundum eſt. *Commiſti ſunt inter Gentes, & didicerunt opera eorum. Pſ. 105 34.* Ratio porro iſta ceſſabat in Davide, Rege alieniſſimo ab inſanijs Gentium. Et idcirco, ut ille potiùs erat animo experrecto & excelſo, ſic ab eo DEUS poſtulavit Sacrificia ſpiritualia, & materiatis non fuit contentus. Ex hoc autem tu diſces tuo commodo, quòd ab illis, quibus DEUS majorem perſpicaciam, facultates nobiliores largitur, plus etiam ad ſanctimoniam ſuam procurandam exigat. *Cui multum datum eſt, multum quæretur ab eo. Luc. 12. 48.* Et hoc quod ſpectat ad occaſionem Populo illi imperandi Sacrificia tam varii generis.

II. Conſidera, cauſam deinde ea imperandi fuiſſe duplicem: cultum debitum DEO; & neceſſitatem conſervandi ſemper in illo Populo vivam in Chriſtum fidem. Cauſa primaria fuit cultus divinus: ejusmodi autem cultus ad hoc revo-

revocabatur, ut ope illarum oblationum Populus disceret agnoscere DEUM Primum suum Principium, & Finem suum ultimum. A DEO, tanquam Primo Principio, acceperat Populus Animalia, quæ ut Victimas illi immolabat, illos cibos, illa condimenta, illos potus: par proinde erat illa DEO, ut Fini Ultimo, restitui. *Quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi. 1. Paral. ult.* Secundaria fuit Fides in Christum; cùm enim omnis Populi salus posita esset in Sacrificio illo sacrificiorum maximo, quod Unigenitus Patris olim, se ipsum offerendo, eidem Patri erat immolaturus, voluit DEUS, ut in tam multiplicibus Sacrificijs semper istud Populi oculis obversaretur, quasi in tot Figuris, quæ illud singillatim ac partitò repræsentarent. Neque enim Sacrificium unum summè perfectum, quale illud futurum erat, unquam satìs adumbrari potuisset uno solo illorum, quæ omnia erant imperfectissima. Pro Populo tam rudi minus non requirebatur, ut tot seculorum decursu viva conservaretur Fides publica Sacrificij illius summè æstimandi, in quod, ubi venisset plenitudo temporis, desinere denique debebant alia omnia; haud aliter ac cessant promissiones, quando jam res ipsa promissa obtenta est.

Porro quod spectat ad cultum divinum, opus non erat Davidi, sicut alijs, medijs illis operibus sensilibus discere, quòd DEUS esset primum ipsius Principium, DEUS Finis ipsius ultimus. Multò ille meliùs revocare hoc sibi in mentem potuit ope Sacrificiorum illorum magìs exquisitorum, & majori cum dolore conjunctorum, quibus se ipsum identidem sacrificare jubebatur, totum se ad ejus honorem consumendo. Quod autem ad fidem in Christum attinet, Davidi non perinde ac alijs necessarium erat, excitare sese per figuras, quibus minùs docti adjuvantur. Ipse, sicut jam

clarè providerat animo illam Eccleſiam, in qua figura ejusmodi & adumbrationes ceſſaturæ erant, tanquam ad ſolem umbræ: ita pariter ad illam aſpirare, ad illam anhelare, imò ipſi in actionibus ſuis omnibus, quàm poſſet juxta conditionem ſuam, optimè, ſe conformare debebat: cùm enim in agendo duceretur ſpiritu amoris, & non timoris, ad ipſam quoque, tanquam fidelis Chriſti aſſecla, jam inde ab illa uſque ætate, pertinebat. *S. Thom. 1. 2. q. 117. a. 1. in c.*

Hæ, ſi rectè advertis, fuerunt cauſæ, ob quas DEUS à Davide non expetijt ſacrificia Gregum & Armentorum ad expianda malè ab ipſo admiſſa; perinde ac ſi, conſiderando illum ut hominem aliàs penitus *juxta cor ſuum*, ejusmodi regulis in eo gubernando uti amaret, quæ ipſum planè à reliquo vulgo diſcernerent. Felicem igitur illum, qui ſe à DEO regi ſinit ut alter David, in omni ſuo negotio! Non eſt periculum, ne ille non optimè gubernetur. Quantus tamen eorum eſt numerus, qui ſe ipſos regere malunt, quaſi ipſi ſibi ſufficerent? Unde mirum non eſt, ſi Perfectionis viam nunquam inveniunt. Tu audaciam ejusmodi mortali odio proſequitor, rogando DEVM, ut, cùm tu tantopere obligatus ſis ad ſequendum ubique divinam voluntatem, eam tibi manifeſtare dignetur. *Doce me facere voluntatem tuam, quia DEUS meus es tu. Pſ. 142. 10.* O aſpirationem aptiſſimam ad ſanctitatem conſequendam, dummodo illam tibi facias familiarem!

III Conſidera, quam tandem ob cauſam David DEO non obtulerit ſacrificia, licèt non imperata? Cauſa eſt manifeſtiſſima. Oblationes enim pro arbitrio fieri poterant. Sacrificia fieri non poterant, niſi ad præſcriptum Legis. In Lege autem erant quidem imperata ſacrificia ſolennia, ad expiationem peccatorum, etiam quæ Principes admiſiſſent, ſed eorum

eorum tantùm, quæ ignorantiâ essent admissa. *Si peccaverit Princeps, & fecerit unum è pluribus, per ignorantiam, quod Domini lege prohibetur, & postea intellexerit peccatum suum, offeret hostiam DEO, hircum de Capris immaculatum. Lev. 4. 23.* Ad expiationem eorum delictorum, quæ malitiâ essent admissa, adulteriorum, & aliorum ejus generis, præcepta non erant certa sacrificia; neque commodo Principum, neque commodo alterius cujuscunque. Delictis ejusmodi certa mortis pœna erat decreta. Hâc autem pœnâ facilè se liberabant Principes, nullius subjecti potestati; quæ quidem à cujusvis alterius jure immuniras multis fuit occasio quidvis audendi. Quare cùm delictum, pro quo Rex David sacrificium offerre debebat, hujusce omnino esset generis, de eo suo ipse arbitrio statuere non potetat. Necesse fuisset, ut DEUS, peculiari ratione dignaretur illud manifestare ore saltem Prophetæ Nathan. Sed id facere DEO non est visum. Unde nunciari quidem illi per Prophetam jussit: *Dominus transtulit peccatum tuum, non morieris:* faciendo illi gratiam mortis tam multiplicis, quam multæ infelix se reum constituerat, si lege standum erat. Sacrificia tamen subinde illi nulla imperavit. Manifestavit autem pœnas illas, quas æquo animo ferte illum oportebat ad satisfaciendum pro malis admissis: Pœnas absque dubio acerbiores multò, quàm futura fuissent sacrificia ignobilis hircorum gregis, qui hirci jubebantur offerri pro Peccatis Principum, quæ & ipsa, ob exempli pravitatem, præ alijs pessimè olebant. Nec mirum videri potest, quòd DEUS ita se gesserit cum Davide. Cum enim ipse unus è Christi Progenitoribus tam nobilis esset futurus, eo illum spiritu formabat, qui Christianorum proprius erat futurus.

Verum quidem est, Davidem cùm subinde rationem

redderet, ob quam haud quaquam ſacrificâſſet, rationem hanc non attuliſſe. Adducit illam ſolam, quam præſenti in verſu expreſſam cernis, quæ fuit, quòd DEUS nullum ſacrificium voluerit. Potuiſſet equidem cauſam hujus ipſius afferre; cur DEUS nullum voluerit. Eam tamen penſi non habuit. Satìs illi fuit ſola DEI voluntas. Veri ſiquidem obedientis perfectio non conſiſtit in eo, quòd ſe conformet rationi præcepti quod accipit, ſed quod ſe conformet voluntati illius, qui præcipit. Qualis proin dici debet tua obedientia, ſi nunquam acquieſcis rei, quæ tibi præcipitur, niſi ejus cauſam intelligas? Si obedis, quia ex re tibi imperata emolumenti aliquid redundat in Proximum, Caritatem habes: ſi quia Pietatem promovet, pius es: ſi quia Prudentiæ reſpondet, prudens es: ſi quia Juſtitiæ actus eſt, juſtus es: ſi quia æſtimationis aliquid in te inde redundat, vanus es. Tunc ſolùm verè obediens es, quando obedis, quia ita tibi eſt imperatum.

IV. Conſidera, quòd ſicut David nullum planè obtulit ſacrificium ad ſua delicta expianda, ſolùm quia DEUS nullum voluit; ita ſi aliquod DEUS voluiſſet, promptiſſimo animo illud fuiſſet oblaturus: *Si voluiſſes, dediſſem utique.* Diſce hinc veritatem momenti longè maximi. Nimirum, quòd debeamus eſſe prompti ad faciendum DEI causâ, non id ſolùm, quod á nobis ille expetit, ſed etiam quod non vult, dummodo id ipſe vellet. *Admone illos ad omne opus bonum paratos eſſe. ad Tit. 3. 1.* Hæc eſt vera & ſincera devotio. Nec enim hæc in eo conſiſtit, quòd quis orationis tempore totus in dulces lacrymas diſluat, ſed quòd animo promptiſſimo ſit ad quodcunque obſequium divinum: *Paratum cor meum DEUS, paratum cor meum*: paratum ad magna, paratum ad exigua. An fortaſſis noſtrâ non multum inter-

intereſt, tam generoſam habere promptitudinem ? Hoc eſt admirabile illud commodum, quod habemus in divino obſequio. Si tu Principi mortali ſervis, ille tibi quidem reddit mercedem pro opere, quod ab eo imperatum exequeris. Non tamen ille mercede compenſat ea etiam obſequia, quæ præſtares, ſi ille juberet. DEUS pro ſua bonitate etiam pro iſtis mercedem tibi rependit. Quando opus ipſum præſtas, coronat te, ut ita dicam, titulo Juſtitiæ: *Bonum certamen certavi &c. repoſita eſt mihi corona Juſtitiæ. 2. Tim* 4. 8. Quando autem opus non præſtas, es tamen paratus ad illud præſtandum, ſi coronare te non poteſt tam ſplendidè titulo Juſtitiæ, quid agit? coronat te titulo Miſericordiæ: *Coronat te in Miſericordia. Pſ. 102.* 4. Satis eſt perſpectam ipſi eſſe tuam ad majora promptam & expeditam voluntatem. Quæ fuit verior cauſa, ob quam Operarij illi, qui venerunt ultimâ horâ ad laborandum in vineâ Evangeliçâ, ſub diei finem non minorem mercedem acceperunt, quàm illi ipſi, qui horâ primâ operi manus admoverant. Cauſa autem fuit, quia ſi & ipſi primâ horâ non iverunt, per ipſos id non ſtetit, ſed per Dominum Vineæ, qui eos non conduxerat. Jam ipſi ſummo mane ſtererant in foro, inſtrumentis ad laborandum inſtructi, & expectantes ut conducerentur perinde atque alij. Murmurârunt quidem iſti vehementer ob hanc mercedis æqualitatem: murmurârunt tamen injuriâ. Quisquis enim coronatur titulo Juſtititiæ, habet unde lætetur: queri tamen nullo modo poteſt, quòd etiam Miſericordia ſuas diſtribuere coronas velit, miſerata eorum vices, qui non fecerunt plus; quia plus faciendi occaſio oblata non eſt. Quare etſi tu modò ſanguinem pro Chriſto non fundis, ut Martyres primarum ætatum fuderunt, utque hac etiam ætate tam multi fundunt; etſi non toleres carceres; etſi perſe-

cutiones non patiaris, ſi tu verum & ardens habes deſiderium ferendi amore DEI hæc omnia, perinde ille gratum habet, ac ſi re ipsâ patereris; dici enim poteſt, quòd tu ejus modi actu ſtrenui inſtar pugilis ad pugnam accinctus ſtes: *Sicut vir paratus ad prælium. Jer. 52. 42.* Dixi tamen, deſiderium verum & ardens: nam tepida non curantur.

V. Conſidera, facillimum eſſe in his ipſis ardentibus deſiderijs graviter hallucinari, ſi non atendas. Perſuadebis tibi, quòd ſis paratus ac promptus ad agendum pro DEO quidquid ille juſſerit; re ipsâ autem non ita paratus es, ſed blandiris tibi ipſi. *Arrogantia tua decepit te. Jer. 49. 26.* Quanam igitur ratione cognoſces, quòd voluntas vera ſit, non imaginaria, ſic ut DEUS de te quoque, non minùs quàm olim Samueli de Davide, necdum editis ullis fidei ſuæ ſpeciminibus dicere poſſit: *Inveni David Filiũ Jeſſe: virum ſecundùm cor meum, qui faciet omnes voluntates meas. Act. 13. 22.* Attende ad ſigna. *Tenta animam tuam. Eccli 37. 30.* Quid autem eſt hoc? attende ad opera, quæ interea facis. Si tu paratiſſimus es ad facienda DEI amore magna, argui inde poteſt, quòd etiam parva non ſis omiſſurus. At ſi in varijs occaſionibus non es promptus ad minora, quomodo argui poteſt, quòd eſſes facturus majora? David enim verò hîc magnâ confidentiâ ſic alloqui DEUM ſuum potuit: *Si voluiſſes Sacrificium; dediſſem utique*; quia ille ad vindicandum peccatum ſuum magis ardua opera præſtiterat: induit ſe cilicio, maceravit & afflixit corpus ſuum: abjecit ſe, & tandem etiam cinerem ut panem manducavit: *Cinerem tanquam panem manducabam. Pſ. 101. 10.* Quin quod pluris æſtimari meretur, tulit animo æquiſſimo non tantùm reprehenſionem ſeveriſſimam, quâ in illum invectus eſt Nathan Propheta, tanto minor ipſo: ſed etiam tot contumelias, irriſiones, & ignominias; cujus generis fuerunt, quas ferre ipſum oportuit à ſubditis perduellibus. An ſuſpicari tu po-

res,

tes, num fuetit paratissimus ad quamlibet victimam, sibi imperatam, qui DEI amore audire potuit Semei, sibi in faciem exprobrantem: *Egredere, egredere, Vir sanguinum, & Vir Belial. 2. Reg. 16. 7.*? Et tamen pro eo, quòd tantæ injuriæ sensum præseferret, cohibuit eos, qui non linguam tantùm, sed caput adeò ipsum amputare nefario cupiebant; magno pietatis in DEUM sensu sic illos allocutus: *Dimittite eum, ut maledicat: Dominus enim præcepit ei, ut malediceret David: & quis est, qui audeat dicere, quare sic fecerit? 2. Reg. 16. 10.* Aliud hoc erat, nî fallor, quàm pinguissimam omnium, quæ in virentibus Basan pascuis erraret, Victimam immolare. Dicat proin audacter ad DEUM David: *Si voluisses Sacrificium, dedissem utique*: dicat, dicat, & fidem mox inveniet. Sed si David non exhibuisset DEO signa tam manifesta promptitudinis in tot alijs rebus, nec ipse tam facilè fidem invenisset. Quare si & tu promptus es ad majora in rebus ad divinum obsequium spectantibus, argumento id est, quòd etiam minora facturus esses; si illa DEUS imperaret. Sed si, ut dixi, nec ad minora quidem promptus es, quomodo verisimili conjecturâ tua ad majora promptitudo arguetur?

Considera, quòd, si unquam ex promptitudine ad minora colligi potest promptitudo etiam ad majora, id uno præcipuè in casu fieri possit. Nimirum quando tu ad faciendum quod minus est, non semel tantùm, sed millies paratus es, & quodammodo sine ulla interruptione. Tunc equidem verè affirmari potest, quòd tu in modico non promptus tantùm, sed fidelis sis. Et si fidelis es in modico, ne dubita, esses etiam in magno. Asseruit hoc Christus: *Qui fidelis est in minimo, & in majori fidelis est. Luc. 16. 10.* Tunc egregiè animatus, DEUM cum ipso Davide alloqui potes; *Proba* VI.

*ba me, Domine, & tenta me:* offerendo te ad perſecutiones, ad carceres, ad caput adeò ipſum carnificis ſecuri ſubijciendum: jam enim ſigna dediſti luculenta generoſæ tuæ promptitudinis in ijs, quæ tibi permiſſa ſunt. At ſi è diverſo in modico fidelis non es, ne tibi ipſi ſtultè imponas, & in animum inducas, quod nihilominus eſſes facturus majora. *Superbia cordis tui extulit te, habitantem in ſciſſuris petrarum. Abd. 1.3.* Vix amore DEI paſſum unum audes ponere extra illa foramina, in quibus inſtar ſtellionis hæres ad omnem temporum injuriam evitandam; & perſuadere tibi vis, quòd Aquilæ inſtar volaturus eſſes, dummodo ille vocaret te trans Montes, aut Maria ad explorandas terras incognitas? Tu manifeſtè tibi imponis in tua Devotione, & tamen non advertis te decipi. Ut & tu dicere valeas: *Si voluiſſes Sacrificium, dediſſem utique,* fac ut promptitudo tua ſe monſtret ſignis operum, & non tantùm ſe oſtentet fervore ſuſpiriorũ.

VII. Conſidera, ſi, quod ſpectat ad præterita, mox intelligitur, quomodo David DEO dicere potuerit: *ſi voluiſſes Sacrificium, dediſſem utique*, difficile tamen captu eſſe, quomodo idem etiam de futuris dici potuerit: *holocauſtis non delectaberis.* Nam vel conſideramus Davidem ipſum, vel alios ab eo diverſos: Si Davidem ipſum, indubitata res eſt, quòd ad placandum DEUM, vehementer iratum propter famoſam illam Populi numerationem, ille ſub ultimos vitæ annos ſolenne holocauſtum immolârit DEO in area Ornan, hoc eſt, eo ipſo loco, ubi opinio eſt ſubinde à Salomone Templum eſſe ædificatum: neque dici poteſt, id Holocauſtum DEO non valdè carum fuiſſe; dum illud DEUS ſigno manifeſto ignis de cælo in Altare illud, etſi tantùm ex tempore erectum, delapſi probavit. Si autem alios à Davide diverſos perpendamus, quàm multa ſubinde Holocau-

locausta obtulit Salomon in solenni Dedicatione Templi jam dicti? quàm multa Ezechias, quàm multa Josias, quàm multa Josaphatus, quàm multa Esdras, quin tamen ullis eorum DEUS non delectaretur? Quod si ita est, quomodo igitur David sine ulla hæsitatione pronuntiare potuit: *Holocaustis non delectaberis?* si dixisset, *non es delectatus*, capi id posset, sed dicere illi, *non delectaberis*, id profectò nimium videtur.

Quò gravior videtur dubitandi ratio, tanto facilior etiam est responsio: neque enim aliunde dubitatio oritur, nisi quia memoriâ non retinetur, quòd David non loquatur generatim, sed in particulari: de geminis duntaxat illis gravissimis flagitiis adulterij & homicidij, quæ tanto animi dolore deploranda in DEI oculis sibi constituerat. Pro ejusmodi delictis DEUS neque Sacrificia à Davide petierat, neque deinceps petiturus erat. Id quod subindo David obtulit in Area Ornan, oblatum est pro peccato enormi quidem, sed tamen diverso; quod temerè potiùs & inconsultò, quàm destinatâ malitiâ perpetratum est: quin non pro suo unius, sed pro totius Populi peccato id obtulit. Fuit revera ipsius, quia David vel oblitus, vel non libenter memor, quòd respectu promissionis Abrahamo factæ de Populo innumerabili, vetitum Lege esset illum numerare, nisi aliter DEUS imperâsset; tamen ipse pro sua libidine voluerat illum numerari, ingratiis omnium, qui à tali eum facto abducere laborârant. Populi autem peccatum fuit, quia quoties ad numerationem tam universalem procedebatur, numerati capitatim tenebantur Tabernaculi servitiis pendere minutam aliquam pecuniolam: hæc autem pensio generatim tunc prætermissa fuit: quæ fuit causa, ut communi pœna in Regem & Populum animadver-

madverteretur; in Populum, dum atrociſſima in illum lues deſæviit; in Regem, dum tanto ſubditorum numero, exiguo temporis ſpatio ſe privatum vidit. His pro delictis Sacrificium à DEO ſtatutum erat, eâque etiam causâ DEUS illud acceptavit.

Non negaverim ego quidem, quin, quando David DEO tam ſine exceptione dixit, *holocauſtis non delectaberis*, potuerit non tantùm velle loqui de ſe, & eo rerum ſtatu, ſed etiam generatim. Imò hæc fuit S. Hieronymi opinio, qui cenſuit, hoc fuiſſe vaticinium aliquod Davidis, qui ſpiritu præſens erat Eccleſiæ, de qua vaticinabatur (ut ibi intellexiſti explicari) verſu præcedente, Eccleſiæ inquam Chriſti, in qua certum eſt non fuiſſe placitura DEO Sacrificia, ne illa quidem plena, & præ ceteris perfecta, Holocauſtorum.

Sed ſive David de ſua tantùm, ſive etiam de noſtra ætate locutus ſit, parum omnino refert. Potuit nihilominus etiam de ſua ætate generatim dicere cum veritate, quòd DEUS ne tum quidem fuerit delectatus hujusmodi holocauſtis; nam ſi aliquo modo delectatus eſt, non delectatus eſt ſecundùm id, quòd illa continebant in ſe ipſis (ſicut delectatur Sacrificio ineffabili Altaris) ſed tantùm ſecundùm id quod ſignificabant; quod erat ipſum hoc Sacrificium divinum, cujus modò meminimus. Deinde ſi illis delectatus eſt, non eſt delectatus generatim, ſicut noſtro, ſed tantùm usque ad certum tempus, quoad nimirum noſtrum ſuccederet. Denique ſi aliquo modo ſe delectâſſe dicendus eſt, non fuit æqualis illa delectatio alteri ex noſtrate Sacrificio percipiendæ; ſed tanto intervallo minor, ut propè dici poſſet, quòd penitus non ſe delectârit: *Non delectaberis.* Non eſt novum in Sacris Literis, ut Poſitivus

sitivus Comparativi vim obtineat, sic ut DEUS olim agens de præceptis cæremonialibus, quæ Judæis dederat, eò progressus sit, ut per Ezechielem diceret, *Dedi eis præcepta non bona, & judicia, in quibus non vivent. Ezech. 20. v. 25.* Non quòd illa præcepta & ipsa bona non essent, cùm lata essent à DEO; sed quòd comparatione præceptorum ad mores spectantium, quæ complectitur Decalogus, & ad omne planè mortalium genus pertinent, & eorum præcipuè, quæ in Lege Evangelica subinde statuenda erant, digna non essent habere cum ipsis commune nomen bonorum.

Si præcepta illa cæremonialia bona erant, non erant universim bona, quia non bona omnibus. Bona erant Servis, non Filiis; bona Infantibus, non bona Adultis; bona infirmis, non autem fortibus; bona imperfectis, non autem Perfectis: denique si bona erant, bona erant ut demonstrarent homines Peccatores, non bona ut facerent Justos, delendo peccata ab ipsis admissa. *Judicia, in quibus non vivent.* Sicut igitur præcepta illa Vetera potuerunt dici non bona, sic & Sacrificia potuerunt dici non delectabilia, semper respiciendo, quam diximus, comparationem. Et hoc posito ea fuit vis verborum David, quando non tantùm respectu sui, sed etiam respectu aliorum Immolantium Victimas, ad DEUM dixit: *holocaustis non delectaberis.* Vim habuerunt exprimendi magnam excellentiam, quam supra Sacrificia Legalia Salomonis, Ezechiæ, Josiæ, Josaphati, Esdræ, & tot aliorum, habitura essent Sacrificia spiritualia, & maximè illa Legis novæ, quæ felici sorte nobis obtigerunt.

Tam præstantia Sacrificia mox pluribus & distinctiùs David in sequentibus versibus explicabit. Tu para te ad illa, quantum ad te spectat, offerenda ut oportet. Attende

tamen, quia in illis non agetur de vilibus beſtiis, ſed de ſemetipſo offerendo, & ſacrificando.

## Versus XVIII.

*Sacrificium DEO Spiritus contribulatus : cor contritum, & humiliatum, DEUS non deſpicies.*

1. COnſidera, cùm David præcedenti verſu tantùm non omnem æſtimationem ademiſſet Sacrificiis Legalibus, aſſerendo, in iis non ſibi complacere DEUM; fuiſſe idcirco obligatum ad dicendum, quæ tandem illi placerent: neque enim DEUS ſine Sacrificiis relinquendus eſt. Sacrificare uno aliquo potiùs, quàm alio modo, negari non poteſt eſſe Legis tantùm poſitivæ; ad hanc enim pertinet illum ſtatuere, ut apparet ex Levitico, qui totus liber eò refertur. Sacrificare tamen aliquo modo, Legis naturalis eſt, cujus gratia nulli poteſt fieri. Ratio autem eſt, quia ut nimis quàm malè conſtituta eſſet illa Reſpublica, in qua non eſſet certum quoddam obſequij genus exhibendum Principi, tanquam ejus Capiti, ſic ut nulli alteri exhiberi poſſit ſine crimine Læſæ Majeſtatis; ſic plus quàm malè conſtituta eſſet Univerſi Reſpublica, niſi in ea certus cultus eſſet, exhibendus DEO, qui nulli alteri exhibeatur, aut exhiberi poſſit. Et talis cultus præcipuè ille eſt, qui DEO præſtatur per Sacrificia: hæc enim, ut ſuo loco dictum eſt, ſunt quædam profeſſio ſummæ illius ſubjectionis, quam DEO debemus, tanquam noſtro Primo Principio, hoc eſt, illi, qui nos condidit: & tanquam Ultimo Fini, hoc eſt, illi qui nos Beatos reddet. Sacrificium

cium igitur necessarium est. Ecquod tamen illud erit, maximè in præsenti negotio, hoc est offerendum ab illo, qui cum Davide detestetur malum admissum? En illud paucis: *Sacrificium DEO Spiritus contribulatus.* Sacrificium ergo hoc, est Spiritus, ob malum admissum tribulatus. Quin satis non est esse tribulatum, necesse est esse contribulatum, hoc est, simul cum corpore tribulatum.

Necesse semper fuit omne Sacrificium esse duplex: exterius, & interius. Exterius, quia modus operandi naturæ humanæ conveniens est, ut argumento quodam sensili prodat animi sui sensa. Interius; quid enim valeret signum, si abesset res significata? Principale porro Sacrificium haud dubiè consistit in interiori, in spiritu inquam, qui totus offertur DEO actibus illis convenientibus, quos elicit ad agnoscendam illam summam Majestatem. Hæc autem oblatio interior, Sacrificio exteriore expromenda est, quo Corpus etiam sese sacrificet actibus, qui respondeant illis, quos interea Spiritus elicit.

Dixi, Sacrificium, quo Corpus immolet seipsum. Tria enim duntaxat sunt, quæ mortali hac in vita homo possidet, Spiritus, Corpus, & bona externa, ut sunt opes ac facultates. Ceterùm facultates offerri quidem DEO possunt; verè tamen ac propriè sacrificari non possunt. Omne olim Sacrificium erat oblatio; at non vicissim omnis oblatio erat Sacrificium. In Sacrificio præterea requirebatur, ut res oblata quidpiam pateretur modo naturæ suæ respondente, hoc est, occideretur, si vivebat, aut amburetur, contereretur, commoleretur, destrueretur, si non vivebat. Vicissim oblatio fiebat DEO, quin res oblata quidpiam pateretur, ullámve sui immutationem subiret, secundùm se. Hoc posito, opes, quas donas DEO, oblationes sunt, Sacrificia tamen dici non possunt; nisi in sensu quodam valdè am-

dè amplo & parùm proprio. Sacrificium ergo ad Spiritum tantùm & Corpus pertinet. Ad Spiritum quidem, quia hic in re noſtra ſe tribulat, hoc eſt, ſummè affligit ob malum à ſe admiſſum: ad Corpus verò, quia ſe tribulat proportione quadam reſpondente tribulationi Spiritûs, aut labore quodam moleſto, quem eodem tempore ad honorem DEI ſubeat: aut alio illatum aſperitatum genere, quæ corporales dicuntur, ut ſunt veſtes ſetoſæ, jejunia, ſui diverberationes, aliæ ſe excruciandi rationes, quæ affligant corpus, quod vetitis voluptatibus voluit indulgere. Sine his omnibus non poteſt eſſe ullum Pœnitentis Sacrificium, quod plenum ſit. At tu quis es? Nonne & tu Pœnitens? Supereſt igitur ut videas; quomodo ſtatui tuo Sacrificium tuum reſpondeat?

Spiritus tribulatio in te quousque pertingit? Potéſtne dici, quòd tota ſit? Et tamen totam exigebat Moyſes à Populo ſuo, cùm dixit: *Cùm quæſieris Dominum DEUM tuum, invenies eum, ſi tamen toto corde quæſieris, & tota tribulatione Animæ tuæ. Deut. 4.* Quantum tibi dolet malum admiſſum? quantum te affligit? quantum cruciat? an non pudor eſt, quòd te ſinas agere dies lætos? Et quò usque Corporis tribulatio progreditur? Quando Spiritus ſeriò tribulatus eſt, ferre non poteſt, ut Corpus voluptati indulgeat. Vult ut & ipſum patiatur. Subſternet illi noctu pro lectulo nudos aſſeres, quibus incumbens ſentiat conteri oſſa, cogatúrque fateri, non habere ſe pacem. *Non eſt pax oſſibus meis, à facie peccatorum meorum. Pſal. 37. v. 4.* Et tamen ſpiritus pro eo, quòd ejus miſeratione moveatur, illud inſuper, tanquam delicatum, increpabit. *Increpat quoque per dolorem in lectulo, & omnia oſſa ejus marceſcere facit. Job. 33. v. 19.* Nolim igitur tibi perſuadeas, opera pœnalia,

nalia, seu pœnitentiam corporalem quam dicimus, pro te post peccatum esse opus, quod vocant, supererogationis, ac planè indebitum: est enim verò necessitatis, maximè si tu aliàs non atteras corpus labore alio, DEI causâ susceptо: aliter enim si esset, haberes quidem Spiritum tribulatum, sed non contribulatum. Spiritus autem tribulatus se solo Sacrificium perfectum nunquam constituit: *Sacrificium DEO Spiritus contribulatus.*

III. Considera, tria summè necessaria esse Pœnitenti: expungere peccatum, cujus est reus: conservare & tueri gratiam, quia parum illi prodesset, recuperâsse illam, nisi & conservaret: & vivere conjunctum DEO: quisquis enim infirmum se advertit & debilem, robusto ac forti se applicet necesse est. Sicut porro tres isti fines fuerunt, propter quos homo (ita affirmante *S. Thoma 3. p. q. 22. a. 2. in c.*) opus habebat Sacrificiis, ita & iidem tres sunt, ob quos Pœnitentia, etiam Corporis, ipsi est necessaria.

Ad delendum peccatum referebatur Sacrificium, quod appellabatur *pro peccato*, aut Propitiatorium, & respondebat (eodem Magistro asserente *1. 2. q. 102. ar. 3. ad 8.*) Statui Incipientium. Et ad expiandum ac delendum peccatum refertur Pœnitentia Corporis tanquam & ipsa Sacrificium *pro peccato*, primariò ac præcipuè ad hunc finem ordinatum. Ad tuendam ac conservandam gratiam referebatur illud Sacrificium, quod appellabatur Pacificum, cujus omnis vis consistebat in tuenda incolumitate offerentis, ad fortunam secundã, protectionis peculiaris favorem, & ante omnia ad victoriam contra hostes impetrandam: & respondebat statui Proficientium. Refertur etiam ad tuendam gratiam Pœnitentia Corporis, tanquam Sacrificium Pacificum, quod ante omnia valet ad profligandos Appetitus

titus perduelles, hoc eſt Hoſtes omnium infenſiſſimos, qui gratiam auferunt poſſidenti. Ad vivendum in conjunctione cum DEO referebatur illud Sacrificium, quod appellabatur Holocauſtum; in eo enim omnia abſumebantur igni, & reſpondebat ſtatui nobiliſſimo Perfectorum. Refertur autem etiam ad conjunctionem cum DEO Pœnitentia Corporis, quæ inſtar Holocauſti, auferendo ab homine perverſum amorem ſui ipſius, efficit tandem, ut hic totus collocetur in DEO. Quin imo, ſi quidquam eſt, ad quod multum confert hæc Pœnitentia, confert ad hanc cum DEO conjunctionem. Quando aſpera illa veſtis te pungit, quando frigus illud te ſtupefacit, quando illa fames te cruciat, quando durus ille lectus te torquet, quid aliud faciunt, quàm ut DEI in te memoriam excitent? Efficiunt, ut tu confeſtim totum offeras DEO, aſpiratione quadam piâ; ut ad illum ſuſpires, illum glorifices, & quod conſequens eſt, tanto illi magìs conjunctus vivas. Et en quomodo Sacrificium exterius non ſolùm ſit ſignum interioris, ſed etiam cauſa ad illud excitans. Dices, non deeſſe aliquos, qui ſæpe corpus ſuum pœnalibus hiſce cruciatibus torqueant, quin tamen illis identidem ſuſpiria ejusmodi pia aſſocient, quæ ſpiritum cum DEO conjungant. Et ego tibi repono, hujus ſortis homines ſi Corporis Pœnitentiâ ſe cruciant, non poſſe tamen dici, quod offerant Sacrificium. Opera potiùs faciunt Gladiatorum. Omne Sacrificium exterius ut DEO placeat, oportet ut interioris ſignum ſit: *Omne Sacrificium, quod offertur exteriùs, ſignum eſt interioris Sacrificij, in quo animam ſuam quis offert DEO.* Ita viſum eſt S. Auguſtino *de Civit. DEI l. 10. c. 5.* Vide proin, quanti interſit facere ut tuæ Pœnitentiæ perpetuò his

his affectibus animentur. Isti attollunt eas ad gradum Sacrificiorum.

Considera, esse nonnullos, qui neque DEI causâ possint defungi laboribus molestis, neque corpus abstinentiâ à cibis, nec verberibus sponte inflictis, nec aliis ejus generis operibus perpessu arduis cruciare, propterea quòd corpus circumferant morbis & infirmitatibus seu temporariis, seu perpetuis afflictum. An igitur isti non poterunt offerre DEO Sacrificium, quod hîc Sacer Vates dicit esse gratum DEO? Enimverò poterunt, nam & in ipsis vigere potest Spiritus, non tribulatus tantùm, sed & contribulatus. An tibi parva videtur Pœnitentia, quam in morbo offers DEO, dummodo hunc tu acceptes ab ejus manu voluntate prompta? Ibi quoque corpus tuum evadit Victima: imò, si rectè rem æstimas, ibi plus quàm uspiam alibi. Ibi enim Corpus tuum evadit Victima ex toto divina, hoc est Victima immolata ab ipso DEO, quin alius in ea partem ullam habeat, tanquam Immolans. Idcirco quid Corpori tali occasione faciendum? Sinere se magna voluntate sacrificari, sicut DEO placuerit, quantum DEO placuerit, acceptando omnia ad expiationem malè admissorum: *Ego quasi Agnus mansuetus, qui portatur ad victimam. Jer. 11. v. 19.* Et en causam, propter quam cùm dixisset: *Sacrificium DEO spiritus contribulatus*; David mox ad DEUM versus adjunxerit: *Cor contritum, & humiliatum DEUS non despicies.* Causa fuit, ut qui facere plus non poterit, animum non despondeat. Cor verè contritum, & humiliatum est loco omnium. Et quodnam est hoc Cor? est cor quodcunque, summè dolens de culpa, & humiliatum sub pœna. Fieri non potest, ut DEUS ejusmodi cor contemnat, usque adeò pulchrum est. Et idcirco istud cor opor- III.

tet habeas quocunque tempore, ſed illo maximè, quando tibi accidunt adverſa, quæ non permittunt te aliud DEI causâ agere, niſi ut illa æquo animo patiaris. Tunc robur hac à precatione mutuare, vibratâ tamen ab intimis Spiritûs penetralibus: *Cor contritum & humiliatum DEUS non deſpicies.* Et in hoc acquieſcens, ne te affligas, ſi aliud DEI causâ facere nihil potes.

IV. Conſidera, (ut probè capias inprimis, quale ſit hoc cor contritum & dolens de ſua culpa) non dici, quòd vel ſciſſum, vel fractum ſit, ſed quòd ſit *cor contritum*: Contritio enim ſic dicta eſt à vi ſua agendi quaſi implacabili, Non relinquit ne partem quidem cordis, quam non in minutiſſimas atomos reducat: *Comminuetur ſicut conteritur lagena figuli contritione prævalidâ, & non invenietur de fragmentis ejus teſta. Iſ. 30. v. 14.* Proponam rem diluciùs. Quid agit cor amore ſui, quando admittit peccatum grave? Indureſcit ſuperbum contra voluntatem DEI, ſic ut divinæ voluntati anteponat propriam, hanc æſtimando plus quàm rem aliam ullam, eâ omnino ratione, quâ æſtimatur finis ultimus; & hoc præterea facit inſuper habitis omnibus pœnis, graviſſimis, ſempiternis, quas minatur DEUS, cuicunque rem talem perpetranti. Par igitur eſt, ut cor iſtud omni quercu durius, ubi ipſum pœnitudo ſubire cœperit, non ſolùm duritiem ejusmodi ponat, ſed ut etiam fiat quàm maximè tractabile ac flexile, qualis omnino foret illa quercus in cineres redacta: oportet enim ut illud in ſuo ad meliora reditu & converſione redeat ad ſtatum è diametro oppoſitum illi, in quo erat dum peccabat. Et hoc eſt, quod in illo efficit Contritio, eam ob cauſam dicta, Dolor perfectus. Reducit confeſtim cor ad ſtatum priori oppoſitum. Facit enim illa, ut ſi DEUS

vellet

vellet in eum, qui peccavit, exonerare omnes illas pœnas, quas miser peccando nihili fecit, ipse tamen, solo DEI amore impulsus, doleat plus, quàm de malis omnibus, de præterita sua elatione, fixum prorsus ratúmque habens deinceps semper voluntati suæ anteponere divinam. An non hoc est verè cor redactum in cinerem? *Cor contritum quasi cinis.* Quomodo igitur tu putes, quòd DEUS illud possit despicere? Tam procul hoc abest à vero, ut si Contritio non est in dicto corde Forma Justificans, ut est vero similius quòd non sit (si enim attendamus ad verba Conciliorum, Sanctorum Patrum, SS. Literarum, Justificatio promissa est cordi contrito tanquam Gratia superveniens) saltem est certa & minimè fallibilis ad illam dispositio. *Qui sanat contritos corde. Psal. 146. 3.* Tantum igitur abest, ut DEUS cor ejusmodi despiciat, ut etiam summè amet. Et tu, cùm hoc ita sit, non facies quidquid potes, ut illud assequaris? Non abeat dies, quo tu non coneris elicere aliquem actum Contritionis eum in finem, ut merearis tale cor.

Considera, quale etiam sit Cor humiliatum sub pœna. Est autem illud, quod agnoscit, credit, & profitetur se dignum omni malo, quod DEUS miserit: *Omnia, quæ fecisti nobis Domine, in vero judicio fecisti, quia peccavimus tibi, & mandatis tuis non obedivimus. Dan. 3.* Nec illud tantùm, sed quodcunque aliud malorum genus se promeritum fatetur; etsi sine comparatione majus sit illo, quod tolerat. Atque hoc est, quò tibi semper curandum ut pervenias. *Humilia valde Spiritum tuum. Eccl. 7. v. 19.* Non est satis, ut abjicias te, fatendo te Peccatorem. Necesse est ut te abjicias ampliùs, donec te fatearis Peccatorem semper meliùs & mitiùs tractatum & habitum à DEO tuo, V.

quàm mereatis. *Peccavi, & verè deliqui, & ut eram dignus, non recepi. Job. 33, v. 27.* Et quia abjicere & humiliare ſe, non eſt animum perdere, tum ipſum, dum te veniâ indigniſſimum profiteris, nullam meritum clementiam, ſperare nihilominus debes veniam & clementiam, à ſola DEI miſeratione, eò progreſsâ in favoribus & gratiis etiam tibi conferendis, ut progredi ulteriùs vix poſſit. *Sed da gloriam nomini tuo, & fac nobiſcum ſecundùm multitudinem miſericordiæ tuæ.*

De cetero verte tantiſper oculos in tres illos innocentiſſimos Juvenes, qui Babylone, cùm nollent Nabuccodonoſori exhibere cultum uni DEO debitum, fornacem potiùs ingreſſi ſunt, cujus flammæ ad nubes usque aſcendebant! Humiliârunt ſe & ipſi in ea fornace non ſecus, quàm ſi eò iniecti eſſent ob flagitia inaudita. Quis ſibi id perſuaderet? In medio flammarum, quas acceptârant à DEO animo tam conſtanti, imò etiam cùm viderent ſe ab iis flammis, novo prodigio, purorum inſtar ſpirituum, intactos atque illæſos; in Sacrificio tam excellenti, in ſanctimonia tantopere glorificatâ, non dubitârunt profiteri ſe Peccatores Mortalium miſerrimos, omnium iniquiſſimos, non tolerandos, omni ſuppliciorum genere digniſſimos: *Peccavimus, iniquè egimus, recedentes à te, & deliquimus in omnibus* &c. *Sed in animo contrito, & Spiritu humilitatis ſuſcipiamur, quoniam non eſt confuſio confidentibus in te. Dan. 3.* Plúsne illi dicere DEO potuiſſent, ſi locuti eſſent non ex fornace, mutata in Templum, ſed ex denſo nemore, ex quo inſtar Latronum ad bonam frugem converſorum, eum invocare inciperent ad agendam, poſt longam atrocium ſcelerum catenam, ſeram licèt, ſub ultimos vitæ annos, pœnitentiam? Et tibi tam arduum videatur, fateri te palam

infeli-

infelicem illum, qui es, post tot tuæ erga DEUM perfidiæ certa & indubitata specimina? Prô quàm verum est, semper DEI manum affligentem tibi justo graviorem videri? Omnis capitis dolor, quamlibet exigua æstimationis jactura, omne in rebus damnum, omnis quæ tibi obtingat, adversitas, etsi tam tibi debita, nimis quàm sufficiens est, ut plus quàm desolata Hierusalem, Threnis non cessantibus, conqueraris, perinde ac si tu scopus esses omnium sagittarum à DEI manu contortarum. *Tetendit arcum suum, posuit me, quasi signum ad sagittam. Thr. 3. v. 13.*

Hoc non est cor humiliatum, quod habere debet omnis Victima, quæ DEO placitura est. Quid juvat proinde, si tu veste humiliatum te profiteris, hirsuto fortassis sacco involutus? Necesse est cor potiùs, quàm vestem, habere humiliatum. Hoc enimvero est, quod DEUS non despicit: *Cor contritum & humiliatum DEUS non despicies.*

VI. Considera, Si cor, de quo hactenus locuti sumus, tanti apud DEUM est pretij, videri Davidem simul semélque geminam intulisse injuriam; unam DEO, cordi alteram: cordi quidem, quia de corde tam nobili plus non dixit, quàm quòd à DEO illud non sit despiciendum: DEO autem, dum de DEO tam benigno plus non dixit, quàm quòd DEUS tale cor non sit despecturus. *Non despicies.* Longè sapientiùs videtur egisse Isaias, quando DEUM loquentem introduxit, quòd cor ejusmodi non tantùm non sit despecturus, sed eo esset illud dignaturus obtutu, ut nihil in omni Terrarum orbe dignaturus esset benigniore. *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum Spiritu, & trementem sermones meos? Isa. 66. v. 2.*

Verùm ego inprimis possem tibi respondere cum Doctis, quòd hæc Davidis loquendi ratio sit figurata, dum illo

loquens cum DEO, *Non deſpicies:* una earum uſus eſt formularum, quæ quò exprimunt plus, hoc dicunt minus. Qui clamavit olim *DEUM homini non æquabo. Job. 32. v. 21.* Parùm profecto dixit: DEUS ſiquidem non tantùm comparari non debet cum homine, ſed eidem infinitis paraſangis anteponi. Nihilominus tam parum dicendo, plus expreſſit; cùm ſic indicare voluerit; quòd niſi ipſe DEUM infinitis intervallis homini præpoſuiſſet, viſus ſibi fuiſſet illum comparare. Similem figuram cogita tu locum habere in hoc Davidis loquendi modo.

Quamquam ego aliâ viâ progrediar, revocando tibi in memoriam, quòd iſtæ duæ res ſint inter ſe diverſiſſimæ: DEUM loqui de homine contrito, & hominem contritum loqui de ſe ipſo ad DEUM. Cùm DEUS de tali homine loquitur, novit illum æſtimare pro merito, & idcirco decet, ut de eo loquatur verbis ſummam æſtimationem præferentibus; ut ſic apud alios authoritatem illi conciliet: *Ad quem reſpiciam, niſi ad pauperculum, & contritum Spiritu? Iſa. 66. v. 2.* Homo tamen ejusmodi, loquens cum DEO, quid facere aliud poteſt, quàm loqui de ſe abjectè? Neque ipſe certò novit, quòd ſit contritus; & ſi nôſſet, certò ſcit, quòd hoc ille non à ſe, ſed ſolùm ab ipſo DEO habeat. Et idcirco de ſe loqui non poteſt niſi verbis ſummam demiſſionem ſpirantibus; cùm æquum non ſit, ut unquam ejus lingua à corde diſſentiat. Quis autem neſcit, Davidem ſcripſiſſe Pſalmum hunc quinquageſimum, non ſolùm, ut ipſe crebrò eo uteretur, ad ultimos usque vitæ ſuæ dies; ſed ut illum etiam velut ultimæ voluntatis ſuæ tabulas Poſteris relinqueret, illis inquam rectè credentibus, qui in futura nova Eccleſia ſibi illum præ omni alio Pſalmo familiarem erant reddituri? An non igitur æquum erat, ſic illum ſcribi, ut

bi, ut illo uti, cum pronuntiare posset quilibet? Quis autem nostrûm tam protervus est, ut dum illum pronuntiat, reputare secum non debeat; magnum quid esse, dummodo DEUS ipsum non despiciat? *Cor contritum, & humiliatum DEUS non despicies.* Verba quæ tantillum vel æstimationis propriæ, vel vanitatis redoleant, si semper malè prodeunt ex ore cujuscunque, multo sanè pessimè ex ore Pœnitentis.

Age, evolve Sacros Codices, deprehendes, quâ semper loquendi cum DEO formulâ Sancti usi sint: deprehendes, semper eos loqui de se contemptim, semper accusare se, semper omnium malorum, etiam alienorum, se causam profiteri: *Nos iniquè egimus, & ad iracundiam provocavimus te. Idcirco tu inexorabilis es*: dicebat DEO Jeremias, cùm Populum videret in captivitatem abripi. *Thr. 3. 42. Quoniam non obedivimus præceptis tuis, ideo traditi sumus in direptionem* (ajebat Tobias) *& nunc, Domine, magna judicia tua, quia non egimus secundùm præcepta tua Tob. 3. v. 4.* Esdras audem quid ipse dixit redux Babylone? *DEUS meus confundor, & erubesco levare faciem meam ad te, quoniam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt super caput nostrum, & delicta nostra creverunt usque ad cælum, à diebus Patrum nostrorum. Sed & nos ipsi peccavimus graviter, usque ad diem hanc. 1. Esd. 9. v. 6.* Neemias, postquam suo in exilio lacrymis solatium non admittentibus deplorârat clades Solymæ: *Confiteor*, dixit, *confiteor pro peccatis filiorum Israël, quibus peccaverunt tibi: Ego, & domus Patris mei peccavimus: vanitate seducti sumus. 2. Esd. 1. 6.* Daniel indutus sacco, opertus cinere, exhaustus jejunio ipse quoque dicebat: *Tibi Domine Justitia, nobis autem confusio faciei &c. Domine nobis confusio faciei, Regibus nostris, Principibus*

*cipibus noſtris, & Patribus noſtris, qui peccaverunt in te &c. Omne malum hoc venit ſuper nos, & non rogavimus faciem tuam, Domine, ut reverteremur ab iniquitatibus noſtris. Dan. 9.* Quære, ſi lubet, & invenies ita locutos innocentiſſimos alios, ſed demiſsè de ſe ſentientes; qui ſibi attribuebant illa ipſa peccata, in quibus partem aliam non habuerunt, quàm quòd illa deteſtarentur. Perpende dein tu, quid par ſit facere quemlibet verum Pœnitentem. Fieri non poteſt, ut quisquis talis eſt, abjectè de ſe non loquatur. Quæ ipſa cauſa eſt, ob quam toties Sacris in Literis cordi contrito conjuncta ſincera demiſſio inveniatur: *Hæc dicit Excelſus in ſancto habitans, & cum contrito & humili ſpiritu, ut viviſcet ſpiritum humilium, & vivificet cor contritorum. Iſa. 37. v. 15.* Proprium ſiquidem Contritionis eſt (id quod jam ante notavimus) deprimere ſuperbiam Spiritûs antè DEO perduellis, imò conterere illam, magìs etiam quàm lapillus abſciſſus à monte, contriverit & comminuerit inclytum illum Coloſſum, qui dormienti Babylonis Monarchæ in ſomno objectus eſt, tam facili operâ conterens atque comminuens metalla ſolidiſſima, quàm lutum. *Tunc contrita ſunt pariter ferrum, teſta, æs, argentum & aurum, & redacta quaſi in favillam æſtivæ areæ. Dan. 2. v. 25.* Et hinc fieri nequit, ut unquam Contritioni comes non ſit Humilitas. *Afflictus ſum, & humiliatus ſum nimis. Pſal. 39.* Qualis igitur Contritio tua dici poteſt, ſi dum doles, animo tam elato es? ſi omne te verbum mordet, ſi omnis punctura te accendit, ſi omnis contemptus, utut minimus, ad indignationem te concitat? *Dolor eſt de proſternentibus naturam.* Ipſe adeò corporis dolor, dum vehemens eſt, ſufficit ad altos Spiritus deprimendos: cogita, quæ vis debeat eſſe doloris Spiritûs.

VER-

## VERSVS XIX.

*Benignè fac Domine in bona voluntate tua Syon, ut ædificentur muri Hierusalem.*

CONsidera, Davidem postquam ostendit tam præclarè, quænam essent illa Sacrificia, quæ verè cor DEI rapiunt, facere non potuisse, quin confestim spiritu raperetur ad felicia illa tempora, quibus futurum erat, ut hæc Sacrificia perpetuò vigerent. Et idcirco truncato & abrupto confestim sermone, more prophetico, qui nullis se legibus coerceri patitur, ad preces se vertit, breves illas quidē, sed efficaces, quibus accelerationē eorum temporum supplex flagitaret. Non differret diutius DEUS, non moraretur porro; curaret tandem admoveri manum fabricæ prodigiosæ novæ Hierusalem, Christi inquam Ecclesiæ, cui omnia illa Sacrificia jure meritóque servabantur in gratiam magnifici ejus Fundatoris. Hunc esse sensum literalem istius versûs, apud me est extra omnem controversiam. De quâ enim alia Hierusalem David hîc juxta literam loqui potuisset? an de illa, in qua ipsiusmet erat Regia? Ita prima fronte videri posset. Etsi enim illa Hierusalem ætate Davidis ædificata esset in parte ejus inferiore, nondum tamen perfecta erat in superiore, in illa nimirum Montis Syon, cui supremam deinde manum Salomon imposuit, dum eo in spatio Templum illud sumptuosissimum DEO ædificavit. In illo tamen Templo non erant offerenda DEO Sacrificia illa tam excellentia, de quibus David præcedente versu locutus est, & porro loquetur versu sequenti. Ibi immolanda erant magno numero Sacrificia Arietum, Boum, Capratum olentium, quæ potiùs ille contempserat, cùm tam non hæsitanter dixisset: *Holocaustis*

*non delectaberis.* Neceſſe eſt igitur fateri, voluiſſe illum innuere aliquid de meliore illa Hieruſalem, cujus altera erat figura: neceſſe eſt, inquam, fateri voluiſſe innuere aliquid de noſtra: in noſtra ſiquidem univerſim offerenda erant illa Sacrificia, quæ deſpici nulla ratione poſſent, quorum Legalia illa ne quidem illuſtres imagines fuerunt, ſed rudia tantùm lineamenta, uſque adeò imperfectè ea repræſentant. Adificatio Civitatis hujus tam magnæ, quæ & ipſa ſita eſt in Monte Syon, in apice inquam altiſſimæ Perfectionis (ut alibi declaratum eſt) Chriſti in adventum differebatur. Lex ſiquidem Evangelica, abſcondita tunc in æterni Patris ſinu, promulgari non poterat, niſi ab illo Unigenito, cui ſoli ipſa perſpecta erat, ut qui in intimo erat Patris ſinu. *Unigenitus filius, quis eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit. Jo. 1. 18.* Et id circo hunc adventum primò David hîc ſuſpirat, dum ait: *Benignè fac Domine in bona voluntate tua Syon, ut ædificentur muri Hiieruſalem*: neque enim antè ſperari poterat ædificium tam excellens, quàm ejus Architectus eſſet impetratus. Cogita jam tu, an frigida potuerint eſſe illa ſuſpiria, quæ ad ſphæram tam ſublimem aſpirabant: ad DEUM inquam humanam naturam indutum

II. Conſidera, Incarnationem Verbi varia habuiſſe in Sacris Codicibus nomina, quorum ſub velo ſuſpirabatur. Habuit nomen Miſericordiæ, habuit nomen Viſitationis, nomen Virtutis, nomen Faciei: *Oſtende faciem tuam, & ſalvi erimus. Pſ. 72.* Præcipuè tamen habuit nomen Beneplaciti. *Tempus Beneplaciti DEUS. Pſ. 68. 24.* Si enim divinum Beneplacitum fundamentum eſt bonorum omnium, quæ quocunque modo deſiderari poſſunt, enimvero nullum aliud bonum magis propriè adſcribi illi poteſt, quàm donum nobis collatum ipſius Verbi in carne mortali, donum

num ex omni parte gratiosum, nullo penitus modo debitum, nec unquam quacunque ratione à Mundo obtinendum, nisi sua illud Bonitate Pater conferret: quod proinde ut manifestum David hîc professus ipsum Patrem sic allocutus est *Benignè fac in bona voluntate tua*, quod idem erat ac *in beneplacito tuo*, hoc est, *in Incarnatione Filij tui*! Incarnationem esse donum, quod nullis quibuscunque meritis deberi posset, est extra omnem controversiam: si enim Gratia, ut loquuntur Scholæ, non potest cadere sub meritum, nisi hoc ipso amittat naturam Gratiæ, id est gratis datæ. (*Si gratia, jam non ex operibus: alioquin gratia jam non est gratia. Rom. 11,6.*) multo minùs poterit cadere sub meritum Principium ipsius Gratiæ. Tale autem est Incarnatio, fons omnis gratiæ, quæ in Mundum effusa est. *Gratia per JESUM Christum facta est Jo. 1. 17.* Dicamus quod res est: cùm Incarnatio sit bonum commune, ordinatum ad redimendum Genus humanum à damnatione perpetua, quis tandem homo purus potuisset mereri tam innumeris salutem suam æternam, dum, si JESUS non esset, miser ne suam quidem ullo modo mereri posset? Censebis tantùm, quòd illam mereri fortassis potuerit ipse JESUS; neque enim tandem aliud est JESUS, quàm DEUS factus Homo? at quomodo censes mereri eam potuisse; ut homo erat, an verò ut DEUS? Non ut Homo. Fuit enim error quorundam malignorum iniquissimus, asserentium, Christum fuisse primò merum hominem, qui postea vitæ suæ sanctimoniâ consecutus sit, ut fieret DEUS. Christus à primo conceptûs sui momẽto Deus & Homo fuit, mox enim ac esse cœpit, non aliud fuit, quàm una Persona sola, ornata duabus naturis, humana ac divina. Si autem ita res habuit, igitur neque potuit mereri Incarnationem ut Ho-

mo DEUS; nequè enim ille ante Incarnationem quid quam aut operatus eſt, aut operari potuit. Vide igitur, quàm bene locutus ſit David, dum dixit: *Benignè fac Domine in bona voluntate tua*, aut *in Beneplacito tuo*: quacunque enim parte conſideretur magnum hoc Beneplacitum, quod DEUS habuit, dandi Mundo Filium ſuum amantiſſimum, non potuit illud provenire aut ſcaturire, niſi ex una ſola ejus Benignitate: *Quia ipſe benignus eſt ſuper ingratos & malos. Luc. 6. 35.* Et dicit conſultò *ſuper ingratos & malos*, hæc enim ipſiſſima eſt Benignitas, propenſio nimirum ad benefaciendum ſponte, etiam illi qui dignus non ſit. *Benignitas eſt habitus voluntariè benefactivus. S. Thom. 2.2. q. 8. ad 4.* Quàm proinde par eſt te erubeſcere, dum perpendis, quouſque progreſſa ſit erga te Bonitas DEI, etſi tam indignum; ut daret tibi ſuum Filium ad ſalutem tuam! Verum eſt, quòd ſimul eum dederit pro ſalute omnium aliorum: ſic tamen illum dedit omnibus, & pro omnibus, ut nihilo minùs illum dederit tibi, ut tu es. Et affirmari fortaſſis poteſt, quòd tu reſpondeas Benignitati tam inſolitæ, dum tu DEI causâ boni nihil vis operari, niſi coactus? Ubi te non obligat præceptum, ubi te non allicit præmium, ubi non terret ſupplicium, quid agis ipſius causâ, promptâ voluntate? Ne igitur mireris, quòd non illâ gaudeas pace, quam cuperes. Tua voluntas divinæ multum abſimilis eſt. Divina in beneficijs tibi conferendis ſemper ſpontanea eſt, tua in ſerviendo ipſi ſemper ſui ſtudioſa eſt. Igitur pax tam nobilis non eſt pro te. *In terra pax hominibus bonæ voluntatis. Luc. 2. 14.*

III. Conſidera, non abſque aliquo myſterio Davidem, cùm hîc tantopere ſuſpiravit ædificationem noſtræ Hieruſalem, Chriſti inquam Eccleſiæ, murorum duntaxat meminiſſe, quibus

quibus illa erat cingenda: *Benignè fac Domine in bona voluntate tua Syon, ut ædificentur muri Jerusalem.* Forsitan istorum murorum pulchritudo, symmetria, soliditas, altitudo adeò illum rapuit, ut illis solis conspectis jam plenus solatio pensi non haberet in illa sua ecstasi ad alia contemplanda transire. Ita facilè censebit, quisquis cum pluribus existimat, Muris istis Fidei dogmata significari. Ista sunt muri sanctæ Ecclesiæ: ista enim sunt, quæ illam dividunt ab omnibus illis Populis, qui extra eam habitare malunt; & hæc ipsa sunt, quæ servant illam immunem ab omnibus erroribus pernicioſissimis, quos dicti Populi, Ethnici videlicet, Judæi, Hæretici, & alij ejusdem furfuris in illa, siquo modo possent, spargere molirentur. Qui Dogmata hæc fide inconcussa tenet, nihil metuit. Prô, quàm firmis ille muris munitus & circumdatus est! muris in quibus salus habitat. *Occupabit salus muros tuos. Is. 6. 18.* Debent omnino in Civitate qualibet hostibus expositâ munimentis internis respondere externa. Et idcirco muris internis in Ecclesia DEI, adduntur externi, qui sunt sancti Doctores, qui dicta jam Dogmata tam strenuè defendunt. Visis igitur Munimentis tam præclaris internis, atque externis, an non putas Davidem prudentissimè desiderâsse illa quamprimum videre reipsa erecta? *Ædificentur Muri Ierusalem.* O quàm ille ambijsset esse ex numero Operariorum ad tam nobile ædificium destinatorum! Hi porro non debebant esse homines ejus conditionis, cujus erat David: sed è Piscatorum vili tribu, nudipedes, idiotæ, inexperti, rerum omnium egeni, ut tanto subindè clariùs pateret peritia Architecti ex ineptitudine adiutorum. Et idcirco David, cui hoc DEI consilium ignotum non erat, non dixit: *Benignè fac Domine, ut ædificem muros Ierusalem*; sed dixit: *ut ædificentur*: quia cùm

hac ratione major in DEUM eſſet redundatura gloria, ſolatio illi erat non eſſe inter adjutores & Miniſtros. Quodſi dein ſecuturis ætatibus operam ad tale miniſterium conferre debebant etiam Reges, ſed Reges Ethnicorum potiùs ſtirpe, quàm Hebræorum geniti: contulerint ſanè. Sufficit, quòd ad majus futuræ Solymæ decus, fatendum ſit; ad eam erigendam, etiam ſuperbiſſimos humeros curvari, & oneri ſe ſubmitttere debuiſſe. *Ædificabunt filij Peregrinorum muros tuos, & reges eorum miniſtrabunt tibi. Is. 60. 10.* Ecce David contentiſſimus eſt cedere Conſtantino omnes corbes terrâ onuſtos, quin vel unum ab Imperialibus ejus humeris in ſuos transferre contendat. Hic eſt ſincerus divinæ gloriæ amor. Sed quis iſto ardere laborat?

VI. Conſidera, quomodo hinc confeſtim oriri tibi dubium poſſit: quà ratione David potuerit deſiderare, ut quamprimum videret perfectos illos Muros, de quibus ſermo, cùm jam eſſent perfecti? An enim Dogmata Fidei quavis ætate non erant eadem? certum eſt in Lege veteri idem creditum eſſe, quod creditur in nova: cùm Fides nec ſit, nec poſſit eſſe niſi una. *Una Fides.* Aliud diſcrimen non erat, niſi hoc, quòd quid quid credebatur in Veteri ut futurum, in nova credatur ut factum. Ita omnino eſt. Hoc autem ipſum anhelabat David: ut quamprimum illud veniret tempus, quo crederetur ut factum, quod tunc credebatur ut futurum. Atque hæc erat illa Ædificatio novæ Solymæ hîc ſuſpirata: ut adimplerentur promiſſiones Veteri factæ: *Benignè fac Domine in bona voluntate tua Sion, ut ædificentur Muri Ieruſalem.* Ut tot ideæ, quibus illud ædificium deſignabatur, tot deſcriptiones, tot adumbrationes, tandem deſinerent, & ædificio ipſi manus admoverentur.

De, cetero dubitari non poteſt, quin olim eadem plane om-

nè omnia Dogmara crederentur, quæ hodie, non tamen explicitè & distinctè; præterquam fortassis à paucis DEO intimiùs familiaribus. Vulgus credentium credebat illa in confuso, ut contenta in quibusdam principalibus, quæ nota erant singulis, qualia sunt gemini illi cardines salutis, circa quos volvitur vera Fides in DEUM, ut Diribitorem præmiorum & pœnarum: & Christum, ut promissum humani Generis Redemptorem. Causa hujus rei fuit, quia Fides distincta singulorum Mysteriorum divinorum haberi non potuit, nisi DEO placeret ista revelare. Non placuit autem DEO illa revelare, nisi paulatim: ut hac quoque in re servaret, quod in Scientiarum Disciplinis solet, in quibus nunquam statim sub initium conclusiones omnes perfectè docentur. An non rectus naturæ ordo exigit, ut sol paulatim radios clariores diffundat, usque ad perfectam diem? Hunc quoque ordinem in Fide servari par erat. Hinc nec ipsa Lex moralis, à DEO oretenus lata humano Generi, tam perfecta mox initio fuit, quàm nunc est; sed sensim crevit in perfectione, donec postquam venit plenitudo temporis, supremam quodammodo manum accepit. Virtutibus siquidem illis, omni numero absolutis, quæ Evangelij sectatoribus proponendæ erant, non respondebat nisi admirabilis illa Gratia, quam Christus in terras erat delaturus, cujus ope in usum redigerentur. Quis proin affirmaverit, omne illud, quod petebat David, jam tum fuisse in Mundo, quando cognitio, quam tum habebat ejus Populus, tanto erat obscurior illâ, quæ inter nos est; & quando, quod consequens est, tanto minùs fidelis erat servitus, quæ DEO exhibebatur? Comparare Fidem veram, ut nobis speciali favore donata est, cum donatâ illis, perinde est ac comparare solem ipsum, ante dictum, ut donatum Indis, cum illo ut donato habitatoribus ultimæ Thules. Con-

V. Conſidera (ut redeamus ad ante indicata) quanam ratione præſtantes iſti novæ Solymæ muri, poſt tot ſuſpiria, divina ope conſtructi fuerint in omni propè terrarum parte. Sed prô dolor! iſti ipſi ſubinde varijs in locis infeliciter everſi ſunt! In tam multis Europæ Provincijs, â perfido Mahomete in poteſtatem redactis, conciderunt penitus, etſi in illis tam antea firmi fuerint. In Septentrione alicubi prolapſi ſunt, alibi labant, ſic ut magno molimine ſit opus, ad eos erectos tenendos. In Aſia, in Africa, in America, variâ fortunâ, alicubi ab amicis omni ſtudio ædificantur, alibi ab Inimicis totis viribus oppugnantur. Vide proin, an non quoties iſtum recitas Pſalmum, cauſæ ſatis habeas, adhuc ingeminandi: *Benignè fac Domine in bona voluntate tua Syon, ut ædificentur muri Jeruſalem.* Nam etſi non multum ſupereſſet hodie recèns ædificandum, haud parum tamen eſſet poſt ſtragem reparandum! Princeps in Chriſtianis Zelus iſte ſemper eſſe debet, ut alius alium verbis egregijs illius Neemiæ alloquatur, qui tantum operæ in reſtauranda materiali Solymâ poſuit: *Venite & ædificemus muros Jeruſalem. 2. Esd. 2. 17.* Orci ſatellites & Miniſtri nihil non agent, ut hanc ædificationem impediant, non ſecus ac tum vicini ex omni parte Palæſtinæ Populi faciebant. Sed abſit ut iſtorum conatus prævaleat: *Portæ Inferi non prævalebunt* Et ne prævaleant, iſtud agendum; ut nos, mox atque labem alicubi accipi viderimus, concordibus animis ad reparandum damnum accurramus, aut præſenti operâ, ſi id fieri poſſit, aut ſi non poſſit, ope orationi, revocando, ut ſic dicam, DEO in mentem illud ipſum, quod ad emolumentum Eccleſiæ ſuæ promiſit, dum dixit. *Reædificabo aperturas murorum ejus. Amos. 9. 11.* Præſide Neemia, nonnulli in muris illis everſis reſtaurandis ocupabantur, alij pro labo-

Laborantium incolumitate tuenda excubant. Et tamen de his perinde ac illis verè affirmabatur, quòd ædificarent. Ita & de te dicetur, sive hoc, sive illo modo tu causam communem adiuves.

Considera, quòd, si DEUS Pater visceribus est tam benignis, qualis hîc à suo Davide prædicatur, tibi difficile sit rem unam capere: quâ nimirum ille causâ tot seculorum decursu permiserit hanc ædificationem desiderari, etsi ejusmodi procrastinatio innumeris exitio esset. An non poterat DEUS mox à peccato admisso mittere JESUM ad afferendam mortalium Generi pulcherrimam illam suam legem Evangelicam? Tantum autem abfuit, ut illum confestim mitteret, ut quatuor minimùm annorum millia ante hujus adventum abirent, præmittendo inprimis per duo annorum millia legem naturalem, & per totidem legem scriptam. Verum est, quod ab imperfectioribus prudenter procedatur ad perfectiora. Sed nonne si Christus confestim attulisset Mundo illam Gratiam, quam deinde attulit, confestim licuisset initium facere operandi cum perfectione, sicut nunc fieri amat? VI.

An tu de arcanis DEI consilijs plus vis cognoscere, quàm DEUS manifestat? Satìs tibi sit, quòd ille benignus sit; hoc Fidei Dogma est. Adeóque in mentem tibi venire non debet, quòd ille unquam malignitate moveatur. Si tamen fas est his in terris profundiùs, cum debitâ modestiâ, ingredi in abyssum illorum consiliorum, quorum notitia Beatos nos reddet per omnem æternitatem in cælo, ad id advertere mentem debes, omnem hominis perniciem ex superbia traxisse originem: *In ipsa initium sumpsit omnis perditio. Tob.* 4. 14. Par proinde erat superbiam eò usque in illo frangere & debilitare, donec miser, probè perspecto suo

nihilo, tanto reverentiùs subinde DEO se submitterer. Duæ autem erant dotes, naturæ ipsius collatæ, quibus præcipuè fidere poterat in virtute suis viribus acquirenda; Scientia & Potentia. Scientiæ fidere poterat, quasi subtilis ipsius intelligendi vis pertingere posset ad cognoscendum, quid facere oporteret, quid omittere. Potentiæ autem, perinde ac si ad agendum quod cognoverat, sufficerent vires, quas à natura acceperat. Necesse proin fuit, ut hæc ejus temeritas in una non minùs quàm altera insana persuasione corrigeretur. Unde ut disceret homo, non sufficere suam ipsi scientiam, principiò Deus illum sine Legis scriptæ adminiculo viginti & ampliùs seculis reliquit ductui solius luminis naturalis, satìs clari, quod in ejus mente accenderat. Et ecce, infelix ille sensim tales in insanias prolapsus est, ut sub ætatem Abrahami jam passim Idololatria invaluerit. Tunc DEUS tantam miseratus stultitiam, per Moysen in monte Sina detit illi Legem scriptam; Legem eâ maximè causâ dictatam, ut singillatim cognoscerentur peccata, quorum notitia jam penitus prope exoleverat. *Per legem enim cognitio peccati. Rom. 3. 20.* Et ecce quàm bellè hac ipsa in re potuerit homo cognoscere imbecillitatem suam: ex ipsa enim peccatorum cognitione crevit tanto ampliùs illa admittendi libido: tantum erat odium, quod ille jam conceperat prohibitionis manifestæ, quasi ab hac experiretur magìs oppugnari suam libertatem, quàm antea eam à prohibitione tacita oppugnari esset expertus. *Occasione autem accepta* (non *data*, sed *aceepta*) *peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Rom. 7.* Retusâ igitur & fractâ aliorum circiter viginti seculorum lapsu superbiâ totius humani Generis, tum Pater miseratione singulari misit Filium suum Amantissimum, ad afferendam illam Legem Gratiæ

Gratiæ, quæ non tantùm tribuit notitiam omnium quæ facere oporteat, longè perfectiùs quàm hoc ipsum præstiterit Lex scripta, aut naturalis; sed simul vires confert efficiendi cum animi submissione, dummodo hanc opem petere à DEO non omittamus. An æquum tibi non videtur, ægrum fastu turgentem, tamdiu à Medico relinqui in suis languoribus, donec ille tandem agnoscat necessitatem opis alienæ? Nec mihi porro obieceris; interea innumeros fuisse, qui tam in naturali, quam scripta lege, miserè interierint. Quia cùm recta ratio poscceret non antè dari Evangelicam, quàm tempus opportunum adveniisset, (eâ prorsus ratione, quâ pharmacum ægro porrigendum est à Medico) multi illi, qui eâ nondum datâ perierunt, justè perierunt; & multi illi qui eâ datâ salutem consequuntur, consequuntur miseratione nulli eorum debitâ. Benignitas non debet unquam abrumpere filum Providentiæ. An rationes istæ tibi satisfaciunt? Si satisfaciunt, tu quoque cum Apostolo exclama. *O altitudo divitiarum Sapientiæ & Scientiæ DEI! Quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus! Rom. 11. v. 33.*

Aliud est, quærere rationes cur hoc aut illud dogma credas; aliud postquam volens credideris, rationes investigare verisimiles (evidentes enim cum Fide pugnant) ad illud tanto magis affirmandum, tanquam dignum Fide, & in eo sibi placendum. Hoc posterius à Fidei firmitate nascitur, & idcirco laudem meretur; prius ab imbecillitate ejusdem; & idcirco damnatur.

Considera, majori commodo tuo te hîc cogitaturum VII.
incomparabile & nunquam satis æstimandum beneficium, quod in te contulit DEUS, dum te voluit nasci ætate, quâ jam ædificati sunt fortunatæ hujus Solymæ muri, quàm si

profundiſſima, de quibus dictum eſt, areana rimari contendas: ſit ut non debeas cum Davide eorum ædificationem anxiè ſuſpirare, ſed pro jam ædificatis DEO gratias agere. Lex melior illâ, quâ tu in Evangelio gaudes, nunquam dabitur. Etſi ad usque Mundi finem ſuperſtes eſſes futurus, nunquam illam ſperare poſſes; neque enim ulla Lex, in ſe ſpectata, te unquam poſſet magìs aptum reddere ad conſequendum finem ultimum, quàm te facere poſſit Evangelica, ſi illam adimpleas. Quando igitur unquam promeritus es favorem tam ſingularem, qualis eſt, natum eſſe hoc tempore? *Ubi venit plenitudo temporis.* Et tamen poteras naſci etiam hoc tempore, quin iſtos intra mutos naſcereris, quamlibet jam conſtructi ſint. Vide enim, quàm multi ſint illi Populi, qui extra hos, velut ſub Jove frigido, naſcuntur, & extra hos moriuntur. Omnes iſti pereunt ſine evadendi medio: *Qui non crediderit, condemnabitur. Marc. 16. v. 16.* Neque enim ad Solymam cæleſtem iter patet, niſi per terreſtrem. Duæ iſtæ Solymæ miris inter ſe modis reſpondent; Triumphans, & Militans. *Jeruſalem*, quæ demum illa cunque ſit, *ædificatur ut Civitas, cujus participatio ejus in idipſum. Pſal. 121. v. 3.* Unius cùm alia commercium mutuum eſt ſingulari quadam ratione. Triumphans Militanti ſubmittit auxilia. Militans mittit Triumphanti Trophæa. Quid igitur te fieret, niſi eſſes in numero militantium in Solyma terreſtri? equidem ſperare non poſſes, quòd eſſes triumphaturus in cæleſti. Atque hanc cogita etiam fuiſſe cauſam, ob quam David DEO proponens petitionem iſtam allatâ potiſſimùm formulâ uteretur: *Benignè fac Domine in bona voluntate tua Syon, ut ædificentur muri Jeruſalem.* Fuit inquam cauſa, ut quisquis ad usque Mundi finem illam repeteret, ſemper memor eſſet incor-

incomparabilis beneficij, quòd à DEO in ipsum collatum est, ut intra ista mœnia habitare illi concessum sit, id quod à tam multis frustra suspiratum est. *Dabo eis in muris meis locum. Isa. 56.* Non dicit *omnibus* sed *eis*. Et tu tamen horum è numero es? O sortem, uni tantùm Benignitati adscribendam!

## Versvs XX.

*Tunc acceptabis Sacrificium Justitiæ, oblationes, & holocausta: tunc imponent super Altare tuum vitulos.*

I. COnsidera, præsenti versu affirmari sensum, quem diximus, versûs præcedentis: nimirum, quòd Solyma, quam David suspiravit, fuerit re verâ Ecclesia Christi: illa siquidem est, in qua tanta est multitudo magnarum Victimarum, quas alibi frustra quæsieris. Et in primis quidem, ubi unquam fuerunt præclara illa Sacrificia Justitiæ, quæ sunt inter nos? Plurima, nec enim negari id potest, olim fuerunt illa Sacrificia, quæ offerebantur DEO; cùm offerri consueverint millena & millena. Re vera tamen nullum fuit Justitiæ; atque id ex duplici capite. Primò, quia Justitia exigit, ut puniatur qui peccavit; & non, ut puniatur, qui non peccavit. Et tamen, cùm homo peccâsset, illis in Sacrificiis non puniebatur homo, sed puniebatur aliqua bestia; nec enim, nisi bestiæ, in illis Sacrificiis mactabantur. Deinde, quia Justitiæ nunquam fit satìs, nisi in ea perveniatur ad æqualitatem inter rem oblatam, & offensam. Et tamen quæ æqualitas tandem esse poterat inter injurias, quibus ab homine offendebatur DEUS, &

Sacrificia, quæ ſubinde homo offerebat DEO ad abolendas illas injurias? nulla ſanè. Unde mirum non eſt, tam formidanda tum temporis ſui furoris ſpecimina à Juſtitia divina contra Mundum eſſe edita. Nullus apparebat illam placandi modus ac ratio. *Nunquid placari poteſt Dominus in multis millibus hircorum pinguium? Mich. 6. v. 7.* Nunc ita loqui fas non eſt. In Chriſti Eccleſia Sacrificia Juſtitiæ paſſim ſunt obvia: tam multi in illa ſunt homines, qui ſanè quàm ſeverè à ſe admiſſa in ſe ipſis vindicant. Quamquam difficulter intelligitur, quomodo, cùm tam multa ſint hæc Sacrificia, David tamen illa ad unum ſolum reducat: *Tunc acceptabis Sacrificium Juſtitiæ* potiùs, quàm *Sacrificia?* Noli tamen mirari. Sic loquendo, explicare ipſe voluit unicum illud, quod fuit norma ceterorum omnium. Voluit, inquam, exprimere illud Sacrificium, quo ſe ipſum pro nobis obtulit JESUS, quando *Tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem, & hoſtiam DEO, in odorem ſuavitatis:* non *oblationem* tantum in vita, tot laboribus noſtrâ causâ exantlatis, ſed inſuper *hoſtiam* in morte, tam multiplici cruciatu. *Eph. 5. v. 1.*

II. Conſidera inprimis, illud quod Chriſtus obtulit, Sacrificium fuiſſe, & verum quidem. Neque de hoc poteſt dubitari. In hoc tamen idem & Sacerdos fuit, & victima; quæ cauſa eſt, propter quam de Chriſto dicitur, quòd *tradidit ſemetipſum.* Carnifices illi, qui in Crucem ipſum egerunt, nullo modo poſſunt dici ſacrificâſſe: neque enim ipſi nece hac inferendâ id ſpectârunt, ut DEUM placarent. Egerunt eum in Crucem, ut iræ & invidiæ ſuæ litarent, quibus erga ipſum ardebant, ob tam luculentas, quas in eodem ſpectabant, virtutes. Hinc ex parte ipſorum nullo modo fuit Sacrificium, ſed maleficium. Sacrificium tantùm

tùm fuit ex parte Christi. Atque ita vides, Christum verè fuisse occisum; neque enim aliter poterat esse victima: non tamen fuit occisus invitus & renitens, aliàs ipsemet non fuisset Sacerdos immolans: Hinc ut mors ejus non naturalis fuit, sed violenta, ita fuit simul voluntaria, & non voluntaria. Non voluntaria, quia etsi ipsè perfectè esset Dominus vitæ suæ, noluit tamen cedere jure suo summo, quod habebat præ alio quovis ad eam conservandam. Fuit nihilominus etiam voluntaria; neque enim vitam illi eripere quisquam potuisset, nisi ipse permisisset. *Nemo tollit Animam meam à me, sed ego pono eam. Joh. 10.* Non dixit *adimit*, dixit *tollit*: id enim solùm tolli alicui dicitur, quod vi aufertur. Ecquod unquam tale Sacrificium auditum est? Æquum omnino fuit, ut ipso prodeunte cetera omnia confestim videri desinerent.

Considera, Christi Sacrificium ut fuit verum, ita etiam vel maximè fuisse Sacrificium Justitiæ: atque hoc ob III.
geminas illas causas, quarum supra meminimus, ob quas talia non erant illa Sacrificia, quæ hoc sic repræsentabant, ut tamen nunquam adæquarent. Et primò quidem, non potest dici, in hoc occisam fuisse aliquam bestiam; fuit in eo occisus homo, & homo omnium, qui unquam in Mundo fuerant, aut futuri erant, nobilissimus. Occisus quidem fuit hîc pro nocente innocens: id tamen eâ causâ factum, quia innocens, caritate impulsus, in se transtulit peccata hominis nocentis & rei, usque adeò, ut illa appellaret sua: *Longè à salute mea verba delictorum meorum Ps. 21. v. 1.* Dolor de peccatis admissis non potest à quoquam loco alterius elici: nôrunt hoc omnes: hinc ad DEUM placandum omnino necessarium est, ut qui eum offendit, is ipse doleat. Satisfactio tamen pro dictis peccatis debita,

præsta-

præſtari poteſt ab alio, qui illa in ſe transferat : maximè cùm debitor tantum in ære proprio non habet, ut debitum expungere poſſit. Quis autem debitor magìs in decocto. rum numerum venire poteſt, quàm homo reus coram DEO? Quare cùm nunquam ab ipſo tantum rependi poſſit offenſo, quantum abſtulit, ad ſatisfaciendum pro homine reo obtulit ſe homo innocens, obtulit ſe Chriſtus, verus idem DEUS, & verus homo, paratus ad expungenda ad æqualitatem nomina tam gravia, etſi non ſua : *Quæ non rapui tunc exolvebam. Pſal. 68. v. 5.*

Atque ita Sacrificium DEI hominis fuit veriſſimum Sacrificium Juſtitiæ, etiam alio nomine; quia nimirum tantum dedit, ut planè ſolutio debitum, & ſatisfactio offenſam adæquaret: imò non adæquaret tantùm, ſed ſine comparatione excederet. Unde DEUS nullo modo potuit non infinities plus amare Satisfactionem oblatam à Chriſto, quàm odiſſet ipſam offenſam, quâ læſus erat ab homine.

Quis proinde miretur, ad hoc tam excellens Juſtitiæ Sacrificium reſpexiſſe Davidem hoc loco? Videre DEUM tot decurſu ſeculorum tam vehementer offenſum, nec tamen offenſam unquam compenſatam, prô quàm erat res horribilis! Hoc enimvero, meo quidem judicio, illâ ætate eſſe debebat, quod præ omnibus quemlibet fidelem DEI ſervum affligeret. Hinc ſi omnes Patres Antiqui concordibus ſtudiis tantopere anhelabant adventum Chriſti, ſi eum flagitabant tanquam humani generis Reparatorem, illos, qui inter eos erant Spiritu magìs elevato, & altiùs in DEI notitiam penetrabant, exiſtimo quidem longè magìs illum ſuſpirâſſe, ut læſi divini honoris Reſtauratorem. Perpende idcirco, quid par fuerit facere Davidem, qui probè

memi-

meminerat, DEVM à se paulò ante gravissimis, & intolerandis, lacessimum injuriis, Adulterij, Homicidij, Scandali, quo blasphemare fecerat Populos magnum DEI nomen, & tamen videbat, nihil se illi reddere posse, quod vel procul accederet ad compensandas tam atroces injurias? Quàm æquum igitur erat ab hoc anxietate summâ desiderari eum, qui ad Justitiæ accuratissimam amussim pro peccatis suis satis faceret? Hoc autem fieri nequibat, nisi Sacrificio ante memorato. Argue hinc, an illud ex animo desiderârit tum ipsum, cùm hæc in verba prorupit: *Tunc acceptabis Sacrificium Justitiæ:* quia tunc temporis tale Sacrificium non erat, (utut illud dare paratus esset) sed tantummodo expectabatur. Futurum igitur desideravit. Et tu cùm præsens illud habeas, vix unquam recordaris, ut illud offeras DEO ad reparandas injurias, quas nec tu omisisti illi nimìs quàm crebrò inferre! argumento id est, te sanè quàm parum de illis illatis dolere.

Considera, etiam post satisfactionem tam abundantem, superfuisse tamen Christo immensum quantum meritorum, sic ut subinde in mystico Ecclesiæ corpore tantum derivare in membra posset, tanquam eorum caput, vigoris, ut non unus duntaxat homo, sed milleni & milleni, quin imò quotquot uspiam vel mille Mundi caperent, modico deinceps illo, quod facturi ipsi per se erant, apti essent ad satisfaciendum divinæ Justitiæ, si non plenè perfectéque, saltem congruè. Et en originem, è qua subinde orta sunt Sacrificia minora illa quidem, sed & ipsa Justitiæ, quibus tot inclyti Pœnitentes sine intermissione DEO se ipsos sacrificaverunt; cùm ferre non possent, eum qui erat innocentissimus, tantum ipsorum causâ pertulisse; se verò per- IV.

fidos, perduelles, conſceleratos vitam jucunda in pace tranſigere. *Nos quidem juſtè; nam digna factis recipimus. Hic verò quid mali geſſit?* *Luc. 21.* Ubi igitur & quando unquam extra Eccleſiam videre fuit, ardentia illa & expleri neſcia patiendi deſideria, quæ mox ab initio in illa exarſere, quin deinceps unquam extinguerentur? Vacuæ incolis fiebant urbes, ut iis ſolitudines replerentur. Certatim in ſua quisque patria inveſtigabat montes ceteris altiores, rupes aſperiores, ut ſpecum ibi aliquam reperiret, quæ vel belluis horrori eſſet. Tam illæ erant humiles, ut in pedes erecti ſtare in illis non poſſent. Setoſis involuti ſaccis, onerati ferro, & compedibus, aſperſi cinere totos dies in planctibus tranſigebant, lacrymis magìs quàm pane ſuſtentati: ſi tamen panis ſubibat memoria illis in deſertis, in quibus vix parcè naſcerentur herbæ, quæ ad ſe oculum, ne dicam manum ad carpendum pellicerent. In ipſis adeò columnis vivere aliqui auſi ſunt, ſtatuarum inſtar ſeminudi, re nulla contra cæli injurias defenſi, tanquam provocaturi turbines, grandines, glacies, nives, quin ipſa adeò fulmina ad vindictam de peccantibus ſumendam. Et quamquam tam horribilis in ſe ſæviendi ardor gravibus de cauſis poſterioribus ſeculis coërcitus fuit; quis tamen explicet illa Sacrificia, privata & publica, quibus tam multi ſua ſacrificant corpora, non ob aliud, quàm ad iram Numinis ſedandam? Talia, aut ſaltem tam multa Sacrificia, ante Chriſtum, ſol certè nuſpiam aſpexit. Perpende idcirco, an David, Pœnitens tam fervidus, meritò DEO, tanquam ſanctâ quadam ſtimulatus invidiâ, dicere potuerit: *Tunc acceptabis Sacrificium Juſtitiæ*, cùm miſer non poſſet dicere *Nunc*, quòd tunc illa tam modico eſſent numero. An autem

autem curæ tibi est, ut in magno illo hodie numero & tu locum habeas?

Considera, cuncta hæc Sacrificia, etsi numero tam multa, Davidem secum considerâsse tanquam unum solum, cùm omnia videret pendere ab uno. Imò cùm videret ipse, in tantum Christianos tam magno numero divinæ Justitiæ satisfacturos, quantum à Christo ad id habiles essent effecti, majori gratiâ in illos largè profusâ; jure dixit, Sacrificia illa, quantumcunque numero multa, non nisi ut unum fuisse acceptanda, cùm nunquam ex toto distinguenda essent à Sacrificio Christi. Atque hæc mea quidem opinione fuit causa verior, ob quam sic DEUM alloqueretur David: *Tunc acceptabis Sacrificium Justitiæ*, & non, *Sacrificia*; quia, si mentem diligenter advertimus, alteri, quàm Christi Sacrificio, tam insignis nomenclatura, si presse loqui velimus, non competit. Omnia nostra, eorum radicem spectando, si Sacrificia sunt, gratiæ sunt. Non quia operibus, quæ nos exercemus, duris & asperis, ipsi non meremur pœnarum quas debemus, remissionem, etiam de condigno (quomodò enim aliàs exequi possemus illud Christi præceptum; *Facite fructus dignos Pœnitentiæ. Luc. 3.?*) sed quia, si illam meremur, non aliunde sanè quàm per Christum meremur. *Omnis puri hominis satisfactio efficaciam habet à satisfactione Christi. S. Th. 3. p. q. 1. a. 2. ad 2.* Idcirco sicut multi palmites non faciunt nisi unam Vitem, sic multa Sacrificia imperfecta, quæ nos offerimus (si tamen unquam hoc nomine indigitari merentur) non nisi unum Sacrificium cum illo constituunt, à quo, ut perfectissimo, vim omnem habent. Christus fuit illa Vitis nunquam deficiens, quæ non solùm habuit virtutem producendi ex se fructus innumerabiles millenarum & millenarum satisfa- V.

ctionum, quibus iratus & offenſus DEUS pleniſſimè placaretur, ſed etiam ſuis palmitibus ſi non parem, ſimilem certè virtutem communicandi. Quis igitur ambigat, quin noſtra Sacrificia, quantumcunque ipſa vel ſint, vel vocentur, Juſtitiæ, ne tantillum quidem ab illo magis diſtincta ſint, quàm palmites à Vite diſtinguantur? Tu interim obſerva, quid agendum tibi ſit in quocunque Sacrificio, quod offeras ad extinguenda, quæ contraxiſti peccando, nomina. Offerre nimirum ea debes conjuncta illi tanto magis arduo atque difficili, quod à Chriſto oblatum eſt. Sic ejusmodi Viti ſemper magis tanquam verus Palmes adhærebis, & quod conſequens eſt, plus fructûs afferes. *Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum. Joh. 15.*

VI. Conſidera, huic Sacrificio uni ſimul, & multiplici, Juſtitiæ, vidiſſe Davidem in Eccleſia alia & alia ſine fine adjungi, quæ ipſe hîc diſtinxit alia quidem nomine *Oblationum*, alia *Holocauſtorum*: *Oblationes & Holocauſta.* Ut intelligas veroſimiliùs, quænam iſta ſint, memineris neceſſe eſt Eccleſiam in duos ſtatus ſecum quodammodo pugnantes diſtingui poſſe: in ſtatum Perſecutionum (qui fuit ille, in quo nata eſt) & in ſtatum Pacis. In alterutro autem nunquam defuerunt aut Oblationes, aut Holocauſta, nec deerunt unquam, propter illam in DEUM Caritatem, quæ in Eccleſia nunquam extincta vigebit. *Ignis eſt iſte perpetuus, qui nunquam deficiet in Altari. Lev. 6. v. 13.*

Nôſtíne autem, quæ Perſecutionis tempore fuerint Oblationes? Fuerunt illi magno numero Chriſtiani, qui ad veram Religionem vel proferendam, vel tuendam ſe ipſos expoſuerunt mille periculis vitam eo in opere profundendi inter mille crudelitatis exempla, etſi ſubinde eam non profuderint, non aliâ causâ, quàm quia aliud ab ipſis non petebat

petebat DEUS, quàm devotissimum illud voluntatis obsequium, ut res monstravit in S. Francisco Assisinate, qui profectus in Syriam, ad Martyrij palmam ex ejus Soldani manibus extorquendam, si ad fidem eum perducere non daretur; neque ad Fidem illum reduxit, neque Martyrij Lauream est assecutus, sed remissus est unde venerat magnâ cultus humanitate, tanquam DEI Legatus, majori ob irritos conatus infelicitate, quàm optato injuriarum ac contumeliarum lucro.

Hinc, & plures alij hujus generis (quorum tantus ferè est numerus, quantus Confessorum primis Ecclesiæ seculis) gaudent isto Oblationum præconiò; quia ipsis non est datum consequi nomenclationem Sacrificiorum. Ceterùm fuerunt Oblationes suo in genere perfectæ, quia fuerunt oblationes spontaneæ, non coactæ, juxta legem Oblationum propriam: *Ab homine qui offert ultroneus accipietis eas. Ex. 25.* Et quia omnes ipsi DEO primario ex fine oblatæ fuerunt; & si ad eas offerendas Sacerdos defuit aspectabilis, qui manibus cælum versùs protensis eas offerret nomine offerentis, ritu vetere; non defuit tamen alius non aspectabilis, non defuit inquam Christus, Sacerdos perpetuus, eum in finem præcipuè constitutus, ut omnia hominis dona DEO offerat: *Omnis enim Pontifex ad offerenda munera constituitur. Hebr. 8. v. 3.* Cùm aliter non appareat, quomodo fieri potuerit, ut DEUS tantæ Majestatis à misero illas vermiculo acceptare dignaretur. Hinc decet, ut eorum Confessorum quilibet in Cælo rependat DEO gratias haud secus, quàm si re ipsa in ejus esset honorem sacrificatus, tanquam verus Martyr: ipse siquidem ita est constitutus, ut tanti faciat voluntatem, quanti opus ipsum.

*Qui propria voluntate obtuliſtis vos diſcrimini, benedicite Domino. Jud. 5. v. 9.*

Holocauſta porro tempore Perſecutionum fuerunt, ut nemo neſcit, Martyres, de quibus potiùs, quàm de aliis literali in ſenſu ſcriptum eſt, quòd eos DEUS ut Holocauſta acceptârit: *Quaſi holocauſti hoſtiam accepit eos. Sap. 3. v. 6.* Horum numerum quis inierit? Sunt qui eorum ad hanc usque ætatem duodecies millena millia numerent. Neque tamen eo numero omnes comprehenduntur; ij ſiquidem, quorum nominatim fit mentio, ut in præliis, celebriores duntaxat, magísque certi ſunt. Plurimi, tanquam aliorum mole oppreſſi, in conferta multitudine latent incogniti. Iſti vera ſunt holocauſta, quia nihil ſui ſibi retinuerunt, quod DEO non ſacrificarent, minuta in fruſta ejus amore conciſi. Quid dico, in fruſta conciſi? etiam in cineres redacti: quod proprium erat Holocauſtorum verè ac ſtrictè talium, Hinc illi tantùm Martyres, quos vel lentus ignis, vel lebetes, vel craticulæ, vel vivæ fornacum flammæ abſumpſerunt, quantam ad ſummam aſcendunt? Tanta hæc fuit, ut ſi omnes Libani ſylvæ in rogos eſſe mutatæ, ſuffecturæ non fuiſſent tot victimis comburendis. *Et Libanus non ſufficiet ad ſuccendendum. Iſa. 40. v. 16.* Viginti milla Chriſtianorum uno in Templo Nicomediæ collecta DEI laudes nocte Natalis Domini concinebant: & viginti millia, potiùs quàm prodirent ad Jovem colendum, maluerunt eodem in loco comburi, perinde ac ſi unus eſſent homo. Idem evenit in binis aliis urbibus, Phrygiæ unâ, alterâ Arabiæ, quæ barbarâ crudelitate in cineres redactæ ſunt, quia non alios, quàm Chriſtianos, incolas cenſebant, paratiſſimos omnes ad moriendum potiùs intra illa mœnia, quàm ad pedem inde efferendum, in ſignum abnegatæ in Chriſtum

Christum Fidei. Hinc si in veteri Lege longè abfuit, ut talia divino honori holocausta, quin & tales Oblationes consecrarentur, an non censes, jure meritissimo Davidem aspirâsse ad Legem novam? Quid autem? Illud *Tunc* tam felix atque fortunatum, quod innuebat David, cùm DEUM alloqueretur, *Tunc acceptabis Sacrificium Justitiæ, oblationes, & Holocausta*, illud ipsum est, quod respondet tuo *Nunc*. Et quia ita res habet, ille idcirco invidit sortem, quæ tibi obtigit. Tu nihilominus in illa pro dignitate æstimanda semper eris tepidior? prô quàm ingratus tuus erga DEUM est animus!

Considera, verum esse, quòd Pacis tempore Oblationes ejusmodi inter nos, multóque magìs Holocausta, non reperiantur. VII. Non tamen desunt alterius generis valdè DEO cara. Holocausta illi Regilioſi sunt, qui solius divini amoris vi, quidquid demum sui habent, totum DEO consecrant solennibus tribus Votis suis, Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ: *Cùm quis omne quod habet, Omnipotenti DEO voverit, holocaustum est. S. Greg. in Ezech. ho. 20.* Scis, tria duntaxat esse, quæ hominis sint: Bona externa: & hæc Religioſi DEO consecrant Paupertate. Bona corporis: & hæc à Religioſis DEO consecrantur Castitate. Bona Animi, quorum præcipuum est, de se & rebus suis pro arbitrio statuere: & hæc pari ratione Religioſi DEO consecrant Obedientiâ: atque ita omnia planè illi consecrant. Quanquam Obedientia altiùs evehit Sacrificium Religioſorum ad dignitatem Holocausti: idque duplici ex capite. Primum est; quia Obedientia reliqua omnia post se trahit, reliqua inquam duo Vota, tanquam res, quæ & ipsæ præcipi possunt: cùm alia duo Vota non ita post se trahant Obedientiam. Alterum, quia cum in Holocausto

nequeat

nequeat eſſe Victima, & eſſe viva, ne breviſſimo quidem momento, ſola Obedientia illa eſt, quæ in ictu oculi hominem in ejuscemodi ſtatu collocat: repentè enim illum efficit mortuum ſibi; qualem alia vota non efficiunt. Hinc ſicut Holocauſtum excellebat omnia alia Sacrificia, quæcunque tandem illa eſſent; ſic receſſus in Sacram aliquam Familiam ſuperat omnem Pœnitentîam privatam & publicam, quam unquam ſubire poſſit homo ad ſatisfaciendum pro ſuis peccatis, manendo in ſeculo. Ita Sacris Canonibus diſertè definitum eſt. *33. qu. 2. c. Admonere.* Et ratio eſt; quia in Seculo nequeunt fieri Holocauſta. Quid hac re innuo? Quisquis hæret in Seculo, ſemper aliquid, ſaltem modicum, ſui retinet, de quo diſponat pro arbitrio. Ut autem Holocauſtum verum non ſit, quodlibet modicum ſufficit. Idem ſiquidem eſt dicere *Holocauſtum*, ac *Totum combuſtum.*

Oblationes porro pacis tempore illorum ſunt, qui ſui obliti, dono non revocabili tantum bonorum ſuorum DEO obtulerunt. Aſpice in Chriſti Eccleſia, conſtructas tam multas Domos publicas recipiendis Pauperibus, alibi ſanis, alibi ægris, alibi perpetuò debilibus, alibi convaleſcentibus. Tam multa Templa ingentibus ſtructa impenſis, tam multa Aſceteria, Canonicorum Collegia, tam pingues Sacrorum Præſulum proventus, quem alium habuere fundum, quàm Fidelium beneficentiam? Ipſæ adeò urbes, Principatus, Provinciæ, Regna illuſtria, an non fuerunt dona, quibus magnæ Animæ Sancti Petri Cathedram locupletârunt? Ejusmodi certè Oblationes antiqua Solyma omnibus illis ſuis Seculis non vidit, ſicut neque vidit Holocauſta illa perfecta, qualia inter nos Religioſi offerunt. Et idcirco rectè ſic DEUM alloquitur David:

*Tunc*

*Tunc acceptabis Sacrificium Justitiæ, Oblationes & Holocausta, tunc, tunc*; quia ad adventum usque Christi Servatoris vanum fuisset sibi promittere tantum auxiliatricis gratiæ, quâ facta tam præclara patrarentur. Eleemosynæ, quantumcunque multiplices quis eroget, si loqui ad amussim volumus, non sunt verè Oblationes: hæ siquidem non ipsi proximè divinæ Majestati, sed egenis dantur; cùm tamen Oblationes DEO inprimis rectà, egenis tantùm velut ex obliquo dentur; qui quia cum Christo una quodammodo res sunt, semper in Ecclesia juris aliquid habuerunt ad illam oblatorum munerum partem, quæ procurato DEI cultui, & congruæ eum administrantium sustentationi supereſt. Si tamen etiam in certa acceptione Eleemosynas placuerit Oblationum nomine habere, istæ enimvero, extra controversiam, in Lege quoque Veteri, splendidæ admodum & magnificæ fuerunt, utpote jam tum summis laudibus celebratæ. Sed quales illæ demum sint, si Eleemosynis Legis Evangelicæ comparentur? Sufficit illarum in particulari meminisse, quas erogârunt Paulinus, Nolanus ille Antistes, & recentiùs plures alij, redimendis Captivis peculiari voti nexu consecrati, qui eò progressi sunt, ut etiam se ipsos venderent, quò satis pretij ad subveniendum graviſſimis Proximorum calamitatibus haberent. Eleemosynæ novi hujus generis ubi usquam antehac conspectæ erant? Non poterat igitur facere David, quin diceret, *Tunc, Tunc, acceptabis Sacrificium justitia, Tunc Oblationes, Tunc Holocausta*: cùm non Holocausta tantùm & Oblationes, sed ipsæ adeò Eleemosynæ, sanè quàm præclaræ, ad tempora tanto meliora essent dilatæ. *Tunc dividentur spolia prædarum multarum*: pronuntiavit *Isa. 33. v. 23.* Sed ecce præsens jam illud *Tunc*, quando tot præ-

dæ, in illo collectæ Capitolio, totius olim Mundi Prædone publico, generosâ magnificentiâ ſubinde diſtributæ ſunt, alicubi ad ſupremi Numinis honorem, alibi ad Pauperum ſubſidia, quos inter nemo eſt pedibus tam claudis, ut non tempori ad partem ſuam accipiendam venire poſſit. *Claudi diripient rapinam. Idem ibidem*: tam latè hodie Chriſtianorum beneficentia ad omnem mortalium conditionem pertinet.

VIII. Conſidera, Davidem denique finem ſuo Pſalmo imponere revocando DEO in memoriam illa Sacrificia, quæ noſtrâ ætate in Altaribus tanto cum ſplendore eſſent offerenda: *Tunc imponent ſuper Altare tuum Vitulos.* Fuerunt, qui hîc per vocem *Vitulos* intelligerent Laudes divinas, moti ad hoc notâ illâ phraſi. *Oſeæ 14. v. 3. Reddemus vitulos labiorum noſtrorum:* tanto ampliùs, quòd etiam Laudes divinæ quoddam Sacrificij genus ſunt, DEO longè gratiſſimum: *Sacrificium laudis honorificabit me. Pſal. 49. v. 23.* Sed hæc interpretatio ſuâ difficultate non caret. David ſiquidem (ut ex omnibus antecedentibus apparet) intendit hîc loqui de Sacrificiis ſibi non permiſſis. Hujus autem generis non fuerunt Laudes divinæ, cùm has ipſe nullo ferè non momento offerret. Hinc ſi Juſtis ac Sanctis Veteris Inſtrumenti invidere quoquo modo deberemus, non in alio magìs poſſemus invidere, quàm in præclaris illis laudibus, quibus DEUM modo tam multiplici celebrare noverant. In reliquis omnibus multo illi nobis inferiores fuerunt, in hoc autem nequaquam: nos enim ab ipſis velut mutuò accepimus propè omnia, quæ ad DEUM laudandum proferimus tam in Altaris Sacrificiis, quàm in quotidianis Sacerdotum precibus, in Supplicationibus, & omnibus ferè aliis functionibus Eccleſiaſticis. Nec id mi-

rum.

rum. Non paucis enim ex eorum numero DEUS ipse laudes illas suas dictare voluit: eâ fortassis causâ, quòd cùm tunc non haberent quidquam aut solenne, aut alicujus substantiæ, DEUS eos solari voluerit intactarum harum Victimarum præstantiâ, quas in ipsis eorum labiis nasci faciebat. Unde hæc si non fuit unica ipsorum gloria, fuit certè maxima. *Gloriemur in laude tua. Psal. 108. v. 48.*

Ut igitur posteriora cum prioribus quàm optimè cohæreant; dicamus, Davidem omnia hucusque allata claudere voluisse sanctâ invidiâ, quâ ardebat erga Sacrificium Evchariſticum, quod ipsissimum inter nos Altaris Sacramentum appellatur: *Tunc imponent super Altare tuum Vitulos.* Neque hoc te cruciet, quòd Vitulos potiùs, quàm Vitulum dicere voluerit; illorum siquidem temporum usu figuram loco figurati nominare debebat. Figura autem Christi, nullo non die in Altari immolati, fuit non unus tantùm Vitulus, sed Vituli multi (ut ex Levitico colligitur) varios ob fines immolati. Omnes tamen illi, quocunque essent numero, promittebant unum solum; juxta id quod ipsa Ecclesia dicit ad DEUM, in Missæ Sacrificio, quod est illud ipsum, de quo nobis sermo: *DEUS qui legalium hostiarum differentias unius Sacrificij perfectione sanxisti.* Non me latet, legales illas hostias, quæ Christi in Altari immolationem figurabant, non solos fuisse Vitulos: fuerunt aliæ varij generis, animatæ & non animatæ. Fortassis tamen eâ causâ David aliarum mentionem non fecit, præterquam Vitulorum, quia Vitulus anniculus omnes alias Victimas præstabat. Hinc, cùm indicare placebat, rem quampiam DEO perquam caram esse, dicebatur: *Placebit DEO super Vitulum novellum, cornua producentem, & ungulas. Psal. 60.* Saltem in expiatione solen-

ni, transgreſſionis cujusdam communis, admiſſæ ab omni ſimul Populo, Vitulus deſtinata eam in rem erat Victima. *Lev. 4. v. 14.* Et hoc ſufficere poterat, ut David hujus potiùs, quàm alterius hîc meminiſſet.

Jam quòd omnia antiqua Sacrificia manifeſtè perfecta fuerint in hoc Evchariſtico, dubium nullum eſt. Si enim omnia, ut eſt conſtantiſſimum, perfecta fuerunt in Sacrificio Crucis, etiam in hoc perficiuntur. Hoc, & illud Crucis, non differunt in alio, quàm quòd Crucis cruentum, hoc incruentum fuerit: in illo inquam re vera Chriſti mors intervenerit, in iſto autem non: ſed ſi in hoc mors non eſt, eſt aliquid quod tantundem valeat: in hoc enim Chriſtus in eam ſe conditionem reducit, quæ propria eſt rerum animâ & vitâ carentium, & in eo conſiſtit, quòd tractari poſſit inſtar panis, contrectari inquam, frangi, manducari, conſumi, prout placuerit, ad exprimendam quàm vivaciſſimè ipſam veram mortem. Atque ita ſive à Cruce tranſeamus ad Altare, ſive ab Altari ad Crucem; *Una eadémque hoſtia eſt, ſola ratione offerendi diverſa. Trid. Seſſ. 22. c. 2.* De cetero, ſicut Sacrificium Crucis peractum eſt pro ſalute totius planè humani generis, ita iſtud Altaris eſt pro ſalute eorum in particulari, quibus applicatur; unde illa ipſa gratia, quàm ſemel Chriſtus morte ſuâ Mundo attulit, eandem affert iterum hoc Sacrifitio cuilibet Animæ, non ſemel duntaxat, ſed vicibus tot, quàm multis iſtud inſtauratur; juxta id, quod ipſa teſtatur Eccleſia, dum inquit: quòd *Quoties hujus hoſtiæ commemoratio celebratur, opus noſtræ Redemptionis exercetur. In collecta Dom. 9. poſt Pentec.*

Hinc licet ejusmodi Sacrificium præcipuo ex fine ſit ordinatum ad honorem divinum tanquam holocauſtum,

stum, insuper pro nobis verè ac propriè est Propitiatorium, destinatum nimirum ad placandum DEUM propter noxas à nobis admissas; neque idcirco non etiam Pacificum est (ut erant tertij generis inter antiqua) ordinatum inquam tam ad agendas DEO gratias pro beneficiis acceptis, quàm ad nova impetranda. Quis autem nescit primum inter omnia beneficia locum obtinere beneficium Vitæ æternæ? & idcirco communiùs hoc Sacrificium à nobis appellatur Evcharisticum, quia hanc nobis vitam confert. *Evcharistia* idem valet quod *bona Gratia*: & *Gratia DEI, vita æterna. Rom. 6.* Prô! quàm igitur pijssimus David illustratus ad prænoscendam incomparabilis hujus Sacramenti virtutem, verè dicere DEO potuit: *Tunc imponent super Altare tuum Vitulos?* Quid enim omnes illi Vituli, qui ejus ætate offerebantur tanquam Victimæ Pacificæ, victimæ Propitiatoriæ, & tanquam Victimæ Holocausti, valebant in comparatione Vituli hujus mystici, qui sacrificatur ætate nostra, ad omnes in unum colligendos? Et tamen hoc Sacrificium quotidianum nobis est! O Amorem inexplicabilem DEI erga suam Ecclesiam!

Considera, posse aliquam tibi subire admirationem, quòd David dicat hîc: *Tunc imponent super Altare tuum Vitulos*: non autem dicat; *Tunc immolabunt*: neque enim Sacerdotes nostri imponunt tantùm Altari hanc Victimam sacrosanctam, sed eam etiam Sacrificant: cùm sit inter dogmata Fidei, quòd Evcharistia, non solùm sit Sacramentum, sed etiam Sacrificium. Ita quidem: at meminisse te oportet, quòd Sacerdotes nostri, quando perveniunt ad ipsum actum sacrificandi, non jam ampliùs personam propriam, sed solam Christi personam sustineant. Sacrificium enim in Altari perficitur (ut habet doctrina communior) IX.

nior) ipſo actu Conſecrationis; in ipſo autem actu Conſecrationis Sacerdotes usque adeò ſolâ Chriſti perſonâ funguntur, ut ipſis ejus verbis utantur tanquam propriis: nec iis ſolùm utuntur modo recitativo, ſed effectivo, ſed executivo, qui fuit ipſe modus, quo verba illa ex Chriſti ore prodierunt; nam & illi iisdem utuntur tantâ virtute, ut ſine mora efficiant, quod dicunt: *Ipſe dixit, & facta ſunt.* David autem hîc, ut apparet, non eſt locutus niſi de noſtris Sacerdotibus, ut in perſonâ ipſorum propriâ conſideratis. Et idcirco licet ipſi in perſonâ ſuâ digni non habeantur gloriâ conſecrandi, utpote qui conſecrando, jam à ſe ipſis diverſi, aſſumunt perſonam Chriſti: eam tamen ſibi gloriam vindicant, ſuis confeſtim manibus Chriſtum, liceat ita loqui, Sacramentatum imponendi Altari, tanquam veram Victimam, ad honorem Patris æterni oblatam, eum contrectandi, frangendi, manducandi, & paſſim omnibus diſpertiendi, qui accedere voluerint, ut & ipſi ejus Sacrificij participes fiant. Honorem autem huic ſoli parem quando unquam conſecuti ſunt Sacerdotes Legis Antiquæ?

Cæterùm ſicut Sacerdotes noſtri, etſi verè ſacrificant, non tamen vel à nobis ipſis vocantur Sacrificantes, ſed Celebrantes (quæ eſt phraſis perpetua Rubricarum, quas dicimus) quia illos conſideramus operantes in perſona propriâ, non in perſonâ Chriſti; ita ſuo loquendi modo etiam David illos compellavit, Imponentes Altari Chriſtum Sacramentatum, potiùs quàm Immolantes; cùm ſciret, honorem in perſonâ propriâ immolandi Victimam tam auguſtam, nec convenire alteri, nec convenire poſſe, præterquam Chriſto; qui ut in Cruce idem ipſe & Victima fuit, & Sacerdos, ſic & in Altari idem Victima & Sacerdos

eſt. Us-

est. Usque adeò verum semper fuit, & erit, quod *in immolatione Christi*, quæcunque illa sit, *idem est Sacerdos & Victima*, ut scripsit S. Augustinus *de Trinit. L. 4. c. 14.* Et tu, qui hoc Sacrificio hodie tam amplè frueris, quas grates rependis? Sola ejus figura tanti fiebat; quanto igitur pluris par est rem ipsam facere?

Considera, nil porro supereſſe, ad omnimodam ex- X.
plicationem cogitationum Davidis in hoc versu, nisi tenuis nebulæ dissipationem. Nam si Sacrificium proprium, de quo hîc sermo, tanquam de illo, à quo reliqua omnia minùs propria pretium suum habent, fuit Sacrificium, quod Christus semel offerendo vice simplici petfecit in Cruce, & quod tot deinceps vicibus offert in Altari; quomodo igitur David ausus est DEO dicere, quod illud esset acceptaturus? *Tunc acceptabis Sacrificium justitiæ* &c. Hoc enim fuit Sacrificio tam augusto injuriam facere: an fortassis DEUS potuit illud non acceptare? Certum est, quòd illud saltem fuerit verissimum Sacrificium Justitiæ. Hinc si aliud ille non præstitisset, quàm ut redderet DEO totum, quod illi debebatur ad satisfaciendum plenè injuriæ illatæ, & nihil præterea; dici omnino poterat, quòd DEUS illud libentissimè esset recepturus; non tamen, quòd esset acceptaturus.

Tunc res acceptatur, quando solutio non est adæquata, & tamen Creditor, aut amore in Debitorem redactum ad incitas, aut miseratione, aut conniventiâ, aut quocunque alio nomine contentus est illam admittere ut plenam & adæquatam. Quando re ipsâ plena est, rectè quidem dicitur, quòd creditor talem solutionem recipiat; non talem dicitur unquam, quòd eam acceptet; unde etiam debitori volenti scripto dari solet *recepisse*, quod vocant, seu apocha;

apocha; non ſolet autem dari *acceptâſſe.* Quanto igitur magìs Sacrificium, quo Chriſtus obtulit ſe ipſum ad ſatisfaciendum divinæ Juſtitiæ, cùm non ſolùm fuerit ſolutio perfectiſſima, ſed ſuperabundans in infinitum, non poteſt dici eſſe acceptatum? Hinc ſi rectè tali loquendi formulâ & acceptationis vocabulo uti licuit, in Sacrificiis antiquæ Legis: *Homo qui obtulerit Victimam pacificorum &c. immaculatum offeret, ut acceptabile ſit. Lev. 22. v. 21.* cùm eſſent inſufficientia; non tamen rectè illâ videtur uſus David, dum de noſtro agebat Sacrificio; cùm huic illa planè non conveniat.

Rectè omnia. Antequam tamen tibi reſpondeam, quæro ex te: Quis erat Debitor DEO pro offenſis illi illatis, Homo, an Chriſtus? haud dubium, quin Homo. Homo igitur Debitor erat, & ad ipſum ſpectabat ſolutio. Atque idcirco DEUS ita dicere poterat: Si Homo debet, Homo ſolvat: & ſi ipſe non habet, quo debitum totum expungat, fiat quod æquum eſt: *qui non habet in ære, luat in corpore*: eat ad Infernum, ita enim promeruit. Et ſi ne ibi quidem, quantumcunque pariatur, pari unquam tantum poterit, ut vel minimæ debiti ſui parti ſatisfaciat, patiatur ibi per omnem æternitatem. Ita DEUS dicere poterat, ut non eſt dubium. Et ſi, ne ita loqui cogeretur, ipſe contentus fuit, imò ſic ipſe res diſpoſuit, ſic ſtatuit, ut Filius ejus ipſe vadem ſe interponeret, & ſolutionem offerret pro homine, quid tibi videtur? an non rectiſſimè dici poteſt, quòd ipſe à Chriſto acceptaverit illam ſolutionem, quam nôrat deberi ab homine, & non à Chriſto?

Sic igitur ratiocinare; quòd David delicti ſui memor, imò illud tam grave, tam vivum ante oculos habens, ut

hoc

hoc in Psalmo ipsemet affirmavit; videns autem parte alterâ deesse sibi unde pro eo satisfaciat, in ejusmodi consideratione angore penitus contabescceret: mox ad se excitandum diceret DEO: *Tunc acceptabis Sacrificium justitiæ.* Perinde ac si vellet dicere; quando veniet illa hora, quâ Filius tuus cælo in terras delapsus, morietur pro me in infami Crucis ligno, tunc tu dignaberis acceptare tanquam à me id, quod meum non est: quódque tam suavi in cogitatione non parum expetiretur solatij.

Tu ex ejusmodi loquendi ratione collige, ubi figere debeas magnam tuæ Salutis anchoram post infeliciſſimum illud naufragium culpæ, quod extremas te ad incitas redegit. Figere illam debes in JESU, qui pro te solvat. Siquidem Sacrificium justitiæ in Cruce peractum est: peractum tamen ut sufficiens pro omnibus, ut efficax autem pro solis illis, qui illius participes esse voluerint. Qui pensi non habet, ut pro ipso solvat Christus, & eum in finem supplex illi non fit, quid tandem speret? Passio & mors Christi fuit omnino Causa nostræ salutis, sed Causa universalis, quæ tamen ex se nihil operatur. Ut ejus fructus huic aut illi applicentur, etiam particulari Causa est opus. Talis autem est, uti mediis, quæ nobis Fides ad finem tam excellentem suppeditat. Inter cetera istud est: Rogare sæpe JESUM, ut Sanguinem suum Patri pro nobis offerat, etsi nos favore tanto digni non sumus: & rogare eundem Patrem, ut acceptet illum tanquam solutionem, quam facere nunquam poterunt Debitores, manifesti illi quidem, sed ad extremam egestatem decoquendo redacti.

Adverte interim, an David re ipsa præstiterit id quod promiserat DEO, cum dixit: *Domine labia mea aperies, &*

*os meum annuntiabit laudem tuam?* Paucis in verſibus, quos poſt illum ſubjunxit, en quàm præclarè ille annuntiârit omnia, quæcunque præ ceteris æſtimabilia & glorioſa ſunt in Eccleſia Chriſti! in illo ſcilicet opere, in quo DEUS plus, quàm in ullo alio, propriam laudem conſtituit. Ita ſaltem conatus ſum tibi palàm facere ad majorem ejusdem Chriſti gloriam.

## Finis Pſalmi Miſerere.

PRA-

# PRAXIS

## Conjunctionis interioris cum DEO

Pro actionibus tam particularibus, quàm Generalibus

*quæ per diem obeundæ veniunt*

## desumpta ex Psalmis,

ad usum earum maximè Personarum quæ DEO se

*in Sacris Cœtibus, seu Religionibus*

consecrârunt

*operâ & studio*

Ejusdem Vener. P. Pauli Segneri Societatis JESU.

)o(

# Pars I.

## Quæ complectitur actiones quotidianas.

### *Manè, cùm excitaris.*

Paratum cor meum DEUS, paratum cor meum: exurgam diluculo. Psal. 107.

### *Dum vestibus te induis.*

DEUS DEUS meus, ad te de luce vigilo, *& reliqua.* Psal. 62.

### *Dum ad Orationem te paras.*

Omnia à te expectant, ut des illis escam in tempore. Dante te illis colligent: aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate, avertente autem te faciem turbabuntur. Auferes spiritum eorum, & deficient, & in pulverem suum revertentur. Psal. 103.

Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das illis escam in tempore opportuno: aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. Psal. 144.

Catuli leonum rugientes, ut rapiant, & quærant à DEO escam sibi. Psal. 103. *Talem te esse cogitabis, & idcirco excitabis te ad cibum è manibus DEI amabili & reverente violentiâ rapiendum, si ille in hoc præbendo difficilem se monstraret.*

Quemadmodum desiderat Cervus ad fontes aquarum, ita desiderat Anima mea ad te DEUS. Sitivit Anima mea ad

ad DEUM fortem vivum: quando veniam & apparebo ante faciem DEI? Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, ubi est DEUS tuus? Hæc recordatus sum, & effudi in me animam meam, quoniam transibo in locum Tabernaculi admirabilis usque ad Domum DEI. Psal. 41.

Dat Jumentis escam ipsorum, & pullis Corvorum invocantibus eum. Psal. 146. *Et idcirco confides etiam tu.*

Gustate, & videte, quoniam suavis est Dominus: Beatus vir, qui sperat in eo. Psal. 33.

Manè astabo tibi, & videbo, quoniam non DEUS volens iniquitatem tu es. Psal. 5.

Prævenerunt oculi mei ad te diluculo, ut meditarer eloquia tua. Psal. 118.

Dirigatur Domine oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo. Psal. 104.

Potabunt omnes bestiæ agri: expectabunt onagri in siti sua. Psal. 103. *Sic dices, ad te deprimendum, timendo, ne dum horâ illâ fratres tui (tanquam animantes domesticæ) abunde potabuntur, tu velut bellua sylvestris siti emoriaris.*

Vacate, & videte, quoniam ego sum DEUS: exaltabor in gentibus, & exaltabor in terra. Psal. 45.

### *Dum te aspergis aquâ lustrali ad Orationem inchoandam.*

Declinate à me maligni, & scrutabor mandata DEI mei. Psal. 118.

### *Ad initium Orationis antequam procumbas in genua.*

Aperite mihi portas Justitiæ, ingressus in eas confitebor Domino. *Ita alloquéris Sanctos Angelos, tanquam nobiles DEI Aulicos: & imaginaberis tibi, quod illi te mittendo ad Matrem Sanctissimam, respondeant:* Hæc porta Domini,

justi intrabunt in eam. Psal. 117. *Hujus siquidem patrocinio admitti debes ad alloquium, si gratiosè admitti desideras.*

*Ad te abjiciendum, cùm te in DEI conspectu videris.*

Domine quid est homo, quia innotuisti ei, aut Filius hominis, quia reputas eum? Psal. 143. *non dixit*: cognitus es ab eo; *sed* innotuisti ei. *Neque enim homo prior fuit in agnoscendo DEO, sed DEUS prior homini cognoscendum se præbuit.*

*Dum petis lumen ad orandum.*

Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. Psal. 118.

Appropinquet deprecatio mea in conspectu tuo Domine, juxta eloquium tuum da mihi intellectum. Ps. 118. *quibus verbis petitur gratia intelligendi Scripturas juxta proprium earum sensum.* Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo. Ps. 116.

Quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine, DEUS meus illumina tenebras meas. Psal. 17.

Emitte lucem tuam, & veritatem tuam, ipsa me deduxerunt, & adduxerunt in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua. Psal. 42. Deduxerunt, & adduxerunt *prophetico more dicitur pro* deducent & adducent.

DEUS misereatur nostri, & benedicat nobis: illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri; ut cognoscamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus salutare tuum. Psal. 66.

Memento nostri Domine in beneplacito tuo: visita nos in salutari tuo, ad videndum in bonitate *(hoc est* bonum) electorum tuorum; ad lætandum in lætitia gentis tuæ, ut lauderis

lauderis cum hæreditate tua. Psal. 105. Incola ego sum in terra, non abscondas à me mandata tua. Psal. 118. *Proprium enim est alienigenarum, ignorare consuetudines regionis.* Servus tuus sum ego, da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua. Psal. 118. *Incumbit enim Servis, ut conentur intelligere voluntatem Domini.*

DEUS tu scis insipientiam meam, & delicta mea à te non sunt abscondita. Psal. 48. *Quæ delicta augere solent ignorantiam naturalem.*

Qui sedes super Cherubin, manifestare coram Ephraim, Beniamin & Manasse: ostende faciem tuam, & salvi erimus. Psal. 79. Notam fac mihi viam, in qua ambulem, quia ad te levavi animam meam. Psal. 142.

*Ad se humiliandum, cùm in progressu Orationis non adfuerit istud lumen, & ad urgenda postulata.*

Comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui ut viderem. Psal. 39.

Domine DEUS virtutum, quousque irascceris super orationem servi tui? Psal. 79.

Nunquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua, aut judicia tua in terra oblivionis? Psal. 87. *Hoc est, in terra cujus oblitus sit DEUS.*

*Ad rogandum DEUM, ut tibi loqui dignetur.*

Auditam fac mihi manè misericordiam tuam, quia in te speravi: Notam fac mihi viam, in qua ambulem, quia ad te levavi animam meam. Psal. 142.

Beatus, quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum! Psal. 93.

Ignitum eloquium tuum vehementer, & servus tuus dilexit illud. Psal. 118.

Fac

Fac cum servo tuo secundùm misericordiam tuam, & justificationes tuas doce me. Psal. 118.

Viam justificationum tuarum instrue me, & exercebor in mirabilibus tuis. Psal. 118.

Fac cum servo tuo secundùm misericordiam tuam, & justificationes tuas doce me. Psal. 118.

Bonus es tu, & in bonitate tua doce me justificationes tuas. Psal. 118.

Vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me. Psal. 42. *Quæ omnia eò spectant, ut petatur à DEO, ut ipse dignetur esse Magister, ùtque idcirco ipse loquatur, dum tu illum auscultas: & ô beatum te, si ille te alloquatur, ut Davidem his verbis!* Intellectum tibi dabo, & instruam te in via hac, quâ gradieris; firmabo super te oculos meos. Psal. 31. *Et idcirco pete hanc ab ipso gratiam.*

*Ut præpares te ad ipsum audiendum, cùm tibi loqui cœperit.*

Audiam quid loquatur in me Dominus DEUS. Ps. 88. *& ut dignoscas, verène ille sit qui loquitur, serviunt, quæ mox sequuntur:* Quoniam loquetur pacem in plebem suam, & in eos, qui convertuntur ad cor. *Quando enim DEUS loquitur, semper relinquit in anima multam pacem, & sive ad Peccatores* (in Plebem suam) *sive ad Justos* (super Sanctos suos) *loquatur, sive ad eos, qui actu ad ipsum convertuntur* (in eos qui convertuntur ad cor) *semper locutionem suam refert ad pacem, ad stabiliendam nimirum perfectam consensionem inter carnem, & spiritum, inter sensualitatem, & rationem, inter hominem & DEUM.*

Obmutui: *ad audiendum enim DEUM, qui hac tibi ratione loquatur, ante omnia necessarium est, tacere:* & humiliatus

liatus sum; *subinde oportet se abjicere*, & silui à bonis, *mox animum advertere, ad excipienda, quæ DEUS dabit, monita.* Et dolor meus renovatus est. *Hic primus effectus est, quem in bonis divina hæc locutio excitat, dolor quidam intimus de ingrato, quo DEI beneficiis respondemus, animo; quem sequitur desiderium ardens serviendi ipsi fide quàm optimâ.* Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis. Psal. 38.

### *Ad agendas illi gratias, ubi nobis ita locutus fuerit.*

Domine quid est homo, quòd memor es ejus, aut filius hominis, quoniam visitas eum? Psal. 8.

Quàm dulica faucibus meis eloquia tua! super mel ori meo. Psal. 118.

Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua. Psal. 118.

### *Ad agendas illi gratias pro quacunque consolatione non ordinaria accepta in Oratione.*

Confiteantur Domino misericordiæ ejus, & mirabilia ejus filiis hominum, quia satiavit animam inanem, & animam esurientem satiavis bonis. Psal. 106.

Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te! Psal. 30.

Mandavit nubibus desuper, & januas cæli aperuit, & pluit illis manna ad manducandum. Panem Angelorum manducavit homo, cibaria misit eis in abundantia. Psal. 77.

Repleti sumus manè misericordiâ tuâ, exultavimus, & delectati sumus. Psal. 89.

Vir insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget hæc.

get hæc. Psal. 91. *Ita loquèris miserando homines Mundi amatores.*

Suavis Dominis universis, & miserationes ejus super omnia opera ejus; *hoc est etiam super miserrimum quemque, qualis & tu es.* Psal. 144.

Non secundùm peccata nostra fecit nobis, neque secundùm iniquitates nostras retribuit nobis. Psal. 102.

Qui sicut Dominus DEUS noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cælo, & in terra? Suscitans de terra inopem, & de stercore erigens pauperem. Ut collocet eum cum Principibus, cum Principibus populi sui. Psal. 112. *Vox* in Cælo, *refertur ad illam* (qui in altis habitat) *& vox* in terra *ad illam* (humilia respicit) *& est transpositio Hebræis familiaris.*

Pluviam voluntariam segregabis DEUS hæreditati tuæ, & infirmata est (*hoc est, quia infirmata est*) tu verò perfecisti eam. Animalia tua habitabunt in ea: parâsti in dulcedine tua pauperi, DEUS. Psal. 67.

Propè est Dominus omnibus invocantibus eum, omnibus invocantibus eum in veritate. Psal. 144.

Pax multa diligentibus legem tuam. Psal. 118.

Magnificavit Dominus facere nobiscum, facti sumus lætantes. Psal. 115.

*Ad rata habenda proposita serviendi ipsi fideliter, ut agnoscamus acceptæ consolationis beneficinm.*

Dominus dedit benignitatem, & terra nostra dedit fructum suum. Psal. 84. In æternum non obliviscar justificationes tuas, quia in ipsis vivicâsti me. Psal. 118.

Tibi dixit cor meum; exquisivit te facies mea, faciem tuam Domine requiram. Psal. 26.

Jura-

Juravi, & statui; custodire judicia justitiæ tuæ. Ps. 118.

Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatâsti cor meum. Psal. 118.

Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas in omni tempore. Psal. 118. *Atque ita desidera saltem desiderare.*

Portio mea Domine dixi custodire legem tuam. Ps. 118.

Si oblitus fuero tui Jerusalem, oblivioni detur dextera mea, adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui; si non proposuero Jerusalem in principio lætitiæ meæ. Psal. 140.

Custodiam legem tuam semper, in seculum, & in seculum seculi. Psal. 118.

*Ut te excites ad ocultanda illa dona, quæ DEVS in Oratione tibi communicat.*

In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi. Psal. 118.

*Ad excitandum in te magnum timorem, si quando tentareris ad Orationem omittendam.*

Omnem escam abominata est anima eorum, appropinquaverunt usque ad portas mortis. Psal. 106. Omnis esca, *est Manna, propriissimum symbolum illius cibi, qui in Oratione gustatur.*

Percussus sum, ut fœnum, & aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum. Psal. 101.

Posuisti tenebras, & facta est nox: in ipsa pertransibunt omnes bestiæ silvæ. *Omnes nimirum cordis tui perturbationes.* Psal. 103.

Nisi quia lex tua meditatio mea est; tunc fortè periissem in humilitate mea. Psal. 118.

Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. Psal. 118. *Sic ut sublato hoc lumine non possis non cadere.*

Nescierunt, neque intellexerunt: in tenebris ambulant, movebuntur omnia fundamenta terræ. Psal. 81.

DEUM non invocaverunt: *quid inde secutum est?* illic trepidaverunt timore ubi non erat timor. Psal. 52. *Tam abjecto sunt animo in tentationibus.*

Benedictus DEUS, qui non amovit orationem suam & misericordiam suam à me. Psal. 65. *Ad quod subjungit Sanctus Augustinus. Cùm videris non amoveri à te deprecationem tuam, securus esto, quia non est amota à te misericordia ejus. Collige proin hinc è diverso, quòd si amota est à te deprecatio, amota sit etiam misericordia.*

*Vt statuas, non ante te componere ad quietem capiendam, quàm Orationis pensum persolveris.*

Si ascendero in lectum strati mei: si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem: & requiem temporibus meis; donec inveniam locum Domino. Psal. 131. *Quid est aliud invenire locum Domino, quàm ex corde tuo templum DEO construere, & inibi eum invocare?*

Si oblitus fuero tui Jerusalem, oblivioni detur dextera mea: adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui. Si non proposuero Jerusalem in principio lætitiæ meæ. Psal. 136.

*Vt animos tibi addas, siquando Orationis tempore aridum te & desolatum experiaris.*

DEUS, DEUS meus respice in me, quare me dereliquisti? longè à salute mea verba delictorum meorum. Ps. 21. i. o. *delicta mea, juxta phrasin hebræam.*

Aruit

Aruit tanquam testa virtus mea, & lingua mea adhæsit faucibus meis, & in pulverem mortis deduxisti me. Ps. 37.

Ut jumentum factus sum apud tè; & ego semper tecum. Psal 22.

*Tractat de DEUS ut jumentum, quando pro eo quòd te pascat manna in Oratione, pascit te exucco fœno: ne tamen idcirco ab eo recesseris.*

Domine DEUS virtutum, quousque irasceris super orationem servi tui? cibabis nos pane lacrymarum, & potum dabis nobis in lacrymis in mensura. Psal 79.

Usquequo Domine repellis Orationem meam, avertis faciem tuam à me? Pauper sum ego, & in laboribus à juventute mea. Psal. 87.

Expandi manus meas ad te, anima mea sicut terra, sine aqua tibi. Psal. 142.

Quare faciem tuam avertis? oblivisceris inopiæ nostræ, & tribulationis nostræ. Psal. 43.

Usquequo Domine obliviscéris me in finem; usquequò avertis faciem tuam à me? Psal. 12.

Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto. Psal. 67. *Perinde ac si quererēris apud DEUM, quòd pro eo quod invenias dulcedinem in Oratione, ut alij, tu amara omnia sentias.*

Ut quid Domine repulisti in finem? iratus est furor tuus super oves pascuæ tuæ? Lætifica animam servi tui, quoniam ad te Domine animam meam levavi: quoniam tu Domine suavis & mitis, & multæ misericordiæ omnibus invocantibus te. Psal. 85.

Posuit flumina in desertum, & exitus aquarum in sitim: terram fructiferam in salsuginem à malitia inhab tantium

tium in ea. psal. 106. *Tale in desolationibus est cor nostrum.*

Vivifica me, & custodiam sermones tuos. psal. 88.

*Ut animos tibi addas in desolationibus, quas etiam extra Orationem experiris.*

Anima mea turbata est valdè, sed tu Domine usquequo? psal. 6.

Ut quid Domine recessisti longè? despicis in opportunitatibus in tribulatione. Psal. 9.

Secundùm misericordiam tuam memento mei tu propter bonitatem tuam. psal. 23.

Respice in me, & miserere mei, quia unicus & pauper sum ego. psal. 23.

Ne avertas faciem tuam à me; ne declines in ira à servo tuo. psal. 26.

Inclina ad me aurem tuam, accelera, ut eruas me. psal. 30.

Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me. psal. 50.

Laboravi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ, defecerunt oculi mei, dum spero in DEUM meum. ps. 68.

Miser factus sum, & curvatus sum usque in finem, tota die contristatus ingrediebar. psal. 37.

Ne avertas faciem tuam à puero tuo, quoniam tribulor, velociter exaudi me; intende animæ meæ, & libera eam. psal. 68.

Defecerunt oculi mei in eloquium tuum dicentes, quando consolaberis me. psal. 118.

Dormitavit anima mea præ tædio; confirma me in verbis tuis. psal. 118.

Quare

Quare oblitus es mei, & quare contristatus incedo, dum affligit me inimicus? Psal. 41.

Miserere mei Domine quoniam ad tē clamavi tota die: lætifica animam servi tui, quoniam ad te Domine animam meam levavi. Quoniam tu Domine suavis, & mitis, & multæ misericordiæ omnibus invocantibus te. Psal. 85.

In me transierunt omnes iræ tuæ, & terrores tui conturbaverunt me: circumdederunt me sicut aqua tota die, circumdederunt me simul. Elongâsti à me amicum, & proximum, & notos meos à miseria. Psal. 87. *Per ultimos hos intelligere potes Sanctos Advocatos & Patronos tuos, quorum nemo videtur meminisse tui ad opem tibi ferendam, quando desolatio magna est.*

Exurge, quare obdormis Domine, exurge, & ne repellas in finem. Quare faciem tuam avertis, obliviscēris inopiæ nostræ, & tribulationis nostru? Quoniam humiliata est in pulvere anima nostra, conglutinatus est jn terra venter noster. Exurge Domine adjuva nos, & redime nos propter nomen tuum. Psal. 43.

A fortitudine manus tuæ ego defeci in increpationibus. Propter iniquitatem corripuisti hominem, & tabescere fecisti sicut araneam animam ejus: Verumtamen vanè conturbatur omnis homo *(si enim DEUS illum consolari non vult, frustra alibi solatia quærit.)* Exaudi orationem meam & deprecationem meam, auribus percipe lacrymas meas. Ne sileas (*tunc re verâ tacet DEUS, quando etiam aures ad nos audiendos obturare videtur*) quoniam advena ego sum, & peregrinus sicut omnes patres mei. (*Peregrinus in terra est, qui non illam, sed cælum, habet pro patria, & idcirco ad DEUM cum fiducia confugit.*)Remitte mihi ut refrigerer priusquam abeam, & ampliùs non ero *(hoc est, non*

*ero*

*ero ampliùs peregrinus.*) *Rectè dein dicitur*, Refrigerer: *neque enim hîc datur gaudere plenâ consolatione, sed refrigerio duntaxat modico; ut proprium peregrimorum est in suis itineribus.* Psal. 38.

Fac mecum signum in bonum (*hoc est, da mihi signum quoddam bonum*) ut videant qui oderunt me, & confundantur, quoniam tu Domine adjuvisti me, & consolatus es me. Psal. 8. *Hoc porro signum bonum videtur esse latitia spiritualis Justorum propria, ut ait Bellarminus.*

*Ut iisdem in occasionibus resumas animum excitando te spe redituræ paulo post consolationis.*

Non in finem erit oblivio pauperis: patientia paupertum non peribit in finem. Psal. 9.

Quare tristis es Anima mea, & quare conturbas me? spera in DEO, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei, & DEUS meus. Psal. 41.

Expecta Dominum, viriliter age, confortetur cor tuum, & sustine Dominum. Psal. 26.

DEUS manifestè veniet, DEUS noster, & non silebit. Psal. 49.

Expectabo eum, qui salvum me fecit à pusillanimitate spiritus, & tempestate. Psal. 53. Fecit *prophetico more dictum est pro* faciet.

In umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas. Psal. 65.

Nunquid in æternum projiciet DEUS? aut non apponet, ut complacitior sit adhuc? aut in finem misericordiam suam abscindet à generatione in generationem, aut obliviscetur misereri DEUS, aut continebit in ira sua misericordias suas? Psal. 76.

Non

Non in perpetuum iraſcetur, neque in æternum comminabitur. Pſal. 102.

Dat nivem, ſicut lanam: nebulam (*id eſt pruinam*) ſicut cinerem ſpargit, mittit criſtallum ſuam (*id eſt glaciem*) ſicut buccellas. Ante faciem frigoris ejus quis ſuſtinebit? Emittet verbum ſuum, & liquefaciet ea, flabit ſpiritus ejus, & fluent aquæ. Pſal. 147. *Quod idem eſt ac dicere: quantillo opus eſt DEO, ut, ſi vult, gelu tam magnum diſſipet?*

DEUS judex juſtus, fortis & patiens: nunquid iraſcitur per ſingulos dies? Pſal. 7.

Ad veſperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. Pſal. 29.

Suſtinentes Dominum ipſi hæreditabunt terram. Pſ. 36.

Habitare facit ſterilem in domo, matrem filiorum lætantem. Pſal. 112.

Jacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet: non dabit in æternum fluctuationem Juſto. Pſal. 14.

Tu dominaris poteſtati maris: motum autem fluctuum ejus tu mitigas. Pſal. 88.

Anima noſtra ſuſtinet Dominum (*id eſt, expectat patienter*) quoniam adjutor & protector noſter eſt; quia in eo lætabitur cor noſtrum. Pſal. 32.

## *Ad agendas DEO gratias quando finitis tandem deſolationibus ille ad te viſitandum redierit.*

Convertiſti planctum meum in gaudium mihi: conſcidiſti ſaccum meum & circumdediſti me lætitiâ. Ut cantet tibi gloria mea, & non compungar: Domine DEUS meus in æternum confitebor tibi. Pſal. 29.

Discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem, quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei. Psal. 6.

Quantas ostendisti mihi tribulationes multas & malas & conversus vivificâsti me, & de abyssis terræ iterum reduxisti me: multiplicâsti magnificentiam tuam, & consolatus es me. Psal. 70.

Petierunt, & venit coturnix; & pane cæli saturavit eos: disrupit petram, & fluxerunt aquæ, abierunt in sicco flumina, quoniam memor fuit verbi sancti sui, quod habuit ad Abraham puerum suum. Et eduxit populum suum in exultatione, & electos suos in lætitia. Psal. 104.

Secundùm multitudinem dolorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam. Psal. 93.

Dedit eis petitionem eorum, & misit saturitatem in animas eorum. Psal. 105.

Statuit procellam ejus in auram, & siluerunt fluctus ejus. Et lætati sunt, quia siluerunt, & deduxit eos in portum voluntatis eorum. Psal. 106.

Posuit desertum in stagna aquarum, & terram sine aqua in exitus aquarum. Psal. 106.

Convertit petram in stagna aquarum, & rupem in fontes aquarum. Psal. 113.

Videant qui oderunt me, & confundantur, quoniam tu Domine adjuvisti me, & consolatus es me. Psal. 85.

Lætati sumus pro diebus, quibus nos humiliâsti, annis quibus vidimus mala. Psal. 89.

Ego dixi in excessu mentis meæ: projectus sum à facie oculorum tuorum. Ideo exaudîsti vocem orationis meæ, dum clamarem ad te. Psal. 30. *Hoc est, quando magis derelictum te existimabas*; projectus,

Renuit

Renuit consolari anima mea; memor fui DEI, & delectatus sum. Psal. 76.

In die tribulationis meæ DEUM exquisivi manibus meis nocte contra eum, & non sum deceptus. Psal. 76. *Inveniri se permittit DEUS etiam in tenebris, dum velut manibus explorabundis quæritur.*

Educens nubes ab extremo terræ; fulgura in pluviam fecit. Psal. 143.

Viderunt te aquæ DEUS, viderunt te aquæ & timuerunt. Psal. 76. *Per aquas convenienter intelliguntur tempestates animæ, dissipatæ mox atque DEUS in illa apparet.*

Exortum est in tenebris lumen rectis; misericors & miserator & justus. Psal. 111.

## *Ante pensum Sacerdotale, aut alias ejus generis Orationes vocales.*

Lingua mea meditabitur justitiam tuam, tota die laudem tuam. Psal. 34.

Vespere, & mane, & meridie narrabo & annuntiabo & exaudiet vocem meam. Psal. 54.

A solis ortu usque ad occasum, laudabile nomen Domini. Psal. 112. *Hoc est à nunc usque ad vesperum.*

Adjutor meus tibi psallam, quia DEUS susceptor meus es: DEUS meus misericordia. Psal. 58.

Repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam. Psal. 70.

Exultabunt labia mea, cùm cantavero tibi, & anima mea, quam redemisti: sed & lingua mea tota die meditabitur justitiam tuam. Psal. 70.

Cantabo Domino in vita mea; psallam DEO meo

quamdiu sum. Jucundum sit ei eloquium meum: ego verò delectabor in Domino. Psal. 103.

Vivet anima mea, & laudabit te, & judicia tua adjuvabunt me. Psal. 118.

Lauda anima mea Dominum, laudabo Dominum in vita mea. Psallam DEO meo, quamdiu fuero. Ps. 114.

In conspectu Angelorum psallam tibi: adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo: Super misericordia tua, & veritate tua, quoniam magnificâsti super omne nomen sanctum tuum. Psal. 137.

Laudationem Domini loquetur os meum: & benedicat omnis caro nomini sancto ejus in seculum, & in seculum seculi. Psal. 144.

DEO nostro sit jucunda decoráque laudatio. Ps. 145.

Psallite DEO nostro, psallite Regi nostro, psallite. Quoniam Rex omnis terræ DEUS, psallite sapienter. Psal. 46. *Nota vocem* sapienter, *& erubesce, si in persolvendo divino officio tam vagus es, ut ne quidem scias, quid dicas; aut saltem in rem attentus non es.*

Immola DEO sacrificium laudis. & redde altissimo vota tua Psal. 49. *Sic alloquéris animam tuam, ad eam excitandam.*

## *Persoluto divino Officio.*

Sic Psalmum dicam Nomini tuo in seculum seculi, ut reddam vota mea de die in diem. Psal. 60.

Pro

## Pro Examine ante Confessionem vide infra sub titulo: In Examine Conscientiæ.

*Dum ad Confessionem peragendam accedis.*

Iniquitatem meam annuntiabo, & cogitabo pro peccato meo. Psal. 37. *S. Hieronymus legit*: Solicitus ero pro peccato meo: *cogitando quid mihi faciendum sit ad illud expiandum.*

*Mox à peracta Confessione, dum provolutus in genua ad persolvendam pœnitentiam Sanctorum opem exposcis.*

Delictum meum cognitum tibi feci, & injustitiam meam non abscondi. Dixi confitebor adversùm me injustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati. Pro hac orabit ad te omnis Sanctus in tempore opportuno. Psal. 31. *Nota vocem illam*, adversùm me; *& disce te, & non alium, de malitia tua accusare.*

*Ad colloquendum suaviter cum DEO à peracto Missæ Sacrificio.*

Dic animæ meæ: salus tua ego sum. Psal. 34.

Ego dixi Domine miserere mei: sana animam meam, quia peccavi tibi. Psal. 40.

Omnia ossa mea dicent, Domine quis similis tibi? Psal. 34.

Ne derelinquas me Domine DEUS meus, ne discesseris à me. Psal. 37.

O Domine salvum me fac, ô Domine bene prosperare. Benedictus qui venit in nomine Domini. Psal. 77. *Venit,*

*in præterito.* DEUS meus es tu, & confitebor tibi: DEUS meus es tu, & exaltabo te. Psal. 117. *Et quando unquam majore cum fundamento dicere poteris DEO, quòd tuus sit, quàm quando intra te est?*

Apud me oratio DEO vitæ meæ: dicam DEO, susceptor meus es. *Nisi malis nunc dicere*: Susceptor tuus sum. Psal. 41.

Domum tuam Domine decet sanctitudo in longitudinem dierum. Psal. 92. *Ideo excita te ad constantem Innocentiam.* Nonne DEO subjecta erit anima mea? ab ipso enim salutare meum. *Psal. 61.*

Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? Defecit caro mea, & cor meum: DEUS cordis mei, & pars mea DEUS in æternum. Psal. 72. *Nuntium remittit cælo & terræ, qui non spectat aliud quàm DEUM: paratus hoc in Mundo carere solatiis omnibus non humanis tantùm, sed etiam cælestibus.*

Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt nomini sancto ejus. Psal. 102.

Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. *Talis locus est cor tuum, & ideo mundum illud serva.* Clamavi ad te Domine, dixi, tu es spes mea, portio mea in terra viventium. Psal. 41.

Parâsti in conspectu meo mensam adversùs eos, qui tribulant me. Psal. 22.

Vivit Dominus, & benedictus DEUS meus, & exaltetur DEUS salutis meæ. Psal. 17.

*Vt excites te ad fugiendum consortium humanum etiam tempore desolationis, imò tunc magis, quàm unquam aliàs.*

Cor meum conturbatum est in me, & formido mortis ce-

tis cecidit super me. Timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ: & dixi: *quid?* Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam? Ecce elongavi fugiens, & mansi in solitudine. Expectabam eum, qui salvum me fecit à pusillanimitate spiritus, & tempestate. Psal. 54. Fecit *iterum propheticè pro* faciet.

A voce gemitus mei adhæsit os meum carni meæ: *quid hinc sequitur?* Similis factus sum pellicano solitudinis: factus sum sicut nycticorax in domicilio. Vigilavi, & factus sum sicut passer solitarius in tecto. Psal. 101.

In terra deserta, & invia & inaquosa sic in sancto apparui tibi, ut viderem virtutem tuam, & gloriam tuam. Psal. 62. *Id est*: ita ut viderem: *tantum prodest, manere in loco deserto.* Transmigra in montem sicut passer, quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde. Psal. 10.

*Hortatur nos ad studium solitudinis, ut fugiamus insidias peccatorum, qui nos seducere vellent.* Cadent in retiaculo ejus peccatores. *Quid igitur agendum tibi, ne in hos ipsos Dæmonis laqueos incidas?* Singulariter sum ego donec transeam. *Solitudo quærenda: quod idem est ac procul esse ab his laqueis: atque hoc non modico tantùm tempore, sed usque ad finem.* Donec transeam. Psal. 40. *Sic Sanctus Chrysostomus hunc locum interpretatus est.*

## *Ad petendum à DEO lumen in peragendo negotio quod quis aggressus sit.*

Dirige me in veritate tua, & doce me, quia tu es DEUS Salvator, & te sustinui tota die. Psal. 24.

Respice in servos tuos, & in opera tua, & dirige filios

lios eorum: & sit splendor Domini DEI nostri super nos, & opera manuum nostrarum dirige super nos, & opus manuum nostrarum dirige. Psal. 89.

*Dum primò ad cibum capiendum, deinde ad colloquendum acceditur.*

Pone Domine custodiam ori meo (*ori, in cibo sumendo*) & ostium circumstantiæ labiis meis (*labiis inter colloquendum.*) Psal. 140.

*Dum ad colloquium, de quo modo, itur.*

Dixi custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. Psal. 38.

Vir linguosus non dirigetur in terra. Psal. 139.

Statue servo tuo eloquium tuum in timore tuo. Ps. 118.

Non faciam proximo meo malum, & opprobrium non accipiam adversùs proximos meos. Psal. 14.

Os tuum abundavit malitiâ, & lingua tua concinnabat dolos; sedens adversùs fratrem tuum loquebaris, adversùs filium matris tuæ ponebas scandalum: hæc feciſti, & tacui. Existimâsti iniquè quòd ero tui similis? arguam te, & statuam contra faciem tuam. Psal. 49. *Sæpe tecum repete hæc verba, quibus DEUS te alloquitur, & contremisce.*

*Ad colligendum animum, siquando se effudisset in colloquia plus æquo læta, aut in varia negotia profana, & multas curas externas.*

Salvum me fac DEUS, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam: infixus sum in limo profundi, & non est substantia. Psal. 68.

Sicut aqua effusus sum, & dissipata sunt omnia ossa mea. Psal. 21.

Eripe

Eripe me de luto, ut non infigar. Psal. 68.

Erravi sicut ovis, quæ periit, quære servum tuum; quia legem tuam non sum oblitus. Psal. 118. *Hoc est, longè evagatus es à DEO, etsi illum non offenderis.* Emitte manum tuam de alto, eripe me, & libera me de aquis multis: de manu filiorum alienorum, quorum os locutum est vanitatem. Psal. 43. *Filii alieni illi sunt qui non sunt ejusdem spiritus, sed agere volunt de aliis, quàm de DEO.*

*Dum domo prodis.*

Dominus custodiat introitum meum, & exitum meum ex hoc nunc & usque in seculum. Psal. 120.

Gressus meos dirige secundùm eloquium tuum, & non dominetur mei omnis injustitia. Psal. 118.

Deduc me Domine in via tua, & ingrediar in veritate tua: lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum, *id est, sic lætetur, ut timeat, &c.* Psal. 85.

Ab omni via mala prohibui pedes meos, ut custodiam mandata tua. Psal. 118.

Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas. Psal. 118.

Exibit homo ad opus suum, & ad operationem suam usque ad vesperum. Psal. 103. *Et sic age gratias DEO, quòd istud tibi permiserit.*

Qui cogitaverunt supplantare gressus meos, juxta iter scandalum posuerunt mihi. Psal. 139. *Servit istud, ut sis cautus in periculis, in quæ offendis in via vel videndo, vel audiendo, &c.*

*Dum, ut solet, in oculos incurrit venustas aliqua caduca, aut aliqua pompa mundana.*

Tanquam fœnum velociter arescent, & quemadmodum olera herbarum citò decident. Psal. 36.

Verumtamen universa vanitas omnis homo vivens. Psal. 48.

Verumtamen in imagine pertransit homo. Psal. 38.

Cùm interierit non sumet omnia: neque descendet cum eo gloria ejus. Psal. 48.

Homo sicut fœnum dies ejus: tanquam flos agri sic efflorebit. Psal. 102.

Defecerunt in vanitate dies eorum, & anni eorum cum festinatione. Psal. 77.

*Dum in via occurrunt illæ ineptiæ, quas tam multi Mortales, obliti DEI, cum sua pernicie sectantur.*

Filij hominum usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Psal. 4.

DEUS de cælo prospexit super filios hominum, ut videat si est intelligens, aut requirens DEUM: Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Psal. 52.

Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum, labia dolosa in corde, & corde locuti sunt. Psal. 11.

Non est in ore eorum veritas, & cor eorum vanum est. Psal. 5.

Vidi iniquitatem & contradictionem in civitate: die ac nocte circumdabit eam super muros ejus iniquitas, & labor in medio ejus, & injustitia; & non defecit de plateis ejus usura & dolus. Psal 54.

Verumtamen vani filij hominum, mendaces filij hominum in stateris (*scilicet in judicio, quo de malo & bono judicant*) ut decipiant ipsi de vanitate in id ipsum. Nolite sperare in iniquitate, & rapinas nolite concupiscere, divitiæ si affluant, nolite cor apponere. Psal. 61.

The-

Thesaurizat, & ignorat cui congregabit ea. Psal. 18.

Contritio, & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognoverunt. Psal. 13.

*Dum Templum ingrederis ad orandum.*

Ego autem in multitudine misericordiæ tuæ introibo in domum tuam; adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo. Psal. 5.

Introibo in domum tuam in holocaustis, reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea. Psal. 65.

Exaudi Domine vocem deprecationis meæ, dum oro ad te: dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum. Psal. 27.

Sancti tui benedicent tibi, gloriam regni tui dicent, & potentiam tuam loquentur, ut notam faciant filiis hominum potentiam tuam, & gloriam magnificentiæ regni tui. Psal. 143.

*Dum invisis ad Christum in SS. Eucharistiæ Sacramento.*

Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum! concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini. Cor meum, & caro mea exultaverunt in DEUM vivum. Etenim passer invenit sibi domum, & turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos. Altaria tua Domine virtutum (*intelligitur*, nidus meus erunt.) Rex meus, & DEUS meus. Beati qui habitant in domo tua Domine, *& quare?* in secula seculorum laudabunt te. *Non laudabnnt te sicut ego, qui vix id ago per quartam horæ & brevissimam partem.* Psal. 83.

)o(

# In Examine Conscientiæ.

## Punctum I.

### *Gratiarum actio pro Beneficiis acceptis.*

Benedic anima mea Domino, & noli oblivisci omnes retributiones ejus. Psal. 102. *Noli oblivisci*, quòd te condiderit ex nihilo. *Noli oblivisci*, quòd te redemerit &c. *vocantur autem hæc beneficia* retributiones, *quia DEUS retribuit bonum pro malo.*

## Punctum II.

### *Petitio Luminis.*

Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte; nequando dicat inimicus meus, prævalui adversùs eum. Psal. 12.

## Punctum III.

### *Discussio actionum diurnarum.*

Proba me Domine, & scito cor meum, interroga me & cognosce semitas meas, & vide si via iniquitatis in me est; & deduc me in via æterna. Psal. 138. *In fine hujus puncti ita te ipsum alloquere.* Nonne DEUS requiret ista? Ipse enim novit abscondita cordis. Psal. 43.

## Punctum IV.

### *Petitio Veniæ.*

Propter nomen tuum Domine, propitiaberis peccato meo, multum est enim. Psal. 24.

Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam. Psal. 118.

Si ini-

Si iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit? Psal. 129.

Non intres in judicium cum servo tuo, Domine, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Ps. 142.

Averte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele. Psal. 50.

Afflictus sum, & humiliatus sum nimis; rugiebam à gemitu cordis mei. Psal. 37.

Vide humilitatem meam, & laborem meum, & dimitte universa delicta mea. Psal. 24. *Quibus verbis DEO tanquam motivum ad ignoscendum culpis nostris, & vilitatem nostram, & difficultatem quam sentimus in abstinendo à peccatis, adducimus.*

*Ad sese abjiciendum in hoc quarto puncto, dum se quis tot peccatis oneratum aspicit.*

Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ; non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum: quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus grave gravatæ sunt super me. Psal. 37.

Circumdederunt me mala, quorum non est numerus, comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui ut viderem, multiplicatæ sunt super capillos capitis mei, & cor meum dereliquit me. Psal. 79.

Repleta est malis anima mea, & vita mea Inferno appropinquavit. Posuerunt me in lacu inferiori in tenebrosis, & in umbra mortis. Psal. 87.

Dixit; & venit locusta, & bruchus, cujus non erat numerus, & comedit omne fœnum in terra eorum, & comedit omnem fructum in terra eorum. Psal. 104. *Hic considerabis cor tuum ob tot defectus omni virtute vacuum.*

Turbatus est à furore oculus meus, *dum me video tot peccatis oneratum*, inveteravi inter omnes inimicos meos: *i. e. inter hos ipsos tam multiplices defectus.* Psal. 64.

*Ad abjiciendum se in hoc ipso puncto, dum se videt quis tam instabilem in propositis orationis tempore conceptis.*

Ego dixi in abundantia mea non movebor in æternum: Avertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus. Psal. 29.

Filij Ephrem intendentes & mittentes arcum, conversi sunt in die belli. Psal. 77.

Citò fecerunt; obliti sunt operum ejus, & non sustinuerunt consilium ejus. Psal. 105.

*Ad abjiciendum se in hoc ipso puncto, dum quis se videt lapsum iterum in ea peccata, quæ jam emendaverat.*

Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ. Psal. 37.

*Ne quis se efferat, cùm vel nullos, vel pauculos in se defectus invenire videtur.*

Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, & ab alienis parce servo tuo. Psal. 18.

## Punctum V.

### *Propositum Emendationis.*

Allevat Dominus omnes, qui corruunt, & erigit omnes elisos. Psal. 141.

Et ero imaculatus cum eo, & observabo me ab iniquitate mea. Psal. 17.

Ipse

Ipse DEUS meus, & salutaris meus: susceptor meus non movebor ampliùs. Psal. 61.

*Ut statuas non ante desistere, quàm omnes animi tui perturbationes & pravas propensiones domueris.*

Persequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non convertar donec deficiant. Psal. 17.

*Ad agendas DEO gratias propter bona proposita, quæ in Examine nos impleviſſe deprehendimus.*

In me sunt DEUS vota tua, quæ reddam laudationes tibi, quoniam eripuisti animam meam de morte, & pedes meos de lapsu, ut placeam coram DEO in lumine viventium. Psal. 55.

Impulsus eversus sum, ut caderem, & Dominus suscepit me. Psal. 17.

*Ad petendam etiam deinceps similem constantiam, ne malo Dæmoni rem gratam faciamus.*

Perfice gressus meus in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea. Psal. 16.

Ne tradas me Domine à desiderio meo peccatori, cogitaverunt contra me; ne derelinquas me, ne fortè exaltentur. Psal. 138.

In hoc cognovi quoniam voluisti me: quoniam non gaudebit inimicus meus super me. Psal. 40.

Qui tribulant me, exultabunt, si motus fuero: ego autem in misericordia tua speravi. Psal. 12.

Non dicant in cordibus suis, euge, euge; nec dicant, devoravimus eum. Psal. 34.

Ad

*Ad offerenda DEO merita aliorum fratrum tuorum, cùm propriis destitueris.*

Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua. Psal. 118.

*Dum ad quietem capiendam te componis, spe satis firmâ, quòd DEUM iratum non habeas.*

Convertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi: Quia eripuit animam meam de morte, oculos meos à lacrymis, pedes meos à lapsu. Ps. 114.

In pace inidipsum dormiam, & requiescam, quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me. Psal. 4.

Lætatum est cor meum (*in cogitando de DEO*) exultavit lingua mea *(in laudando DEO)* insuper & caro mea requiescet in spe. Psal. 17.

# Pars II.

## Quæ complectitur alia opera universalia.

*Ad agendas DEO gratias, quòd nos eripuerit è vita illa tepida ac negligente, in qua antè vixeramus.*

EGo dormivi & somnum cepi, & exurrexi, quia Dominus suscepit me. Psal. 3.

Misit de summo, & accepit me, & assumpsit me de aquis multis. Psal. 17.

Dedu-

Deduxit me super semitas justitiæ propter nomen suum. Psal. 22.

Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me, nec delectâsti inimicos meos super me. Psal. 29.

Cùm ceciderim, non sum collisus, quia Dominus suppositit manum suam. Psal. 36.

Expectans expectavi Dominum, & intendit mihi, & exaudivit preces meas, & eduxit me de lacu miseriæ, & de luto fæcis; & statuit super petram pedes meos, & immisit in os meum Canticum novum, carmen DEO nostro. *Quid autem in aliis ex ejus modi exemplis sequatur, docent sequentia:* Videbunt multi, & timebunt, & sperabunt in Domino. Psal. 29.

Eripuisti animam meam de morte, & pedes meos de lapsu, ut placeam coram DEO in lumine viventium. Ps. 55.

Misit de cælo, & liberavit me, dedit in opprobrium conculcantes me. Psal. 56.

Ego sum pauper, & dolens: salus tua DEUS suscepit me. Psal. 68.

Abundavit, ut averteret iram suam, & recordatus est quia caro sunt; spiritus vadens, & non rediens. Psal. 77.

Confitebor tibi Domine DEUS in toto corde meo, & glorificabo nomen tuum in æternum, quia misericordia tua magna est super me, & eruisti animam meam ex inferno inferiori. Psal. 85.

Nisi quia Dominus adjuvit me, paulo minùs habitâsset in Inferno anima mea. Psal. 92.

Quomodo misertus est Pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se, quoniam ipse cognovit figmentum nostrum. 102.

In servum venundatus est Joseph; humiliaverunt in

compedibus pedes ejus, ferrum pertransiit animam ejus, donec veniret verbum ejus. Eloquium Domini inflammavit eum; misit Rex, & solvit eum; princeps populorum, & dimisit eum. Constituit eum Dominum domus suæ, & principem omnis possessionis suæ. Psal. 104. *Quod idem est ac dicere: Extraxit me à tanta pravitate, ut me constitueret Dominum & possessorem cæli.* Erraverunt in solitudine, in inaquoso; viam civitatis habitaculi non invenerunt: Esurientes, & sitientes, anima eorum in ipsis defecit, & clamaverunt ad Dominum cùm tribularentur, & de necessitatibus eorum eripuit eos, & deduxit eos in viam rectam, ut irent in Civitatem habitationis. Psal. 106.

Eduxit eos de tenebris & umbra mortis, & vincula eorum disrupit. Confiteantur Domino, misericordiæ ejus, & mirabilia ejus filiis hominum, quia contrivit portas æreas, & vectes ferreos confregit. Suscepit eos de via iniquitatis eorum; propter injustitias enim suas humiliati sunt. Misit verbum suum & sanavit eos, & eripuit eos de interitionibus suis. Psal. 102.

Dirupisti Domine vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis, & nomen Domini invocabo. Psal. 115.

Nisi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel, nisi quia Dominus erat in nobis: cùm exurgerent homines in nos, fortè vivos deglutîssent nos: cùm iraſceretur furor eorum in nos, forsitam aqua absorbuisset nos. Torrentem pertransivit anima nostra: forsitam pertransisset anima nostra aquam intolerabilem, Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum: Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium: laqueus contritus est, & nos liberati sumus. Psal. 123.

Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exal-

tavit

tavit me: dextera Domini fecit virtutem. Non moriar, sed vivam, & narrabo opera Domini. Castigans castigavit me Dominus, & morti non tradidit me. Aperite mihi portas justitiæ, ingressus in eas confitebor Domino: hæc porta Domini (*scilicet, hæc porta justitiæ est vera porta, quæ ducit ad Dominum*) justi intrabunt in eam. Confitebor tibi, quoniam exaudisti me, & factus es mihi in salutem. Psal. 117.

*Ut nos excitemus ad standum bonis propositis etiam in oculis aliorum, vincendo respectus humanos.*

Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus. Psal. 115.

Vota mea Domino reddam in conspectu timentium eum. Psal. 27.

DEUS meus in te confido; non erubescam: neque irrideant me inimici mei: etenim universi, qui sustinent te, non confundentur. Psal. 24.

DEUS dissipavit ossa eorum, qui hominibus placent: confusi sunt, quoniam DEUS sprevit eos. Psal. 52.

Confitebor Domino nimis in ore meo; in medio multorum laudabo eum: quia astitit à dextris pauperis, ut salvam faceret à persequentibus animam meam. Psal. 108.

Tunc non confundar, cùm perspexero in omnibus mandatis tuis. Psal. 118. h. e. *Quando ad amussim exequar planè omnia quæ jubes.*

Paratus sum, & non sum turbatus, & custodiam mandata tua. Psal. 180.

Fiat cor meum immaculatum in justificationibus tuis, ut non confundar. Psal. 118.

Accedite ad eum, & illuminamini, & facies vestræ

non confundentur. Psal. 33. h. e. *Orate, & non timebitis judicia hominum.*

*Vt obarmemur contra assultus aut apertos, aut occultos, quibus nos non semel adoriuntur negligentiores in DEI obsequio, ut nos etiam ab hoc retrahant.*

Multi dicunt animæ meæ, non est salus ipsi in DEO ejus. Tu autem Domine susceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum. Psal. 3.

Exacuerunt ut gladium linguas suas, intenderunt arcum rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum. Subitò sagittabunt eum, & non timebunt: firmaverunt sibi sermonem nequam; Narraverunt, ut absconderent laqueos; dixerunt, quis videbit eos? Psal. 63.

Mihi autem adhærere DEO bonum est; ponere in Domino meo spem meam. Psal. 72.

Tota die exprobrabant mihi inimici mei, & qui laudabant me, adversùm me jurabant, quia cinerem tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miscebam. Psal. 102.

Custodi me à laqueo, quem statuerunt mihi, & à scandalis operantium iniquitatem. Psal. 140.

Filij hominum, dentes eorum arma, & sagittæ: & lingua eorum gladius acutus. Laqueum paraverunt pedibus meis, & incurvaverunt animam meam; foderunt ante faciem meam foveam. Psal. 65.

Posuerunt peccatores laqueum mihi, & de mandatis tuis non erravi. Psal. 118.

Eripe me Domine ab homine malo, à viro iniquo eripe me. Qui cogitaverunt iniquitates in corde, tota die consti-

constituebant prælia. Acuerunt linguas suas sicut serpentis, venenum aspidum sub labiis eorum. Custodi me Domine de manu peccatoris, & ab hominibus iniquis eripe me. Qui cogitaverunt supplantare gressus meos, absconderunt superbi laqueum mihi, & funes extenderunt in laqueum: juxta iter scandalum posuerunt mihi. Dixi Domino, DEUS meus es tu. Ne tradas me Domine à desiderio meo peccatori: cogitaverunt contra me, ne derelinquas me, ne fortè exaltentur. Psal. 139.

In via hac, qua ambulabam, absconderunt laqueum mihi, clamavi ad te Domine, dixi: tu es spes mea, portio mea in terra viventium. Libera me à persequentibus me, quia confortati sunt super me. Psal. 141.

Multi, qui persequuntur me, & tribulant me; à testimoniis tuis non declinavi. Psal. 118.

Respondebo exprobrantibus mihi verbum; quia speravi in sermonibus tuis. Psal. 118. *Quando mihi aliquis dicet, quòd non sim perseveraturus; quòd valetudo sit destruenda.*

A resistentibus dexteræ tuæ custòdi me, ut pupillam oculi. Psal. 15. *Resistunt DEI dexteræ illi, qui nos avocare laborant à semita, per quam DEUS nos vult ducere.*

Ab insurgentibus in me exaltabis me; à viro iniquo eripies me. Psal. 17.

*Ut animos nobis addamus ad ferendas constanter irrisiones, quas fortè pati necesse sit à Sociis in via virtutis.*

Omnes videntes me, deriserunt me, locuti sunt labiis, & moverunt caput. Speravit in Domino, eripiat eum, salvum faciat eum, quoniam vult eum. In te projectus sum ex utero: de venre matris meæ, DEUS meus es tu, ne discesseris à me. Psal. 21.

Qui videbant me, foras fugerunt à me: oblivioni datus sum tanquam mortuus à corde, factus sum tanquam vas perditum, quoniam audivi vituperationem multorum commorantium in circuitu. Psal. 30.

Posuisti nos in contradictionem vicinis nostris, & inimici nostri subsannaverunt nos. Psal. 79.

Considerat peccator justum, & quærit mortificare eum. Dominus autem non derelinquet eum in manibus ejus, nec damnabit eum, cùm judicabitur illi. Psal 36.

Qui retribuunt mala pro bonis detrahebant mihi, quoniam sequebar bonitatem. Ne derelinquas me Domine DEUS meus, ne discesseris à me. Psal. 37. *Quasi diceret: Tu Domine ne derelinquas me; & hoc mihi sufficit.*

Tota die verecundia mea contra me est, & confusio faciei meæ cooperuit me à voce exprobrantis, & obloquentis, à facie inimici & persequentis. Hæc omnia venerunt super nos, nec obliti sumus te, & iniquè non egimus in testamento tuo, & non recessit retro cor nostrum. Psal. 55.

Tu scis improperium meum, & confusionem meam, & reverentiam meam. Psal. 68.

Facti sumus opprobrium vicinis nostris, subsannatio, & illusio his, qui in circuitu nostro sunt: nos autem confitebimur tibi in seculum. Psal. 78.

Longè fecisti notos meos à me, posuerunt me abominationem sibi. Psal. 87.

Maledicent illi, & tu benedices. Psal. 108.

Sederunt Principes, & adversùm meloquebantur, servus autem tuus exercebatur in tuis justificationibus. Ps. 118.

Pro eo ut me diligerent detrahebant mihi, ego autem orabam. Psal. 108.

Ad

*Ad revocandam interdiu in memoriam DEI præsentiam, tantopere necessariam ad vitanda constanter peccata.*

Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos. Psal. 24.

Anima mea in manibus meis semper (*ut offeram illam DEO, quando ipsi placuerit trahere eam ad se illustratione quadam internâ*) & legem tuam non sum oblitus. Psal. 118.

Servavi mandata tua, & testimonia tua, quia omnes viæ meæ in conspectu tuo. Psal. 118.

Sicut oculi servorum in manibus Dominorum suorum, & sicut oculi ancillæ in manibus Dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum DEUM nostrum. Psal. 122.

Quo ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? si ascendero in cælum, tu illic es; si descendero in infernum, ades; si sumpsero pennas meas diluculo, & habitavero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. Et dixi: forsitan tenebræ conculcabunt me, & nox illuminatio mea in deliciis meis, quia tenebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur. Sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus. Ps. 138.

Domine deduc me in justitia tua propter inimicos meos: dirige in conspectu tuo viam meam. *Hebræus legit: propter insidiatores meos,* Psal. 5.

Neque habitabit juxta te malignus, neque permanebunt injusti ante oculos tuos. Psal. 5.

Non est DEUS in conspectu ejus (*hinc quid sequitur*) inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore. Psal. 9.

Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi, ne commovear. Psal. 15.

Erunt

Erunt ut complaceant eloquia oris mei, & meditatio cordis mei in conspectu tuo semper. Psal. 18.

Ad te Domine, Domine, oculi mei; in te sperayi, non auferas animam meam; custodi me à laqueo, quem statuerunt mihi, & à scandalis operantium iniquitatem. Psal. 140.

Contritio, & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognoverunt: *& quâ de causâ?* Non est timor DEI ante oculos eorum. Psal. 13.

Ignis in conspectu ejus exardescet. Psal. 49. *Nimirum Amor DEI.* DEUS cùm egredereris in conspectu populi tui, cùm pertransires in deserto, terra mota est: etenim cæli distillaverunt à facie DEI Sinai, à facie DEI Israël. Psal. 67.

Qui dominatur in virtute sua in æternum, oculi ejus super gentes respiciunt. Psal. 65.

Et dixerunt, non videbit Dominus, nec intelliget DEUS Jacob. Intelligite insipientes in populo, & stulti aliquando sapite. Qui plantavit aurem non audiet? aut qui finxit oculum non considerat? Psal. 93.

Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo. Ps. 89.

In sole posuit tabernaculum suum, & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo, exultavit ut gigas ad currendam viam. A summo cælo egressio ejus, & occursus ejus usque ad summum ejus, nec est qui se abscondat à calore ejus. Psal. 18. *Atque ita imaginare tibi, quòd DEUS ex Solis globo intentos semper in te oculos habeat, & quòd inde tot in te obtutus figat, quot radios emittit.*

Domine in lumine vultus tui ambulabunt: *qui autem ejus rei fructus erunt? duo maximè.* Et in nomine tuo exultabunt tota die. *Lætitia scilicet bonæ conscientiæ:* & in justitia

justitia tua exaltabuntur: *& major in virtute progressus.* Psal. 88.

### *Ad opem in tentationibus flagitandam.*

Erue à framea DEUS animam meam, & de manu canis unicam meam. Psal. 21.

Salva me ex ore leonis, & à cornibus unicornium humilitatem meam. Psal. 21.

Custodi animam meam, & erue me. Psal. 24.

Adjutor meus esto ne derelinquas me, neque despicias me DEUS salutaris meus. Psal. 26.

Exultatio mea, erue me à circumdantibus me. Ps. 31.

Exurgat DEUS, & dissipentur inimici ejus, & fugiant qui oderunt eum à facie ejus. Psal. 67.

Complaceat tibi Domine, ut eruas me, Domine ad adjuvandum me respice. Confundantur & revereantur simul, qui quærunt animam meam, ut auferant eam: convertantur retrorsum, & revereantur, qui volunt mihi mala. Psal. 39.

Adjutor meus, & protector meus tu es Domine, ne tardaveris. Psal. 39.

Exurge Domine adjuva nos, & redime nos propter nomen tuum. Psal. 43.

Adjutor meus, & liberator meus es tu Domine ne moreris. Psal. 69.

Esto mihi in DEUM protectorem, & in locum munitum, ut salvum me facias. Psal. 70.

Qui custodiebant animam meam, consilium fecerunt in unum, dicentes: DEUS dereliquit eum, persequimini & comprehendite eum; quia non est qui eripiat. DEUS

ne elongéris à me; DEUS meus in auxilium meum reſpice. Pſal. 70.

Excita potentiam tuam, & veni, ut ſalvos facias nos. Pſal. 79.

Domine DEUS meus in te ſperavi, ſalvum me fac ex omnibus perſequentibus me, & libera me; ne quando rapiat ut leo animam meam, dum non eſt qui redimat, neque qui ſalvum faciat. Pſal. 7.

Intende ad deprecationem meam, quia humiliatus ſum nimis; libera me à perſequentibus me, quia confortati ſunt ſuper me. Pſal. 142.

Eripe me de manu inimicorum meorum, & à perſequentibus me. Pſal. 30.

Apprehende arma & ſcutum, & exurge in adjutorium mihi; effunde frameam & conclude adversùs eos, qui perſequuntur me: dic animæ meæ, Salus tua ego ſum. Confundantur & revereantur (*ut proprium eſt eorum qui victi ſunt*) quærentes animam meam: avertantur retrorſum, & confundantur cogitantes mihi mala. Pſal. 34.

Diſſipata ſunt oſſa noſtra ſecus infernum (*propter vim tentationum*) quia ad te Domine, Domine, oculi mei in te ſperavi non auferas animam meam. Cuſtodi me à laqueo, quem ſtatuerunt mihi, & à ſcandalis operantium iniquitatem. Pſal. 140.

## *Contra tentationes circa Fidem.*

Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis. Pſal. 118.

Quoniam non cognovi literaturam, introibo in potentias Domini. Pſal. 18.

Fidelis Dominus in omnibus verbis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis. Pſal. 144.

Sicut

Sicut audivimus, sic vidimus in Civitate Domini virtutum, in civitate DEI nostri. Psal. 47. *Quorum verborum hic sensus est.* Sicut audivimus in civitate Domini virtutum, h. e. *In Ecclesia militante*, sic vidimus in civitate DEI nostri, *nimirum in Ecclesia triumphante, & sunt voces Beatorum in cælo. Ejusmodi autem transpositio frequens est apud Hebræos. Sic in Canticis* Nigra sum, sed formosa, sicut Tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis *hoc est*, nigra sum sicut Tabernacula Cedar, sed formosa sicut pelles Salomonis.

Qui descendunt mare in navibus, facientes operationem in aquis multis, ipsi viderunt opera Domini, & mirabilia ejus in profundo. Psal. 106. *Quod est perinde ac dicere, quòd circa ea, ad quæ mentis meæ obtutus non pertingit, attestationem habeo Sanctorum præcellentis doctrinæ.*

Magnus Dominus, & magna virtus ejus, & sapientiæ ejus non est numerus. Psal. 146.

Quàm magnificata sunt opera tua Domine? nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ Psal. 91.

DEUS in sancto via tua. Quis DEUS magnus, sicut DEUS noster? tu es DEUS, qui facis mirabilia. Psal. 76. *Sanctitas Legis & potestas Legislatoris, sunt duo argumenta credibilitatis, omnibus fortassis aliis efficaciora.*

Non est similis tui in Diis Domine, & non est secundùm opera tua. Omnes Gentes, quascunque fecisti, venient & adorabunt coram te Domine, & glorificabunt nomen tuum, quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia, tu es DEUS solus. Psal. 85.

*Contra tentationes circa Prædestinationem.*

Ira in indignatione ejus, & vita in voluntate ejus. Psal. 29.

*Atque ita quod DEUS mihi vult dare, vita est.*

In eo dum convenirent simul adversùm me (*mali Dæmones intelliguntur*) accipere animam meam consiliati sunt. Ego autem in te speravi Domine: dixi DEUS meus es tu; in manibus tuis sortes meæ. Psal. 30.

Benedictus Dominus, quoniam mirificavit misericordiam suam mihi in Civitate munita. Ego autem dixi in excessu mentis meæ: projectus sum à facie oculorum tuorum. Psal. 30 *Tunc dixi me esse reprobatum, quando vis timoris propè phreneticum me reddiderat.*

Homines, & jumenta salvabis Domine, quemadmodum multiplicâsti misericordiam tuam DEUS. Psal. 35. *Igitur & mihi spei aliquid supereſt, etsi jumenti magìs, quàm hominis vitam ducam.*

Duo hæc audivi, quia potestas DEI est, & tibi Domine misericordia; quia tu reddes unicuique juxta opera tua. Psal. 61.

Quoniam non cognovi literaturam, introibo in potentias Domini; Domine memorabor justitiæ tuæ solius. Psal. 70. *Si enim DEUS justus est, nemini potest facere injuriam.*

Existimabam, ut cognoscerem hoc: labor est ante me donec intrem in sanctuarium DEI. Psal. 72.

Ut jumentum factus sum apud te, & ego semper tecum. Psal. 72. *Ad confidendum DEO in eo, quod non intelligimus.*

Quis novit potestatem iræ tuæ? Psal. 89.

Æquitas testimonia tua in æternum: intellectum da mihi & vivam. Psal. 118.

Justus est Dominus in omnibus viis suis, & sanctus in omnibus operibus suis. Psal. 144.

Non

Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia: Domine virtutum, beatus homo, qui sperat in te. Psal. 83. *Idcirco ambulemus coram Domino in puritate, & aliud non quæramus.*

Misericordiam & veritatem diligit DEUS, gratiam & gloriam dabit Dominus. Psal. 83.

Expecta Dominum, & custodi viam ejus, & exaltabit te, ut hæreditate capias terram; cùm perierint peccatores videbis. Psal. 36.

Rectus Dominus DEUS noster, & non est iniquitas in eo. Psal. 91.

Ego autem in Domino speravi: exultabo & lætabor in misericordia tua. Psal. 30.

## *Contra tentationes Iracundiæ.*

Miserere mei Domine, quoniam tribulor: conturbatus est in ira oculus meus, anima mea, & venter meus. Psal. 30.

Desine ab ira & derelinque furorem: noli æmulari ut maligneris, quoniam qui malignantur, exterminabuntur, sustinentes autem Dominum, ipsi hæreditabunt terram. Psal. 36.

Suscipiens mansuetos Dominus, humilians autem peccatores (*i. e. superbos*) usque ad terram. Psal. 146.

Mansueti hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis. Psal. 56.

Exaltabit mansuetos in salutem. Psal. 149.

## *Contra tentationes Vanæ Gloriæ.*

Non veniat mihi pes superbiæ, & manus peccatoris non moveat me. Psal. 35.

Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Psal. 113.

Confige timore tuo carnes meas, à judiciis enim tuis timui. Psal. 118.

*Si extolleris propter virtutem, considera judicia divina.*

Opprobrium abundantibus, & despectio superbis. Psal. 122.

Veritatem requiret Dominus, & retribuet abundanter facientibus superbiam. Psal. 30.

Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam. Psal. 110. *Ita me DEUS alloquitur.*

Populum humilem salvum facies, & oculos superborum humiliabis. Psal. 17.

Superbi iniquè agebant usquequaque. Psal. 118.

Confiteamur nomini sancto tuo, & gloriemur in laude tua. Psal. 105.

Fortitudo & laus mea Dominus. Psal. 117.

Gloria virtutis eorum tu es, & in beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum. Psal. 88.

Gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum, quoniam tu benedices justo. Psal. 5.

Tibi sacrificabo hostiam laudis. Psal. 115. *Illam scilicet laudem, quam vellem tribuere mihi, sacrificabo tibi, & non me laudabo.*

Disperdat Dominus universa labia dolosa, & linguam magniloquam; qui dixerunt; linguam nostram magnificabimus, labia nostra à nobis sunt, quis noster Dominus est? Psal. 11.

Custodiens parvulos Dominus: humiliatus sum, & liberavit me. Psal. 114.

Corripiet me justus in misericordia & increpabit me

(hoc est

(*hoc est, quod desiderare debes: amicum bonum, qui veritatem tibi sine fuco manifestet, & defectus tuos*) oleum autem peccatoris non impinguet caput meum: *neminem autem quærere debes, qui tibi aduletur.* Psal. 40.

Afferte Domino gloriam & honorem, afferte Domino gloriam nomini ejus. Psal. 95.

Domine DEUS meus in æternum confitebor tibi h. e. *laudabo te.* Psal. 29.

Repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam. Psal. 70.

Date gloriam DEO super Israël; *i. e. super omnia beneficia collata Israëli,* Psal. 67.

Gloriemur in laude tua. Psal. 105.

Confitebor tibi Domine in toto corde meo, & glorificabo nomen tuum in æternum. Psal. 85.

Semper laus tua in ore meo. Psal. 33.

Omnis spiritus laudet Dominum. Psal. 105.

## *Contra tentationes Carnis.*

Tota die contristatus ingrediebar, quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus, & non est sanitas in carne mea. Psal. 37.

Insuper & usque ad noctem increpuerunt me renes mei. Psal. 15.

Inflammatum est cor meum, & renes mei commutati sunt, & ego ad nihilum redactus sum, & nescivi. Psal. 72.

In DEO speravi, non timebo quid faciat mihi caro. Psal. 15.

Eripe me de luto ut non infigar. Psal. 68.

Confige timore tuo carnes meas, à judiciis enim tuis timui. Psal. 18.

Rectè

*Rectè additur*, à judiciis &c. *Si attendantur frequentes lapsus carnis, quibus, occulto DEI judicio, labi permissi sunt homines Sancti, Victorinus, Jacobus &c. Et ante hos ipse adeò David.*

Homo cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis. Psal. 48.

## *Contra tentationes Pusillanimitatis & Diffidentiæ in vita spirituali.*

A dextris est mihi ne commovear: propter hoc lætatum est cor meum, & exultavit lingua mea; insuper & caro mea requiescet in spe. Psal. 15.

In te eripiar à tentatione, & in DEO meo transgrediar murum. Psal. 17.

Et si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Psal. 22.

Misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ, ut inhabitem in domo Domini in longitudinem dierum. Psal. 22.

Firmamentum est Dominus timentibus eum. Ps. 24.

In Domino sperans non infirmabor. Psal. 25.

Dominus illuminatio mea & salus mea, quem timebo? Psal. 26.

Dominus virtutem populo suo dabit. Psal. 28.

Fortitudo mea, & refugium meus es tu, & propter nomen tuum deduces me, & enutries me. Psal. 30.

Filij autem hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt. Psal. 35.

Nec enim in gladio suo possederunt terram (*Sancti scilicet non suis viribus cælestem gloriam consecuti sunt*) & brachi-

brachium eorum non salvavit eos: sed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui, quoniam complacuisti in eis. Tu es ipse Rex meus, & DEUS meus (*tu non minùs meus, quàm ipsorum DEUS es: hinc quid sequitur?*) In te inimicos nostros ventilabimus cornu, & in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis. Non enim in arcu meo sperabo, & gladius meus non salvabit me. Psal. 43.

In DEO faciemus virtutem, & ipse ad nihilum deducet tribulantes nos. Psal. 59.

Ipse DEUS meus, & salutaris meus, & susceptor meus, non movebor ampliùs. Psal. 61.

Ego autem semper sperabo, & adjiciam super omnem laudem tuam. Psal. 70.

Montes excelsi cervis, petra refugium herinaciis. Psal. 103. *Hoc est abjicere sese dicendo, quòd nos parati simus facere id tantillum quod possumus, majora aliis permittendo.*

Quis deducet me in civitatem munitam, quis deducet me usque in Idumeam? (*inter inimicos scilicet, quos oportet debellare*) nónne tu DEUS, qui repulisti nos, & non egredieris DEUS in virtutibus nostris? (*tu nimirum DEUS noster, qui non nostris viribus, sed tuo robore vis operari.*) Da nobis auxilium de tribulatione, quia vana salus hominis. In DEO faciemus virtutem, & ipse ad nihilum deducet tribulantes nos. Psal. 59.

Dominus virtutum (*DEUS potentissimus*) nobiscum, susceptor noster DEUS Jacob (*idem ipse DEUS, qui tanta benignitate adstitit Jacobo, peregrino, exuli, persecutiones passo &c.*) Psal. 45.

Verumtamen DEO subjecta esto anima mea, quoniam ab ipso patientia mea, quia ipse DEUS meus, & Salvator meus, adjutor meus, non emigrabo (*non transibo è castris*

*& à vexillo Christi ad vexillum Inimici.)* In DEO salutare meum, & gloria mea, DEUS auxilij mei, & spes mea in DEO est. Psal. 61.

Alieni insurrexerunt adversùm me, & fortes quæsierunt animam meam (*tales sunt mali Dæmones, qui me impugnant*) & non proposuerunt DEUM ante conspectum suum (*non voluerunt advertere, quòd DEUS mecum sit*) ecce enim DEUS adjuvat me, & Dominus susceptor est animæ meæ. Psal. 53.

Mirabilis DEUS in Sanctis suis, DEUS Israel: ipse dabit virtutem, & fortitudinem plebi suæ; Benedictus DEUS. Psal. 67. *Mirabilia quæ DEUS operatus est in Sanctis suis semper animos nobis addere debent, etiamsi nos ipsos cognoscamus ineptissimos ut tales etiam nos evadamus.*

Tu es Domine spes mea. Psal. 90.

Domine non confundar, quoniam invocavi te. Ps. 30.

Si consistant adversùm me castra, non timebit cor meum; si exurgat adversùs me prælium, in hoc ego sperabo. Psal. 26.

DEUS meus adjutor meus, & sperabo in eum. Ps. 17.

In te Domine speravi, non confundar in æternum. Psal. 30.

Domine virtutum: beatus homo qui sperat in te. Psal. 83.

Lætentur omnes, qui sperant in te: in æternum exultabunt & habitabis in eis. Psal. 5.

Sperent in te, qui noverunt nomen tuum, quoniam non dereliquisti quærentes te Domine. Psal. 9.

Qui tribulant me, exultabunt si motus fuero: ego autem in misericordia tua speravi. Psal. 12.

Salvos facis sperantes in te. Psal. 16.

Prote-

Protector est omnium sperantium in se. Psal. 17.

In te speraverunt Patres nostri, speraverunt & liberâsti eos. Psal. 21. *Non satis est incipere sperare, oportet perseverare.*

Sperantem in Domino misericordia circumdabit. Psal. 31.

Gustate & videtè quoniam suavis est Dominus: beatus vir, qui sperat in eo. Psal. 33.

*Ut DEO in memoriam revocemus promissiones nobis factas (quando nos vocavit initio conversionis) adjuvandi nos ad perseverandum.*

Deduxisti nos, quia factus es spes mea: Turris fortitudinis à facie inimici. Psal. 60.

Ne projicias me in tempore senectutis; cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me. Psal. 70.

Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ, & super filium hominis, quem confirmâsti tibi, & non discedimus à te. Psal. 69.

Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ Domine, sicut jurâsti David in veritate tua. Psal. 88.

Memor esto verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti; hæc me consolata est in humilitate mea. Psal. 118.

Fiat misericordia tua, ut consoletur me; secundùm eloquium tuum servo tuo. Psal. 118.

Suscipe me secundùm eloquium tuum, & vivam, & non confundas me ab expectatione mea. Psal. 118.

*Ut se quis soletur, cùm magìs perficiendæ paupertatis studio, multarum se rerum indigum viderit.*

Tu es qui restitues hæreditatem meam mihi. Psal. 15.

Ego autem mendicus sum, & pauper; Dominus solicitus est mei. Psal. 39.

Dominus regit me, & nihil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocavit. Psal. 22.

Jacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet. Psal. 54.

Inclina Domine autem tuam, & exaudi me, quia inops & pauper sum ego. Psal. 85.

In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis. Psal. 118.

Factus est Dominus refugium pauperi, adjutor in opportunitatibus in tribulatione. Psal. 9.

Oculi ejus in pauperem respiciunt. Psal. 9.

Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor. Psal. 9.

Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam dicit Dominus, ponam in salutari (*i. e. stabiliam eos in salute*) fiducialiter agam in eo. Psal. 11.

Bonum mihi lex oris tui super millia auri & argenti. Psal. 118.

Respice in me, & miserere mei; quia unicus & pauper sum ego. Psal. 24.

Iste pauper clamavit (*ego ipse nimirum, aliis occasionibus*) & Dominus exaudivit eum, & de omnibus tribulationibus ejus salvavit eum. Psal. 33.

Parâsti in dulcedine tua pauperi DEUS. Psal. 67.

Ego autem sum pauper & dolens; salus tua suscepit me. Psal. 68.

Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui invenit spolia multa. Psal. 118.

Ego

Ego verò egenus & pauper sum, DEUS adjuva me. Psal. 69.

Parcet pauperi & inopi, & animas pauperum salvas faciet. Psal. 71.

Ne avertatur humilis factus confusus: pauper & inops laudabunt nomen tuum. Psal. 73.

Pater meus, & mater mea dereliquerunt me: Dominus autem assumpsit me. Psal. 26.

Divites eguerunt & esurierunt (*nec enim unquam contenti sunt iis quæ habent*) inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono. (*Quia soli habent, quantum ipsis sufficit.*) Psal. 33.

*Ad addendos nobis animos, ne excusemus nos, cùm corrigimur; aut ne pungamus vicissim, cùm verbis pungimur.*

Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis. Psal. 140.

Ego autem tanquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum, & factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones, quoniam in te speravi. Psal. 73.

Posui ori meo custodiam, cùm consisteret peccator adversùm me. Psal. 38.

Memor esto opprobrij servi tui (quod continui in sinu meo) multarum gentium. Psal. 88.

*Vt excitemus nos, ad relinquendam Superiori nostri curam, postquam necessitatem illi nostram proposuimus.*

Revela Domino viam tuam, & spera in eo, & ipse

faciet. Psal. 36. *Rectè dicitur*, Domino, *Superior enim* DEI *vice fungitur.*

*Ut excitemur ad obediendum alacriter etiam in rebus arduis & molestis.*

Sacrificium & oblationem noluisti, aures autem perfeciſti mihi: holocaustum, & pro peccato non postulasti: Tunc dixi, ecce venio. In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam, DEUS meus volui, & legem tuam in medio cordis mei. Psal. 28. *Quod est perinde ac dicere: Tu* DEUS, *pro peccatis meis poteras me severè punire, & magnum aliquod à me Sacrificium exigere: & tu loco horum contentus es ut obediam; ideo libenter ac promptè &c.*

Ut jumentum factus sum apud te, & ego semper tecum. *Quid hinc sequitur?* Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me. Psal. 72.

Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos. Psal. 39. (*Et idcirco non existimes te profeciſſe in obedientia, donec te ponas in manu* DEI, *ut simili modo tracteris.*) Non audivit populus meus vocem meam, & Israel non intendit mihi: & dimisi eos secundùm desideria cordis eorum: ibunt in adinventionibus suis. Ps. 80.

*Ad addendos sibi animos, ubi quid genio valdè repugnans ferre, aut subire oportuerit.*

Bonum mihi, quia humiliâsti me, ut discam justificationes tuas. Psal. 118.

Cognovi Domine, quia æquitas judicia tua, & in veritate tua humiliâsti me. Psal. 118.

Humilia-

Humiliatus sum usquequaque Domine, vivifica me secundùm verbum tuum. Psal. 118.

Vide humilitatem meam, & laborem meum, & dimittte universa delicta mea. Psal. 24.

Justus es Domine, & rectum judicium tuum. Ps. 118.

Miserere nostri Domine, miserere nostri, quia multùm repleti sumus despectione. Psal. 112.

Tota die verecundia mea contra me est; & confusio faciei meæ cooperuit me. Psal. 43.

Propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oves occisionis. Psal. 43.

Humiliata est in pulvere anima nostra, conglutinatus est in terra venter noster: exurge Domine adjuva nos, & redime nos propter nomen tuum. Psal. 43.

Propter te sustinui opprobrium; operuit confusio faciem meam. Psal. 68.

Tu scis improperium meum, & confusionem meam, & reverentiam meam. Psal. 68.

Improperium expectavit cor meum, & miseriam. Psal. 86.

Afflictus sum, & humiliatus sum nimis; rugiebam à gemitu cordis mei. Psal. 37.

Hunc humiliat, & hunc exaltat, quia calix in manu Domini vini meri plenus mixto; & inclinavit ex hoc in hoc. Verumtamen fæx ejus non est exinanita, bibent omnes peccatores terræ. Psal. 74.

De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput. Psal. 109.

Priu quam humiliarer ego deliqui. Psal. 118. *Et hinc meritò delictum subsecuta est pœna.*

Imple

Imple facies eorum ignominia & quærent nomen tuum Domine. Psal. 82.

Intende ad deprecationem meam, quia humiliatus sum nimis. Psal. 141.

*Ad obfirmandum animum contra gloriam humanam.*

Beatus vir, cujus est nomen Domini spes ejus, & non respexit in vanitates & insanias falsas. Psal. 39. *Nec obtutu quidem eas dignatus est.*

Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus. Psal. 67.

Averte oculos meos, ne videant vanitatem, in via tua vivifica me. Psal. 118.

Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt (*vanitates scilicet istæ: sed hoc falsum est.*) Beatus populus, cujus Dominus DEUS ejus. Psal. 43.

Vidi impium superexaltatum, & elevatum sicut cedros Libani, & transivi, & ecce non erat: quæsivi eum, & non est inventus locus ejus. Psal. 36.

Periit memoria eorum cum sonitu, & Dominus in æternum permanet. Psal. 9.

Velut somnium surgentium Domine in civitate tua, imaginem ipsorum ad nihilum rediges. Psal. 72.

Qui habitat in cælis irridebit eos, & Dominus subsannabit eos. Psal. 2.

Ne timueris, cùm dives factus fuerit homo, & cùm multiplicata fuerit gloria domus ejus; quoniam cùm interierit non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria ejus. Psal. 48.

Dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis. Psal. 75.

Melius

Melius est modicum justo super divitias peccatorum multas. Psal. 36.

### *Ad obfirmandum animum contra timorem mortis.*

Ecce mensurabiles posuisti dies meos, & substantia mea tanquam nihilum ante te: & nunc quæ est expectatio mea? nónne Dominus? & substantia mea apud te est. Psal. 38.

Nunquid qui dormit non adjiciet, ut resurgat? Psal. 40.

Verumtamen DEUS redimet animam meam de manu inferi, cùm acceperit me. Psal. 48.

Ad te omnis caro veniet. Psal. 64.

Quis est homo, qui vivet, & non videbit mortem, eruet animam suam de manu inferi? Psal. 88.

Sol cognovit occasum suum. Psal. 103. i. e. *ipse adeò Christus mortuus est.*

Educ de custodia animam meam: me expectant justi, donec retribuas mihi. Psal. 141.

Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus Psal. 122.

Cùm dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini. Psal. 126.

Beatus vir qui implevit desiderium suum ex ipsis, non confundetur, cùm loquetur inimicis suis in porta. Ps. 126.

Lætatum est cor meum, & exultavit lingua mea, insuper & caro mea requiescet in spe, quoniam non derelinques animam meam in inferno. Psal. 15.

## *Ad petendam à DEO sanctam in religioso DEI famulatu Perseverantiam.*

Unam petij à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. Psal. 26.

Quia melior est dies una in atriis tuis super millia; elegi abjectus esse in domo DEI mei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum. Psal. 83.

Misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ, ut inhabitem in domo Domini in longitudinem dierum. Psal. 22.

## *Ad petendum à DEO spatium Pœnitentiæ ante mortem.*

Remitte mihi ut refrigeter priusquam abeam, & amplius non ero. Psal. 38.

Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes, qui descendunt in infernum: sed nos qui vivimus, benedicimus Domino ex hoc nunc & usque in seculum. Psal. 113.

Ad te Domine clamabo, & ad DEUM meum deprecabor; quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem? nunquid confitebitur tibi pulvis, aut annuntiabit veritatem tuam? Psal. 29.

Convertentur ad vesperam, & famem patientur ut canes. Psal. 58. *Tunc enim mensa divinæ misericordiæ non est amplius parata.*

## *Ad petendam à DEO liberationem ab Inferno.*

Ne perdas cum Impiis DEUS animam meam, & cum viris sanguinum vitam meam. Psal. 25.

Ne tradas bestiis animas confitentes tibi, & animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem. Psal. 83.

Domine,

Domine, ne in furore tua arguas me, sed in ira tua corripias me. Psal. 6. *David pro* sed, *dicit* neque, *& per furorem intelligit Infernum, per iram Purgatorium, ut S. Augustinus explicat, tibi fortassis sufficiet dicere* sed.

Si dereliquero filius tuus legem tuam, & in judiciis tuis non ambulavero; si justitias tuas profanavero, & mandata tua non custodiero; visita in virga iniquitates meas, & in verberibus peccata mea; misericordiam autem tuam non dispergas à me. Psal. 88.

## *Ad petendam à DEO æternam Beatitudinem meritis Sanctissimæ Virginis.*

Respice in me, & miserere mei: da imperium tuum puero tuo, & salvum fac filium ancillæ tuæ. Psal. 85.

O Domine quia ego servus tuus; ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ. Psal. 115.

## *Ad petendam à DEO opem contra Persecutores Religionis.*

Ne taceas, neque compescaris DEUS, quoniam ecce inimici tui sonuerunt, & qui oderunt te, extulerunt caput; super populum tuum malignaverunt consilium, & cogitaverunt adversùs Sanctos tuos: dixerunt, venite, & disperdamus eos de gente, & non memoretur nomen Israël ultra. DEUS meus pone illos ut rotam, & sicut stipulam ante faciem venti. Psal. 82.

Usquequò peccatores Domine, usquequò peccatores gloriabuntur? effabuntur, & loquentur iniquitatem, loquentur omnes qui operantur injustitiam? Populum tuum Domine humiliaverunt, & hæreditatem tuam vexaverunt. Psal. 93.

DEUS virtutum convertere, respice de cælo, & vide, & visita vineam istam: exterminavit eam aper de silva, & singularis ferus depastus est eam. Psal. 79.

*Ad commendandam DEO salutem alicujus ægri.*

Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus. Psal. 40.

*Aut Conversionem Peccatorum.*

Deficiant peccatores à terra, & iniqui ita ut non sint. Psal. 103.

In camo, & freno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te. Psal. 31.

Ne avertas hominem in humilitatem; & dixisti: Convertimini filij hominum. Psal. 89. *i.e. quia dixisti.*

*Ut paucis iterum petamus à DEO gratias ante hac petitas.*

Domine ante te desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus. Psal. 37.

*Ad gratias DEO agendas pro accepta aliqua gratia.*

Non sprevit, neque despexit deprecationem pauperis, nec avertit faciem suam à me: & cùm clamarem ad eum exaudivit me. Psal. 21.

Benedictus Dominus quoniam exaudivit vocem deprecationis meæ. Psal. 27.

Dominus adjutor meus, & protector meus; in ipso speravit cor meum, & adjutus sum. Psal. 27.

Audivit Dominus, & misertus est mei: Dominus factus est adjutor meus. Psal. 29.

Benedi-

Benedictus DEUS, qui non amovit orationem meam, & misericordiam suam à me. Psal. 65.

Voce mea ad Dominum clamavi, & exaudivit me de monte sancto suo. Psal. 3.

Cùm invocarem exaudivit me DEUS justitiæ meæ. Psal. 4.

Exaudivit Dominus deprecationem meam, Dominus orationem meam suscepit. Psal. 6.

Exaudivit de templo sancto suo vocem meam, & clamor meus in conspectu ejus introivit in aures ejus. Psal. 77.

## *Ad solandum se in afflicta valetudine.*

Dedisti metuentibus te significationem ut fugiant à facie arcùs, ut liberentur dilecti tui. Psal. 59.

DEUS noster, DEUS salvos faciendi, & Domini Domini exitus mortis. Psal 67.

Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum; sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea. Psal. 6.

Multiplicatæ sunt infirmitates eorum: *quid inde boni consecutum est?* posttea acceleraverunt. Psal. 15. *i. e. Festinârunt facere bene, cùm adverterent multis morbis utique non diu post mortem successuram.*

Virga tua, & baculus tuus, ipse me consolata sunt. Psal. 22. *Virga castigat pigros; baculus sustentat debiles: utraque, æquali promptitudine, velut à DEO profecta, acceptanda sunt.*

## *Ad agendas DEO gratias post valetudinem ex morbo gravi recuperatam.*

Dominus adjutor meus & protector meus: in ipso speravit

ravit cor meum, & adjutus sum, & refloruit caro mea, & ex voluntate mea confitebor ei. Psal. 37.

Domine DEUS meus clamavi ad te, & sanâsti me. Psal. 29.

Confitebor tibi, quoniam exaudisti me, & factus es mihi in salutem. Psal. 117.

Non moriar, sed vivam, & narrabo opera Domini. Castigans castigavit me Dominus, & morti non tradidit me. Psal. 117.

Misit servum suum, & sanavit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum. Psal. 136.

Exaltas me de portis mortis, ut annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion. Psal. 9.

Benedic anima mea Domino, & noli obliviscì omnes retributiones ejus, qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas, qui redimit de interitu vitam tuam. Psal. 102.

*Ad agnoscendam suam miseriam ob tam serum accessum ad servitutem DEI.*

Et dixi: nunc cœpi (*nimirum post tot annos ætatis, post tot annos in religioso cœtu exactos; unde meritò adjungi potest.*) Hæc mutatio dexteræ excelsi. Psal. 36. *Magna enim utique DEI miseratio est, quod quis tam serò denique resipiscat.*

*Ad se excitandum ad agendam etiam corporis cruciatibus Pœnitentiam.*

Circumdederunt me dolores mortis (*quando peccabam*) & pericula inferni invenerunt me. *Quid idcirco egi?* Tribulationem & dolorem inveni. *Excogitavi modum afligendi & eruciandi memetipsum, &, hac spe nixus,* nomen Domini

Domini invocavi: *magnâ fiducia confugi ad DEUM*: ô Domine libera animam meam. Psal. 114. *Ita locum hunc S. Basilius interpretatus est.* Ego autem cùm mihi molesti essent *(Dæmones suis tentationibus)* induebar cilicio, humiliabam in jejunio animam meam; & oratio mea in sinu meo convertetur. Psal. 34.

Operui in jejunio animam meam, & factum est in opprobrium mihi, & posui vestimentum meum cilicium, & factus sum illis in parabolam. Psal. 68. *Hinc excita te ad non prætermittenda opera pœnalia, etiamsi propterea ab aliis traducaris.*

Cinerem tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miscebam. Psal. 101.

Genua mea infirmata sunt à jejunio, & caro mea immutata est propter oleum. Psal. 108.

Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo. Ps. 6. *Quod est loco quietis capiendæ peccata sua deplorare.*

In flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper, quoniam iniquitatem meam annuntiabo, & cogitabo pro peccato meo. Psal. 35.

Sacrificium DEO spiritus contribulatus. Psal. 50. *i. e. cum corpore tribulatus.*

## *Vt excites te ad non deserendum perfectionis studium pro quacunque re Mundi.*

Spreviſti omnes discedentes à judiciis tuis, quia injusta cogitatio eorum. Psal. 118. *Nota illud* discedentes, *& certus sis, quòd pejus sit Sanctitatem deserere, quàm non amplecti. Nec sine magna causa hoc appellatur* cogitatio injusta, *cùm sit summa injuria, quæ DEO inferatur.*

*Vt*

*Vt excites te ad ſemper proficiendum in virtute.*

Beatus vir, cujus eſt auxilium abs te: aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit in valle lacrymarum, in loco quem poſuit. Etenim benedictionem dabit Legislator: ibunt de virtute in virtutem; videbitur DEUS Deorum in Sion. Pſal. 83.

Tu mandâſti mandata tua cuſtodiri nimis. Pſal. 118.

Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur DEUS. Pſal. 83. *Quò quis progreditur longiùs, hoc plus viæ ſibi ſupereſſe videt.*

*Vt nos excitemus generatim ad ferenda prorſus omnia, quæ nobis ingrata ac moleſta accidunt.*

Qui ſeminant in lacrymis, in exultatione metent. Euntes ibant, & flebant mittentes ſemina ſua; venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos ſuos. Pſal. 125.

Obmutui, & non operui os meum; quoniam tu feciſti: *Nec inſolens tibi videatur, quòd addat*: amove à me plagas tuas. *Nec enim petitur, ut DEUS auferat illas plagas, quas nobis infligit tanquam chirurgus ad nos ſanandos, ſed illas, ad quas nos damnat ut Judex ad nos puniendos, qualis eſt excæcatio intellectus, induratio cordis, & permiſſio caſus in reprobum ſenſum &c.* Tuus eſt dies, & tua eſt nox; æſtatem & ver tu plasmâſti ea. Pſal. 73.

Calix in manu Domini vini meri plenus mixto, & inclinavit ex hoc in hoc. Pſal. 74. *Nota illas voces*: in manu Domini: *& ſolare te.*

Sagittæ tuæ infixæ ſunt mihi (*dum ego tanquam cervus fugitivus proripiebam me à facie tua*) & confirmâſti ſuper me ma-

me manum tuam. Psal. 37. *Tu amantissime Venator assecutus es me, & manum tuam mihi imposuisti.*

Tu es refugium meum à tribulatione quæ circumdedit me. Psal. 31. *i.e. à Dæmonibus libera me, qui in hac afflictione vellent me à te avellere, & idcirco me circumdant.*

Multæ tribulationes justorum, & de omnibus his liberavit eos Dominus. Psal. 33.

Juxta est Dominus iis, qui tribulato sunt corde. Ps. 33.

Clamabit ad me, & ego exaudiam eum (*sic DEUS loquitur*) cum ipso sum in tribulatione. (*quamdiu vivit*) eripiam eum (*in morte*) & glorificabo eum (*in gloria.* Psal. 90.

DEUS noster refugium, & virtus, adjutor in tribulationibus quæ invenerunt nos nimis; propterea non timebimus, dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris. Psal. 45. *i.e. Non timebimus, etsi sursum deorsum totus Mundus vertatur.*

Invoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me. Psal. 49.

Da nobis Domine auxilium de tribulatione, quia vana salus hominis. Psal. 59.

Probâsti nos DEUS, igne nos examinâsti, sicut examinatur argentum. Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro, imposuisti homines super capita nostra. Transivimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium. Psal. 65.

Locutum est cor meum in tribulatione mea: holocausta medullata offeram tibi. Psal. 61. *Nec enim aliud est Sacrificium tam gratum quàm; Pati.*

In die tribulationis meæ DEUM exquisivi, manibus meis nocte contra eum, & non sum deceptus. Psal. 76. *Tempore tribulationis DEUS quodammodo manibus explorabundis*

*bundis quæritur; tandem autem quantumlibet densa in nocte invenitur.* Psal. 76.

Tribulatio & angustia invenerunt me: *quid proinde agendum ad vires & robur obtinendum?* mandata tua meditatio mea est. Psal. 118.

Si ambulavero in medio tribulationis vivificabis me, & super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam (*sic ut nocere mihi non possent, nisi quantum tibi placebat*) & salvum me fecit dextera tua. Psal. 137.

Effundo in conspectu ejus orationem meam (*effundo scilicet coram DEO cor meum*) & tribulatiodem meam ante ipsum pronuntio. Psal. 141i *Ne igitur cures coram hominibus animum tuum pandere.*

Arcum conteret, & confringet arma, & scuta comburet igni. Psal. 45. *Quod est idem ac dicere: erit tandem finis istius belli, quo DEUS nos oppugnat velut inimicus; & pro eo dabit nobis frui æterna pace.*

Fulgura in pluviam fecit. Psal. 134. *Quæ videbantur supplicia, mutabuntur in beneficia.*

Beatus homo, quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum. Psal. 93. *Tribulatione DEUS nostram tollit ignorantiam.*

Disciplina tua correxit me, *antehac* & disciplina tua ipsa me docebit *inposterum.* Psal. 17.

# LAUS DEO.

(*)

# INFERNUS APERTUS

Hominibus Christianis

ut

in illum non descendant,

*Sive*

# CONSIDERATIONES

de Pœnis Infernalibus

propositæ

Et per totius hebdomadæ dies distributæ

Italico sermone

*à quodam*

PATRE SOCIETATIS JESU.

*Latinè redditæ*

*à*

P. MAXIMILIANO RASSLER

EJUSDEM SOCIETATIS

*Descendant in Infernum Viventes, ne descendant Morientes.*

S. Bernardus ad FF. de Monte DEI.

Sumptibus JOANNIS CASPARI BENCARD Bibliop.

Typis MATTHIÆ RIEDL Typogr.

*MONACHII*, ANNO M DCC VI.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Interpres Lectori.

PAucis te volo, mi Lector, quia multis non possum. Negat manus officium, dum mens attonita hæret seriâ æstimatione eorum quæ scripsit. O Peccatum! ô Infernus! O æternitas! Credit quòd sint ista Mundus Christianus: quid tamen verè sint ista, nescit, quia non perpendit, Mundus Christianus. Si seriò perpenderet, si rectè nôsset, quàm mox alius à se evaderet! Utinam hanc ego efficere mutationem possem, & claudere os illud post tantam jam multitudinem devoratam insatiabile! Fortassis aliquid eam ad rem præsens libellus conferet: eâ certè mente latinè à me est redditus. Ejúsne Author sit, qui reliquorum hoc volumine operum, P. Paulus Segneri, dicere non ausim. Sic fama ferebat: sed inter Opera hujus Authoris Parmæ duobus tomis edita subinde illum non reperi. Ejus certè spiritu scriptus est, & si non ab ipso, à P. Petro tamen Pinamontio, Socio Missionum ejus individuo, nisi vehementer fallor, in lucem datus. Lege tu illum, relege, verba

ejus ſingula, ſingulos apices perpende: ſpondeo, nil oberit: non rediget, quod nonnulli metuunt, ad inſaniam; niſi fortè ſanctam illam, quæ Sapientia eſt apud DEUM. O quàm præſtat hæc legendo non peccare, quàm negligendo æternùm, ô æternùm! perire. An operæ non eſt, tantillâ moleſtiâ redimere calamitatem, quâ nulla nec tempore diururnior, nec doloribus acerbior, nec omni ex parte intolerabilior poteſt excogitari?

Deſcende ergo, deſcende, Lector, te ipſo melior rediturus; ne non deſcendendo deſcendas æternùm non exiturus.

Intro-

# Introductio.

INconsideratio, & Ignorantia, tam vultùs lineamentis inter se similes sunt, ut nonnunquam una sumatur pro alia. *Inconsideratio & ignorantia æquiparantur.* Axiomatis locum apud Legisperitos obtinet. Quin ipsæ adeò Sacræ Literæ utrique eosdem effectus tribuunt. Hinc illa ruina, quæ apud Jobum adscribitur Inscientiæ: *Quia nullus intelligit, in æternum peribunt*; apud Jeremiam à Spiritu Sancto adscribitur defectui considerationis, & diligentis cogitationis: *Desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est qui recogitet corde. 12. 1.* Mirum igitur non est, si Peccatores, etsi Fides illos doceat, esse Infernum pro iis qui peccant, peccent nihilominus perinde ac si hoc nescirent. Non enim cogitant. Obstupescebat enimverò Præsul Salvianus, nec capere poterat: *Quid causæ est, ut si quispiam Christianus futura credit, futura non timeat? Si credit quæ dixit DEUS, non timeat, quæ minatur DEUS? lib. 5. de Eccles. Cath.* Magnum prodigium, ait ipse, credere æternitatem suppliciorum destinatam Iniquis, & quiescere tranquillè in iniquitate: habere pro certo quod DEUS dixit, & non timere illud, quod DEUS minatus est. Sed en causam à S. Ambrosio manifestatam: *Nihil timent, quia nihil vident.* Peccatores non timent,

etsi credant; quia oculos clausos habent attentæ considerationi rerum futurarum, & eos unicè defigunt in res præsentes: unde faciunt sicut aspides, quæ oculos habent in temporibus; licet enim videant id quod circa ipsos est, non vident tamen id, quod est ante ipsos, & eos expectat. *Nihil timent, quia nihil vident.* Aliàs quomodo fieri posset, ut cùm sit Infernus in Mundo, in Mundo essent Peccatores? Ingens incendium absumit omne contagium. *Memorare novissima tua, & in æternum non peccabis. Eccl.*

Hinc quæ ars melior claudendi abyssum pœnarum Mortuis, quàm aperire illam considerationi Vivorum? S. Catharina Senensis excessu quodam Zeli desiderabat posse se collocare magno suo impendio ad os Inferni, & illud obturare, ne ulla ampliùs Animarum à dilecto Sponso suo redemptarum in illum incideret. Ego qui tanto Zelo non ardeo, cuperem saltem opponere parvulum hunc Libellum, rogando ex intimo animi sensu DEUM, ut tantum illi virtutis tribuat, ut uni saltem alicui possit claudere immensam illam voraginem, quæ nunquam satiatur devorando. *Infernus dilatavit os suum, & aperuit os suum absque ullo termino. Isa. 5.* Et quia unus ille, quem ego præ aliis omnibus lucrari desidero, tu es, mi Lector, tibi nomine Animæ tuæ, usque adeò oblivioni à te traditæ, ego hæc folia offero, obtestans, ut tantillum quotidie mane temporis invenire cures, quo & legas, & veritates istas tuo commodo penetres. Divisi illum in tot Considerationes, quàm multi sunt hebdomadæ dies; & harum quamlibet divisi in tria puncta, ut distinctio tibi auferat tœdium, & ordo afferat claritatem.

Non credo interim, quòd unquam subire animum possit cogitatio, his in pagellis locum esse posse exaggerationi:

oni: si tamen unquam suspicio ejusmodi animum pulsaret, memineris, pœnas alterius vitæ supra naturam esse, adeóque nec comprehendi, nec explicari posse à nostra mente, & à nostra lingua; & sicut non est oculus, qui unquam viderit, aut auris, quæ unquam audiverit, aut cor, quod unquam conceperit aliquid simile illi gloriæ, quam DEUS præparavit servientibus sibi; sic nec est oculus, nec auris, nec animus; qui ita sibi repræsentare possit pœnas, ut sunt, quas DEUS paratas habet iis, qui ipsum injuriâ affecerint; cùm per hos magna & divina videri debeat ejus Justitia in supplicio, sicut magna & divina videtur ejusdem Misericordia in præmio. *Altitudinem cæli, & profundum abyssi, quis dimensus est. Eccl. 1.* Bona & Mala vitæ futuræ excedunt omnem mensuram præsentis conditionis, & non minùs de eorum intensione, quàm de eorum duratione, quidquid dicatur, infinities semper minus est illo quod reipsa est. *Quidquid vis dicas de æternitate, quia quidquid dixeris, minus dicis. S. Aug. in Psal. 60.*

Potiùs igitur, quàm locum des tam stultæ persuasioni, quâ res hîc repræsentatas vero majores existimes, conare concipere illum timorem, qui solus nos potest reddere securos, quia *qui pavet, cavet; qui negligit, in ea incidit*; ut in hanc rem loquitur Sanctus Bernardus *Serm. ad Cleric. c. 4.* Et ad illum dignè concipiendum ante omnia paucis te commenda divino Spiritui, Virgini Sanctissimæ, & Custodi tuo Angelo: subinde stude aliquanto temporis spatio singulari animi applicatione considerare, & sensim ponderare omnia, non superficie tenus duntaxat eadem attingere: siquidem illa situla, quæ in undas non immergitur, non impletur. Quodsi interdiu aut malus Dæmon aliqua suggestione, aut Socius aliquis Dæmone pe-

jor pravâ invitatione, & exemplo te aggredietur, oppone illi scuti instar veritatem manè consideratam, confestim illam revocando in memoriam. Magna illa cogitatio, quæ si Augustino fides, Ecclesiæ tot Martyres, tot Eremi inquilinos, tot Virgines, tot Pœnitentes dedit, non sufficiet ad dandum tibi tantum virium ut contemnas momentum voluptatis ad evitandam æternitatem dolorum? Spero, si remedia alia tantarum virium non fuerunt, ut quantum opus erat, te juvarent, te isto adjutum iri: id enim nî fiat, aliud isto efficacius parare haud scirem. *Quod non sanat medicamentum, sanat ferrum; quod ferrum non sanat, sanat ignis, quod non sanat ignis, est insanabile.*

Tandem quia Oratio est medium princeps, quo divina Providentia ad nobis benefaciendum utitur; idcirco ad obtinendam istam gratiam summi prorsus momenti, evitandi damnationem æternam, assignatur pro singulis diebus certa quædam precum formula, quæ serviat ad implendum per ipsam monitum à Christo JESU Servatore nobis relictum in isto negotio. *Vigilate, omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia, & stare ante filium hominis. Luc. 21.* Attende tibi semper, aperiendo oculos solicitâ consideratione, ut sis dignus fugere tantum malum, quantum est, damnari æternum; & frui tanto bono, quantum est, æternum esse beatum.

)o(

Con-

# Consideratio I.

## Pro die Dominica.

### Carcer Inferni.

*Angustiæ.*

COnsidera, primam injuriam, quam DEO infert Anima, esse quòd abutatur libertate sibi concessa, violando in DEI oculis præcepta sibi lata, & protestando factis ipsis, quòd nolit servire DEO suo: *Dixisti, non serviam. Jer. 2.* Hinc ad puniendam & vindicandam temeritatem tam detestabilem, fabricatus est ipse DEUS carcerem aliquem subterraneum in imo Universi loco, ubi par erat eum constitui, ut quàm longissimè abesset à cælo. Ibi, quamvis ipse locus satìs amplus sit, damnati tamen non habebunt vel illud solatium, ac laxamentum, quo fruitur aut miser aliquis captivus, suos intra muros obambulando; aut misellus æger, suo in lecto se ex uno in aliud latus obvertendo. Siquidem *Congregabuntur in congregatione unius fascis in lacum, & claudentur ibi in carcere. Isa. 24. v. 22.* Hærebunt ibi compacti in unum fascem, & unus alteri impositus cumulatim tanquam victimæ infelices: & hoc tam propter multitudinem damnatorum, quibus angusta fiet ingens ceteroquin illa fossa; quàm multo magìs propter ipsum ignem, qui ipsis pro compedibus erit & catenis: *Pluet super peccatores laqueos: ignis, & sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum. Psal. 10.* Et præter ista DEUS non concurret cum ipsis ad ullum motum, qui sit vel tantillo refrigerio; cùm nullam ampliùs eorum ra- I.

tionem habeat, perinde ac si jam in Mundo non essent. *Obliviscatur ejus misericordia. Job. 24. v. 21.* Hinc miseri illi non constricti tantùm erunt, sed etiam immobiles, & idcirco si Beatorum aliquis (ut Anselmus ait in libro Similitudinum) tanti erit roboris, ut, si res poscceret, totam loco movere terram posset; Reprobus vicissim quilibet tam erit debilis, ut ne dimovere quidem possit ab oculo vermiculum, qui illum roderet. Habebit igitur carcer ille muros suos latos plus quàm quatuor millia milliarium Italicorum; quanta scilicet est à superficie terræ ad Infernum distantia: si tamen ipsi crassiores non essent subtilissima papyro, tam erunt debiles captivi, ut perfringere illos, & fugâ elabi non possent: *Ligatis manibus & pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores. Matth. 23.* Quæ igitur obsecro conditio erit peccatoris assueti jussa dare, assueti vivere suo arbitrio vel ingratiis DEI sui, dum se videbit clausum in loco tam profundo infra pedes rerum conditarum omnium, infra pedes ipsorum Dæmonum, absque eo quòd unquam per omnem æternitatem recuperaturus sit libertatem illam, quam tam caram habebat? O libertatem detestabilem, quæ desinit in servitutem, quæ non habet finem! Quanto satius erat, modico tempore ferre dulce jugum præceptorum DEI, quàm vivere in æternum constrictum laqueis tam formidandis!

*Tenebræ.*

II. COnsidera, carcerem hunc non tantùm fore angustissimum, sed etiam ultra omnem modum tenebricosum. Erit quidem ibi ignis, sed spoliatus luce, sic ut patiantur quidem oculi ex aspectu horribilissimorum spectro-

spectrorum, sed simul destituantur illo solatio & recreatione, quam afferunt fulgura in mediis terroribus atrocissimarum tempestatum : *Vox Domini intercidentis flammam ignis. Psal. 18.* Verum hoc erit; quia ut affirmat S. Thomas : *ibi erit ardor sine claritate.* Prodigio penitus diverso ab illo, quod patratum olim est in fornace Babylonica; cùm ibi præcepto DEI ademptus fuerit igni ardor, & relicta lux; in Inferno autem igni auferetur lux, & relinquetur ardor. Insuper cùm illiusmet ignis materia sit sulfur, lucem habebit pallidam ac mœstam; & hæc ipsa permixta fumo magni illius incendij, dum sursum deorsum agitabitur & volvetur, implebit totum spatium vacuum cavernæ illius horrendæ, & constituet procellam quandam tenebrarum, juxta illud quod scriptum est : *Hi sunt, quibus procella tenebrarum servata est in æternum. Judæ 13.* Tandem ipsa multitudo corporum accumulatorum magnam partem efficiet noctis illius formidandæ; cùm propè nihil aëris ibi mansurum sit, aut alterius corporis diaphani & transparentis, præter oculos damnatorum, cirumlessorum tenebris, & media parte cœcorum (*S. Th. in 4. dist. 50. q. 1. a. 3.*)

Considera nunc desperationem Peccatoris hac ratione sepulti. *Usque in æternum non videbit lumen. Psal. 58.* O infelicium infelicissimum, qui per omnem planè æternitatem ne tenuissimum quidem amicæ lucis radium aspiciet! satis fuit nox una, ut penitus canum efficeret miserum aliquem captivum; quos ergo effectus producet in miseris illis nox, quam nulla porro dies excipiet? & si inter omnes pœnas Ægypti solæ tenebræ dictæ sunt horribiles; *factæ sunt tenebræ horribiles. Exodi 10. v. 22.*

Quod

quod nomen dabimus nos illis tenebris, quæ non triduo, sed semper durant?

## *Fœtor.*

III. COnsidera, quantum crescat calamitas illius carceris tam angusti, tam obscuri, additamento fœtoris maximi? Inprimis enim confluent illuc tanquam in sentinam aliquam, omnes terræ sordes postquam ultimæ diei ignis eandem Terram penitus purgârit (*S. Th. in 4. dist. 47. q. 2. a. 2.*) Insuper sulfur ipsum, fœtorem efficiet intolerabilem, dum semper in multitudine tam stupenda ardebit. Et denique corpora ipsa damnatorum exhalabunt odorem tam pestiferum, ut unum solum eorum, positum in hoc nostro Mundo, ut S. Bonaventura observat, suffecturum esset ad illum inficiendum: *De cadaveribus eorum ascendet fœtor. Isa. 24. v. 3.* ait Propheta, vocando illorum corpora, etsi viva, Cadavera: viva enim erunt ad pœnam, quam tolerabunt; & simul erunt cadavera propter fœtorem teterrimum, quem exhalabunt. Videndum se obtulit S. Martino Dæmonum aliquis vestitus purpurâ, & redimitus coronâ, cum dicto, sum Christus. (*Sev. Sulpit. in vita*) adora me, quia dignus sum. At Sanctus cæli luce collustratus, respondit: Dominus meus coronatus est spinis, & totus perfusus Sanguine: ego in novo hoc vestium genere non novi illum. Sic detectus malus genius aufugit; fœtorem tamen post se reliquit tam horrendum, ut hic solus Sancto sufficeret ad agnoscendum quis ille fuerit. Si Dæmon unus tam tetrum odorem emisit, qualis erit halitus ille pestifer, quem exhalabit caverna, in qua collecta hæret multidudo Dæmonum & dam-

damnatorum omnium simul ligatorum, quin quidquam ejus fœtoris expiret? Ipse aër diu clausus, sine alio additamento, evadit intolerabilis; judica, qualis futura sit sentina tam multarum, tam putidarum sordium, omnis expers exhalationis. Hæc est habitatio, quam sibi sponte eligunt Peccatores in omne ævum, dummodo brevi somno infames putridæ suæ carnis libidines possint explere. Hæc sunt superba illa palatia, quæ sibi apparant suo fastu illi, qui contemnunt pauperes, & tanquam malè olentes à se abigunt. Hoc carcere permutatur ille Paradisus, qui nobis sanguine Filij DEI emptus tantum valet, quantum valet datum pro eo pretium. O permutationem infelicissimam! ô permutationem, quæ deplorabitur immenso mari lacrymarum sine ullo fructu! *Mortuus est dives, & sepultus est in Inferno.*

## Oratio.

### *Ad Patrem æternum ad evitandum Infernum apertum.*

O Pater cælestis, Domine immensæ magnitudinis, & & Majestatis incomprehensibilis, quæ demum abyssus sinu suo potest continere tot pœnas, ut non sint minores peccatis meis: minores temeritate, quâ tibi fui perduellis, & volui vivere arbitrio meo? Necesse foret, ut illa potentia, quâ me olim extraxisti ex nihilo, & nunc singulis momentis conservas, à te impenderetur ad novum Infernum fabricandum, & carcerem magis horrendum, ut magis responderet puniendæ meæ iniquitati. Ita est, fateor: sed si ego desij esse filius tuus, tu non desiisti

mihi esse Pater. Ad te igitur confugio, & ex intimo corde te oro rogóque, ut placeat tibi destruere, non me peccatorem, in peccato meo, me condemnando; sed meum peccatum in me miserabili, ignoscendo mihi & liberando me à tanto malo. Hoc omnino est opus dignum te, vincere Bonitate tua malitiam meam, & tollere penitus ex Mundo magnum hoc Monstrum iniquitatis meæ; aliter enim si damnabis me, ego quidem moriar, sed malitia mea vivet semper in illis flammis, quin unquam moriatur. Recordare igitur, quòd sum opus manuum tuarum, quæ me effinxerunt ad imaginem tuam; serva igitur, quod tuum est. *Tuus sum ego, salvum me fac.* Si ego gratiam hanc non promereor, promeretur illam tuus ille Filius, quem mihi dedisti Servatorem. Averte vultum à culpis meis, & defige illum in ipsum: aspice in ipso merita illa infinita, quæ ego tibi offero ad satisfaciendum debitis meis, & ad obtinendam tantam gratiam & auxilium, ut in æternum ampliùs non offendam te: sic ut tibi fideliter ad extremum usque momentum serviendo, ope divinæ Misericordiæ tua fiam dignus obtinere locum in cæleſti Paradisi gloria, ubi cum omnibus Electis tibi benedicam, & gratias agam in secula seculorum. Amen.

(o)

Con-

# Consideratio II.

## Pro die Lunæ.

### Ignis.

*Ejus qualitas.*

CONsidera, divinam Justitiam delegisse Ignem tanquam instrumentum aptissimum ad puniendos suos perduelles. I. Etiam inter homines majus isto supplicium excogitatum non est; unde meritò dictum est. *Tormentorum ultimum. Curt. l. 6.* Nihilominus non debes tibi persuadere ignem Inferni nostrati similem esse. Felices, ut sic dicam, Animas illas miseras, si alia non sentirent incendia, quàm illa, quæ nostra in terra accendi possunt! Dives ille damnatus, cujus Evangelica historia meminit, non dicit tantùm in flamma, sed *in hac flamma* se cruciari, indicans peculiarem flammæ illius tartareæ qualitatem. Noster ignis, hominis bono datus est, ut illo utatur ad opera artis, illo vitam suam sustentet: at ignis infernalis conditus est ad vindictam impiorum. *Vindicta carnis impij ignis. Eccl. 7. v. 19.* Noster ignis sæpe conjunctus est cum materia extranea, & parum respondente virtuti illius activæ, unde est instar gladij in vagina. At ignis Inferni erit instar gladij è vaginâ extracti, cùm sit accensus in materia sulfurea & bituminosa quæ semper ardebit violentiâ quadam inexplicabili, haud aliter ac in fulminibus accidit, quæ tantâ vi feruntur, impetu exhalationis illius inflammatæ: *Pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulfure. Apoc. 21.* Tandem ignis noster absumit

id, quod adurit; unde quò est vehementior, tanto est brevior. At ignis ille, in quo semper ardebunt damnati, uret & non consumet; unde à Christo comparatur sali: *Omnes enim igne salientur. Marc. 9. v. 48.* Cruciando enim ardoribus non explicabilibus tanquam flamma, impediet tamen ne corrumpantur damnati, tanquam Sal. Unde si unica ignis nostri scintilla horrorem nobis incutit, si vel brevissimo temporis spatio ferre non possumus flammulam unius candelæ, quomodo manere poterimus æternùm sepulti in incendio supra omnem fidem atroci & violento? O tu, qui propter peccata postremùm admissa, & nondum dolore serio expiata, fide certus es, quòd hoc momento moriens præceps rueres in illam horrendam fornacem, quomodo tandem audebis libellum hunc ante è manibus ponere, quàm ex intimo corde admissarum noxarum te pœniteat? quomodo tantum tibi audaciæ est, ut vel momentum unicum, ne dicam menses totos, hærere velis in statu obnoxij suppliciis Inferni? quomodo ridere potes, quomodo quietem securus capere? *Potes hoc sub casu ducere somnos?*

## Quantitas.

II. COnsidera, quantam vim habiturus sit ille ignis propter suam quantitatem. Cùm enim carcer ille infernalis continere debeat omnia damnatorum corpora quin vel unum penetretur cum altero, necesse est ut sit fossa, quæ plura milliaria in suo ambitu, & secundùm omnem suam dimensionem complectatur, si innumerabilem ibi clausorum captivorum multitudinem attendamus. *Infernus dilatavit Animam suam, & aperuit os suum absque*

*absque ullo termino. Isa. 5. v. 14.* Tota porro ista ingens specus plena debebit esse igne: & si vel ipsæ paleæ, cùm ingens earum cumulus, congeritur, sufficiunt ad fornaces calefaciendas, quid fiet sulfure illo accenso, quod tam vehemens est suâ qualitate, & suâ mole tam vastum? Insuper ignis iste erit ibi clausus, quin effundi possit; unde omnes flammæ ejus repercussione intendentur, & idcirco vi pollebunt incredibili. Quis jam ambigere potest, quin si mons integer in illud caderet incendium, mox ceræ instar liqueseeret? Ita fassus est Dæmonum aliquis Militi id ex eo quærenti (*Cæsarius apud Collect. dist. 6. ex 89.*) & absque isto testimonio suppetit nobis assertio irrefragabilis Spiritus Sancti, qui certos nos reddit, appellando flammam illam devoratricem montium: *Flamma comburens montes. Psal. 82.* Et tamen Peccatores pro eo quòd cohorrescant, ludunt circa illos ignes, perinde ac si essent ignes oblectandis oculis animisque accensi. *Licet ignis ille æstuet, & fluvius flammâ accendatur, nos tamen videmus, & delicias amplectimur.* Ait attonitus S. Joann Chrysostomus *Hom. 55. ad Pop.* An fortassis corpus vobis saxeum, aut durissimo metallo conflatum est? *Nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea ænea est. Job. 7.* Potestis dicere cum Jobo: Si tamen etiam tali essetis conflati, momento in illis ardoribus colliqueseceretis, in quibus vobis habitandum erit semper, nisi ex animo detestemini, & corrigatis vitam perversam. Verum tamen est, quòd parum dixerim, cùm dixi, habitandum vobis semper in illo igne: debebam potiùs dicere, quòd vos, & ego, nisi timeamus & amemus DEUM nostrum, futuri simus quodammodo totus ignis. Flamma siquidem illa tam viva, tam latè sparsa, non foris tantùm nos affliget, ut nunc in terra contingit, sed in

ima penetrabit ossa, & medullas, & intimam nostram substantiam: *Pones eos ut clibanum ignis.* Ait Sacer Vates *Psal. 20.* Erit Damnatorum quilibet tanquam furnus ardens, qui flammas suas intra se, & in sinu suo habet: unde bulliet sanguis ille impurus intra suas venas, cerebrum in suo cranio, cor intra suum pectus, viscera intra corpus illud infelix, quod undique cinctum abyssо flammarum exitum non inveniet. *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante?* Ita *Isaias* interrogat, *cap. 33.* Quis ex vobis poterit habitare cum igne, qui nos devorabit, hoc est, convertet nos quodammodo in se, efficiendo nos totos vivum quoddam incendium? Respondeamus: sed non ante quàm rem omnem seriò perpenderimus.

## *Ejus Elevatio.*

III. COnsidera, omne quod dictum est de vi, quam obtinebit ignis infernalis, tam qualitate, quàm quantitate sua nihil esse in comparatione illius vis, quam acquiret tanquam instrumentum Justitiæ divinæ, quæ illum attollet ultra omnem vim naturalem ad effectus omnino stupendos. *Descendit ignis à DEO de cælo. Apoc. 10.* Ignis infernalis hujus conditionis erit; originem suam habebit ad pedem throni divini, hoc est, accipiet ab ejus omnipotentia vigorem quendam incredibilem, operando non juxta propriam suam activitatem, sed tanquam instrumentum cum activitate & virtute sui Agentis, qui flammis illis tantam vim tribuet, quantam existimabit convenire ad vindicandas suas injurias, & reparandas jacturas suæ gloriæ. *Creatura enim tibi factori deserviens exardescit in tormentum adversùs injustos. Sap. 10. v. 24.* Quodsi ignis est gla-

est gladius, qui cadens suo pondere plagam in hac vita tam magnam infligit, quantam infliget in Inferno vibratus brachio omnipotente? *Si acuero ut fulgur gladium meum? Deut. 32. v. 41.* Hinc etiam est, quòd, etsi corporeus, urat non solùm corpus, sed & animam: sicut enim DEUS utitur aquâ materiali in lavacro Baptismi ad lavandum non solum corpus, sed mundandam etiam animam, & sanctificandam, ita utitur etiam igne, licet materiato, in Inferno, ad puniendam illam immundam & peccatricem. Est igitur incendium infernale effectus omnipotentiæ divinæ contemptæ à Peccatoribus, & signum visibile odij illius infiniti, quod Bonitas divina suo sinu continet adversùs peccatum: est inventio quædam Sapientiæ divinæ ad recuperandum honorem sibi ab Impiis ablatum: & idcirco quis explicare poterit, quousque progressura sint illa tormenta, quæ erunt ictus respondens brachio Altissimi, & inventio digna ejus mente? *Quis novit potestatem iræ tuæ? Psal. 99.* Cùm nos pertingere non possimus ad concipiendam animo illud, quod omnem vim naturæ superat, quomodo poterimus pertingere ad illud explicandum? idcirco care mi Lector, *Miserere animæ tuæ. Eccl. 30. v. 22.* Et si hujus rationem nullam habes, saltem tangat te miseratio ipsius corporis tui, pro quo tam es solicitus omni tempore. Perpende quàm carò tibi constituræ sint voluptates illæ vetitæ, quas tamen indulges carni tuæ, quantamvis repugnante divinâ Lege. Aspice accensam jam fornacem illam sempiternam: jam nunc flatus iræ DEI servit illi pro folle ad augendam sine modo ac mensura vim flammarum illius: jam ardent in illa tam multi propter minora delicta quàm sint tua. Non est idcirco hoc tempus accumulandi novis peccatis novam illis augendis materiem, sed illas se-

las seria pœnitudine & lacrymis extinguendi. *Tempus flendi: Eccl. 3. Væ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis. Luc. 6. v. 25.*

## Oratio.

*Ad æternum Verbum, ut nos liberet ab Inferno.*

O Fili DEI, qui miseratione malorum nostrorum factus es filius hominis, en ovem illam perditam, quam tu Pastor bonus quæsivisti tot laboribus, emisti tam copioso sanguine: hanc tu nunc perire sines, quin aliquam ejus habeas rationem? Non ita sit ò Domine. Tolle potiùs illam in humeros tuos, & ostende toti cælo fructum laborum tuorum, & pretium divinæ vitæ tuæ. Si salutem mihi conferes, lætabuntur Beati omnes, omnes Angeli te laudabunt, & ego per omnem æternitatem cum ipsis misericordias tuas cantabo. Age igitur bone JESU, miserere mei & libera animam meam à faucibus Leonis istius infernalis, qui ad ignominiam tuam me cuperet devorare. *Libera me de ore Leonis.* Verum est, quòd ego te non habuerim pro DEO illo magno, qui re vera es; cùm toties præhabuerim belluinum aliquod desiderium meum divinæ tuæ voluntati: sed doleo ex animo, & detestor hæc omnia, retracto illa, & nulla esse jubeo; solùm quia tu es summum bonum meum, & quia te amo, & volo te amare super omnia, sicut meretur infinita tua perfectio, desiderans simul etiam majorem dolorem, quàm habeam, ad reparandam hoc actu gloriam, quam tibi noxis meis abstuli. Illa igitur Misericordia, quæ te impulit ingenti amore ad suspendendam vindictam, dum admisi

ipsum

ipsum peccatum, hæc etiam nunc te inducat ad mihi penitus ignoscendum, dum ante te me abjicio. Accipio hanc animam, & illam repono in divinis tuis manibus. *In manus tuas Domine commendo spiritum meum.* A manibus DEI vivi, quibus excidere merui, provoco ad manus DEI in Crucem acti, & pro me mortui: istæ me judicent, istæ de me sententiam ferant, hîc manere fixum est, ubi tu tanto amore salutem meam descripsisti ad gaudendum hoc fructu per omnem æternitatem. Amen.

# Consideratio III.

## Pro die Martis,

### Societas.

### *Damnatorum.*

COnsidera ingens tormentum, quod habitationi infernali adjungent habitatores. Vivere cum socio perverso res est usque adeò molesta, ut ipsæ adeò plantæ fixæ in terra ab ea videantur abhorrere, dum recedunt & fugiunt quantum possunt à plantis aliis sibi contrariis. Certum est, quòd Spiritus Sanctus nos securos reddat; tolerabilius esse, vivere cum feris in deserto, quàm vivere cum muliere rixosa & iracunda. *Melius est habitare in terra deserta, quàm cum muliere rixosa & iracunda. Prov. 21. v. 19.* Miser aliquis maritus, qui non audit domi suæ nisi clamores, & lamentationes, sub vesperum invitissi- I.

mus domum revertitur, & horas annos putat, donec iterum domo prodire liceat. Cogita nunc tu, quàm molestum futurum sit, vivere perpetuò cum Damnatis, quando cum uno solo illorum vivere, non dicam in Inferno, sed in ipso adeò Cælo, futura esset pœna intolerabilis. Sicut in Cælo omnes pleni sunt caritate, & se non magis quàm alios amant, sic in Inferno omnes pleni erunt odio, & mutuo sibi volent pessimè, inimicitiâ ejus generis, quæ in æternum non possit mutari pace ac concordiâ: cùm enim ibi leges omnes turbatæ sint, & omnis exulet ratio, non erit ibi nec sanguis, nec cognatio, nec patria, nec vinculum, nec ullum argumenti genus, quod mitigare valeat rabiem illam desperatam. *Spinæ congregatæ igne comburentur. Isa. 33.* Simul erunt tanquam spinæ, quæ se mutuò pungent, se lacerabunt, & nemo non alteri ingens erit tormentum. Quàm irascitur æger illi, qui opem licet rogatus, ferre recusat? quàm furit laborans podagrâ, cùm nullâ curâ & cautelâ tractatur?

Et tamen hæc umbra duntaxat est desperationis miserorum illorum qui invicem erunt & sibi, & aliis molestissimo oneri. Soli clamores & ejulatus, quibus implebunt omnia, sufficient ad eos intolerabiles efficiendos. Mater aliqua quæ tota nocte plorantem & ejulantem audit parvulum filiolum, ferre illum non potest, & licèt illum non minùs quàm se ipsam amet, irascitur, & mala illi precatur. Quales jam imprecationes, quæ furiæ erunt Reprobi alicujus inter tot lamenta, inter tot planctus & ululatus, non dicam jam cari filij, sed multitudinis inimicæ, innumerabilis, nec spatio unius tantùm noctis paucarum horarum, sed spatio noctis sempiternæ? Et tamen est inter Christianos nonnemo tam insanus, qui putet se solatii aliquid

quid

quid inventurum in illo barathro pœnarum ex eo, quòd non solus, sed cum multis illas sit toleraturus? Si ad Infernum detrudar, ajunt, non ero ibi solus. O insani! ô insani! quò plura congeruntur in fornace ligna, an non ardor tanto augetur & crescit ampliùs? *Ex damnatorum multitudine pœna singulorum augetur*: doctrina est S. Thomæ. *in 4. dist. 50. q. 2. a. 1.* Quanto plures erunt, tanto patientur ampliùs, cùm sua quilibet tormenta reflectat in alterum, dolor cujuslibet dolorem alterius reddat graviorem, & miseria unius alterius miseriam geminet. Infelici alicui molesti sunt ipsi adeò vultus carissimorum quorumlibet, & nauseam creant dulcissima illi consolando prolata verba. Et tu mitigationem speras ex consortio & aspectu hostium tuorum infensissimorum?

*Dæmonum.*

CONsidera, acerbiorem adhuc futuram Societatem malorum Dæmonum, tanquam eorum, qui non inimici tantùm, sed carnifices etiam sunt, & ministri Justitiæ divinæ. Isti duplici ratione affligent damnatos, aspectu, & exprobrationibus. Aspectus alicujus Dæmonis usque adeò horribilis est, ut S. Franciscus, cùm unum eorum aliquem vidisset, socio suo Ægidio sit confessus; absque eo quòd DEUS vires alicui præter ordinem conferat, ne per pauca quidem momenta monstri talis aspectum ferri posse, quin ille ipsâ morte stet. *Chron. p. 2. l. 1. p. 4. tit. 14. cap. 5.* S. Antonius in Summa sua, *de Decalog. tract. 1. c. 28.* narrat de Religioso aliquo, quòd cùm Dæmonem vidisset, dixerit, malle se ingredi in fornacem ardentem, quàm denuo eundem, aut alium videre. Sancta II.

Catharina Senensis istud præterea cum Christo loquens affirmabat, quòd potiùs quàm denuo aspiceret horribilem ejusmodi averni formam, parata sit ambulare per viam totam igneam usque ad extremum Mundi diem. Juxta has assertiones sufficeret unicum istorum monstrorum ad formandum & constituendum integrum Infernum: & tamen erunt ibi tanto numero, ut propè infinita videantur. *Hostis meus terribilibus oculis me intuitus est*, ajebat *Job. 16. v. 10.* in persona Peccatoris, trepidantis ad solum aspectum spectrorum tam deformium. Quid jam erit, quando aspectui jungentur irrisiones & opprobria? Incidisti tu quoque in casses nostros, dicent maligni illi ad quemvis istorum infelicium: disce nunc fidere proditoribus: Insane, vinculis constringende, poteras obtinere salutem re tantillâ, restituendo quod tuum non erat; abrumpendo pravum illud consortium; agendo modicam pœnitentiam: & tamen noluisti. Quem accusare potes ut exitij tui causam? tu solus illa fuisti. Maledic jam & morere: sed morere quin unquam vivere desinas, & patere absque ullo fine. Lusor, amissâ omni pecuniâ, omni jacturâ molestius fert opprobria suam ipsi infelicitatem exprobrantis: lacerat tum pagellas lusorias, evertit mensam, fremit, furit, & non timet ipsam adeò vitam ad vindictam sumendam exponere discrimini. Damnati in rabiem quidem agi poterunt, & vindictæ cupiditate accendi, vires autem se vindicandi nullas habebunt. Ringantur licet, necesse erit audire, videre, pati, quin iram in alium exerant. Interim quæ vita erit ista mille mortibus deterior? vivere semper inter hostes tam horribiles, inter Carnifices tam crudeles?

Ecclesia permittit ut separentur à cohabitatione conjuges,

juges, quando inter eos naſcitur inimicitia & feritas non ordinaria, miſerando infelicem ejus conditionem, qui cum ſocio inimico vivere cogitur. Utinam in loco illo infelici miſeratio ejusmodi locum & ipſa habere poſſet, ſic, ut ſi patiuntur miſeri, paterentur ſoli, & ferrent ſecum Infernum ſuum in aliquem terræ angulum, tanquam caveam igneam, unis ipſis deſtinatam! Sed nihil ſpei ſupereſt ad obtinendum hoc bonum: *Peccator videbit, & iraſcetur; dentibus ſuis fremet & tabeſcet*: videbit turpitudinem ſuorum carnificum, audiet injurias, fremet rabie, & ſine ullo fructu tabeſcet: *Deſideriam peccatorum peribit.*

## *Complicum in peccato.*

III. COnſidera, ſupra omnem fidem fore cruciabilem ſocietatem Complicum in delicto; cùm æquum omnino ſit, ut fiat inſtrumentum ſummi cruciatus ad ſatisfaciendum divinæ Juſtitiæ, quisquis Peccatori fuit miniſter deteſtandæ voluptatis ad eandem offendendam. Idcirco furiæ omnium crudeliſſimæ in illa abyſſo erunt procul dubio Amici illi & Amicæ, quorum causâ quis tergum DEO obvertit. Tunc verum fiet id, quod minatus eſt Joſue, ut omni illi, quicunque amicas vellet creaturas, in præjudicium amori debiti ipſi Conditori, illæmet evadant ſudes in oculis: *Sint ſudes in oculis veſtris. Job. 23. v. 13.* Cruciando reos aſpectu, & memoriâ, ſupra omnem aliam quamlibet ſævam carnificinam. Quis ſibi ſatis imaginabitur maledictiones, blaſphemias, execrationes, quas alius in alium conjiciet, dum ſe invicem devorare cuperent?

*Unusquisque carnem brachij sui vorabit : Manasses Ephraim, & Ephraim Manassem ; simul ipsi contra Judam. Isa. 9. v. 20.*

Care mi Lector, DEUS avertat, ne unquam cadas in illud profundum, ut pro me, & te vehementer etiam atque etiam precor. Scias tamen velim jam nunc, si unquam pessima sorte tua eò casurus esses, nullum fore Dæmonem, qui tantum te torqueat, quantum tortura est persona illa tam perditè amata. Vultus ille, quem tu nunc Paradisum appellas, tam tibi teter videbitur, ut ejus respectu ipse tibi Lucifer pulcher videatur. Illi oculi, quos tu nunc tam stultè vocitas tua sidera, sagittæ tunc erunt omni fulmine acutiores. Crines illi, qui merum tibi aurum videntur, mutabuntur in viperas crudeliores omni Dracone : verbo, habebis in illa armamentarium integrum pœnarum, Infernum æqualem, aut etiam deteriorem Inferno reliquo, dum momento quolibet perpendes, pro quantillo putridæ carnis jacturam feceris pulcherrimi vultus divini ; pro quantillo bono te obnoxium reddideris æternæ calamitati. Principium nonnemo victus in bello & captus, cùm videret subditum quendam suum æmulum & victorem, aut tollite hunc, ajebat ad circumstantes, aut miserati meam sortem occidite me. Prô miser Peccator! quam mortem non volens ac lubens subires, ut ex oculis tibi tolleretur illa, quam tu Ethnici potiùs, quàm Poëtæ phrasi, Deam tuam appellabas! Jucundum tibi esset sepeliri in barathro profundissimo; lenimen dolorum tuorum crederes habitare cum draconibus, & societatem ipsorum censeres jucundam. Sed non est malo remedium : maledicere potes illi furiæ, illam detestari & execrati, ab ejus consortio separare te non potes. Interim quid tibi de habitatione ista videtur ? Parricidis olim hoc erat decretum

suppli-

supplicium, ut culeo insuti cum Serpente, Gallo, & Simia in mare abjicerentur. Sed ô mitia Legislatorum humanorum ingenia! non satis intelligunt pœnarum naturam. Aliam societatem invenit Justitia divina ad puniendos suos reos; locum plenum Carnificibus, & supplicio affectis; plenum odio & insultationibus, in medio maris ignei, quod & littore, & fundo caret! Et tamen invenire est, qui talem locum pro domo suo æterna eligant, & ut eligant, contemnunt pulchram illam Jerusalem cælestem. *Lata porta, & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi intrant per eam. Matth. 7. v. 13.* Non vi eò raptantur nolentes; ipsi volentes suis eò pedibus proficiscuntur.

## Oratio,

### *Ad Spiritum Sanctum ad evitandam Damnationem.*

O Spiritus Sanctissime, qui cum Patre & Filio unus solus DEUS es; adoro te ex abysso mei nihili, & demissimè tibi in memoriam revoco, quòd sine gratia tua, ne quidem cogitare quidquam possem, quod conferat ad meam salutem. *Sine tuo Numine, nihil est in homine, nihil est innoxium.* Quomodo igitur sine ope tua superare potero discrimen omnium maximum, cui obnoxius sum æternùm pereundi propter tot peccata mea? Ah Domine, ad te pertinet subvenire debilitati meæ, & est gloria tua, triumphare in me de tuis, & meis inimicis me salvando. An non tu es Spiritus ille Paraclitus & Consolator? quomodo igitur me sines incidere in æternam miseriam? Tu qui es sustentator meus, tu qui ex ventre matris meæ me acceptâsti ut tuum, nunc occludes precibus meis aures tuas?

& non

& non sustinebis eum qui te uno nititur? non ita fiat unquam: Ego in te spero, & scio quia non confundar; dum expecto, ut glorificem misericordiam tuam cum Sanctis tuis in cælo, etsi toties promeritus sum experiri rigorem Justitiæ tuæ cum aliis Reprobis in Inferno. Et quia par non est, ut mei unius memor sim, rogo te etiam pro omnibus Christianis fratribus meis, & tibi non minùs omnes Peccatores, quàm Animam meam commendo. Claude obsecro gratiâ tuâ abyssum illam, quam ipsi culpis suis semper magìs dilatant: illumina mentes eorum, ut cognoscant, quò tandem ducat perversa vita ipsorum: & da illis robur ita sese emendandi, ut servientes tibi in hac vita mereantur semper te frui in beata æternitate. Amen.

# Consideratio IV.

## Pro die Mercurij.

### De Pœna Damni.

*Jactura infinita.*

I. COnsidera ingentem jacturam, quam facit Anima damnata, amittendo DEUM pro omni ævo, & cum ipso amittendo omnia illa gaudia, quæ sperare poterat ex possessione ejus. Quis unquam dignè explicabit, quid sit, in æternum privatum esse summo Bono? Dicere de hoc possumus, quod S. Augustinus dixit de Beatitudine: *Acquiri potest, æstimari non potest.* Ita è diverso etiam

etiam pœna Damni sentiri potest, explicari non potest, non à Reprobis modò, sed ne à Beatis quidem. Hæc pœna re ipsa est Infernus ipsius Inferni, & in ipsa consistit essentia Damnationis, ut S. Thomas docet. *Damnatio ultima consistit in hoc, quòd intellectus hominis totaliter divino lumine privetur, & affectus à divina Bonitate obstinatè avertatur. Opusc. 2. c. 147.* Estque idcirco pœna infinita, sic ut si millies ac millies duplicaretur incendium ignis illius devorantis, tormentum tamen istud nunquam æquaret. *Si mille quis ponat gehennas, nihil tale dicturus est, quale à beatæ illius gloriæ honore repelli. Chrys. hom. 24. in c. 7. Matth.* Eâ omnino ratione, quâ si millies milliésque geminarentur omnia alia cælestis patriæ oblectamenta, nullo modo æquarent illud gaudium, quod in DEO facie ad faciem videndo consistit. Idcirco sicut DEUS non est bonum, quod nos mente complecti possimus, sed bonum omni nostra cogitatione infinities majus, ita malum amissionis DEI non est ejusmodi, quod concipere in hac mortali vita possimus, sed omni nostra cognitione infinities majus: malum, cujus author proximus DEUS ipse est; malum, ut sic dicam, ordinis divini, malum quod DEUS per modum pœnæ ipse constituit. *Est & turpium pœna DEUS*, ait S. Bernardus *l. 5. de Consid. c. 32.* Quo vult indicare; quòd sicut DEUS est suprema Beatitudo Electorum in cælo, ita sit futurus suprema pœna Damnatorum in abysso. Tunc fiet illud terribile divortium, tunc stabilietur æterna illa inimicitia, perpetua illa oppositio inter creaturam & Creatorem. *Vos non populus meus, & ego non ero vester. Os. 2.* Creatura non erit ampliùs Creatoris, quantum ad participandum ab eo ullum genus solatij: Creator non erit ampliùs creaturæ, quantum ad accipiendum ab eo

ullum genus protectionis. Creatura odio habebit, detestabitur, execrabitur DEUM in æternum, quin ab eo possit recedere: & Creator abhorrebit, abjiciet à sese æternùm creaturam, semper tamen illi conjunctus ad eam cruciandam & puniendam. O separationem! ô cunjunctionem! utramque sine comparatione doloriferam: & tamen non timent Peccatores! Officium Judicis Leges appellant, *Authoritatis formidabile ministerium*; *apud Cresol. in Mystog.* quia octo genera pœnarum contra Reos decernere potest; & non timetur ille DEUS, qui postquam sceleratis innumerabiles pœnas decrevit, se ipsum facit eorundem supplicium. *Quis non timebit te, ô Rex gentium? Jer. 10. v. 7.*

## *Jactura summi doloris.*

I. COnsidera, Peccatores nunc parvi facere istam summi Boni jacturam; cùm enim omnia sensibus metiri consueverint, non capiunt illud malum, quod sensibus non percipitur. Præterquam quòd cùm ipsis volupe sit vivere procul à DEO, non intelligunt, quodnam tormentum sit, æternum esse ab eo separatum. Sed in hoc suo judicio, ut in multis aliis, planè se stultos demonstrant. In hac siquidem vita non habemus, nisi cognitionem valde obscuram infinitæ felicitatis, quæ est, frui DEO: cùm Damnati è diverso habituri sint pro suo tormento apprehensionem vivaciſſimam tanti boni; & cùm semper iis obversaturum sit, quòd suâ culpâ illud perdiderint, rabie & desperatione consumentur. Falco quamdiu prædam non videt, non se movet: at ubi eam viderit, ô quanto se impetu vibrat, & conatur rumpere vincula, quibus impeditur,

tur, quo minùs illam assequatur! Præterea hac in vita Anima corporis mole premitur, in eáque detinetur tanquam ignis sub cinere in statu naturali. At expedita membris, tanquam ignis in cuniculo incensus, est in statu violento; & idcirco sicut ille strages & ruinas edit, ut erumpat ex suo illo carcere, sic ista ad jungendum se suo centro, quod est DEUS. *DEUS cordis mei.* Et quia eodem ipso tempore à DEO repellitur tanquam indigna, explicari non potest, quantum illa in se dolorem experiatur, coacta perpetuò hærere extra suum locum. Os aliquod extra suam junctu ram cruciarum affert non explicabilem: cogita igitur omnia illa ducenta & plura ossa, quibus humani corporis moles firmatur, loco suo mota esse: quis explicet, quantum ea res corpori molestiæ afferat? Et tamen hoc non nisi somnium est in comparatione afflictionis, quam sentit Anima ex eo, quòd sit procul à suo fine, qui est DEUS. quanto enim superior corpore est anima, tanto necesse est ejus dolores, corporis doloribus esse acerbiores. Quodsi dolor effectus est divisionis, certum est, quanto arctior erat conjunctio, tanto etiam acerbiorem fore separationem: cùm ergo motus animæ ad DEUM, in quantum hic est suprema felicitas Animæ rationalis (*S. Th. 1.2. q. 9. a. 4. ad 2.*) sit motus naturalis, necessariò consequens est, ab illo, ad quod toto naturæ suæ pondere & impetu fertur, & contrariâ vi, & pro omni tempore separari, futurum tormentum omni comparatione majûs, & duplici ratione infinitum; & propter bonum, quo privat, quod est divinum, & propter tempus, quo pergit eam privare, quod est æternum. Quid dicet proinde infelix Peccator cùm audire contigerit fulmen illud horrendum taralis sententiæ? *Discede à me maledicte in ignem æternum.* Discede maledicte

per omne ævum à me DEO tuo, ut habites cùm inimicis tuis in igne sempiterno. Scimus non semel Matrem redactam in servitutem, dum à filio suo avulsa est, sororem dum à sorore, doloris vehementiâ mortuas concidisse: quam ergo mortem sentiet Anima avulsa à DEO per omnem æternitatem? Sentiet mortem, non illam quæ est finis omnium dolorum; sed illam, quæ est initium dolorum, qui durabunt in æternum.

## *Debita Peccato.*

III. COnsidera, hanc amarissimam separationem, hanc jacturam infinitam peccato justè esse debitam; cùm ipsa iterum in Universo redigat in ordinem, quod culpa perturbaverat. In peccato siquidem duplex malitia intervenit; una est; tergum obvertere Bono increato, nihili ducendo divinam ejus voluntatem, & parvipendendo divinam amicitiam. Altera est, vultum obvertere bono creato; in illo reponendo suum finem, & suam quietem. *Duo mala fecit populus meus*, ait Dominus, *me dereliquerunt fontem aquæ vivæ*, ecce aversionem à DEO, *foderunt sibi cisternas dissipatas. Jer. 2. v. 13.* En conversionem ad creaturam: & in hac duplici malitia consistit malum culpæ lethalis. Utrique huic ordinis perturbationi medetur divina Justitia in Inferno, ubi conversionem ad creaturam punit operâ ipsarum creaturarum; hoc est, operâ ignis, tenebrarum, fœtoris, carceris, Dæmonum, pœnâ sensûs: & punit aversionem à DEO, privando ipso DEO per pœnam Damni. Ex quo consequens est, quòd, cùm sine comparatione major sit prima malitia aversionis à summo Bono, quàm sit secunda, quærentis suam voluptatem in

repus

rebus vetitis, necessariò etiam pœna Damni, quæ respondet primæ malitiæ, absque comparatione major sit pœnâ sensûs, quæ respondet secundæ. Quin imò consequens est, ut cùm aversio à DEO sit injuria quodammodo infinita illata Creatori, pœna quoque Damni illi debita sit quodammodo infinita miseria creaturæ perduellis & damnatæ. Et quia creatura secundùm naturam suam capax non est tantæ pœnæ, quantam meretur hæc injuria DEO per aversionem ab ipso illata, idcirco divina Justitia suâ virtute supplebit, efficiendo, ut mens Damnati vivacissimè apprehendat malum suum, quod semper illi obversetur, quin vel ad momentum aliò possit se avertere. *Evigilabunt in opprobrium, ut videant semper. Dan. 12.* Adjuvando hanc cognitionem infelicissimam, ut summè miseri sint, lumine quodam pœnali, haud aliter ac lumine quodam gloriæ idemmet DEUS adjuvat mentes Beatoram in cælo, ut summè felices evadant. Et hoc nititur diversitas pœnæ, quam sentient Peccatores ex amisso DEO. Nam etsi illum omnes æqualites perdituri sint, nihilominus illi, qui pluriam culparum rei sunt, pluribus etiam capitibus illo privati manebunt; faciétque divina Justitia, ut ipsi tanto magis & meliùs hanc privationem cognoscant, & tanto acerbiorem cruciatum experiantur. Hinc observo, quàm penitus insaniant, qui dum culpas culpis cumulant, se subinde solantur liberè pronuntiando: Perinde est damnari ob unam, quàm ob centum noxas admissas. Infelices! Ita vestri misereatur DEUS, ne præcipites in illam abyssum abeatis; quàm bellè, si secus accidat, observabitis vestro malo inter utrosque discrimen. Qui ob unum peccatum admissum damnatur, unum Infernum patitur tam pœnæ sensûs, quàm pœnæ damni, respondent ium illi culpæ; qui ob cen-

tum peccata damnatur, totidem quasi Infernos patitur, pœnâ utriusque generis respondente mensuræ peccatorum, & perinde habet, ac si tot vicibus damnatus esset, quot sunt tituli, ob quos est damnatus. Si igitur nos discrimen facimus inter eos, qui sanguinem mittunt ex eo quòd scalpello obtusiore aut acutiore aperta sit vena, quòd manu chirurgi aut leviore, aut graviore vulnerati sint, quî tandem fieri potest, ut eò veniamus insaniæ, ut non discernamus inter unam alteramque æternitatem pœnarum, quas excogitavit Sapientia DEI irati suo inimico? Non miror equidem si plus quàm trecenties Sacer Codex Peccatores stultos appellat: digni enim sunt tali nomenclaturâ: & si stulti alij funibus ligantur, ipsi catenis constringendi essent.

## Oratio,

### *Ad JESUM Christum pro Salute consequenda.*

CHriste JESU Servator mi, qui infinitæ misericordiæ tuæ excessu factus es Advocatus meus apud Patrem cælestem, quid aliud ego justiùs à te petere possum, quàm rogare te ut defendas causam tuam? *Judica causam tuam.* Causa revera mea est, quia agitur de æterna mea salute: sed tua etiam est, quia agitur de gloria tua: tunc enim plenè Servator meus es, quando re ipsa salus mihi obtingit. *Ipse erit Salvator meus. Job. 13. v. 16.* Fuit enimvero excessus miserationis infinitæ, impendio sanguinis tui liberâsse me de profundo, in quod me præcipitârunt peccata mea: quid tamen mihi proderit, si ego elapsus manibus tuis in eandem abyssum præceps ruam? *Quæ utilitas in sanguine tuo, dum descendo in corruptionem?* Penes te facultas

cultas est faciendi ne peream, cùm in divinis manibus tuis posítæ sint sortes meæ: *In manibus tuis sortes meæ.* Si proinde claudere vis supplicibus precibus meis aures tuas, necesse erit, ut pro me mutes amabilissimum illud nomen JESU, spei ac dulcedinis plenissimum; necesse erit, delere pro me promissiones illas, quibus spopondisti, quòd velis esse vita mea. Age igitur, JESU esto mihi JESUS & salva me: plus mihi promeritus es boni morte ac cruciatibus tuis, quàm ego sim meritus mali iniquitatibus meis: æquum proinde non est, ut plus valeat debitum meum ad me condemnandum, quàm solutio tam copiosa & abundans ad me salvandum. Igitur amabilissime Redemptor mi, monstra Patri tuo vulnera tua, quæ eum in finem retinuisti in corpore tuo glorioso: roga pro me illam misericordiam, quæ tibi omni jure debetur, ut tuis meritis locupletatus veniam ad gaudendum tecum in æternum fructu laborum tuorum.

Amen.

# Consideratio V.

## Pro die Jovis.

## Vermis Conscientiæ.

*Memoria oblectamentorum præteritorum.*

COnsidera, quòd sicut in cadaveribus ex putredine nascuntur vermes, ita ex corruptione peccati nascatur in Damnatis remorsus quidam perpetuus, qui vocatur I.

catur Vermis conscientiæ, quia rabido quodam despectu cor illis rodet sine ulla cessatione. *Vermis eorum non morietur. Marc. 9.* Quæ sunt verba Christi, tertiùm repetita in eodem sermone, ut pœnæ hujus acerbitatem inde colligamus. Sanctorum sensus est, hac quoque in vita non esse carnificem Peccatoris atrociorem, quàm Conscientiam. *Ipse est pœna sua*, inquit S. Augustinus, *quem torquet conscientia sua*: *In Psal. 36.* & S. Gregorius; *Inter innumerabiles afflictionum molestias nulla est major afflictio, quàm conscientia delictorum. In Psal. 143.* Sed si rem dicere volumus, nunc conscientia potiùs fungitur munere satellitis, evocantis Peccatorem ad Tribunal divinum, quàm munere Carnificis torquentis. Hoc ejus officium erit in Inferno; postquam enim anima erit condemnata sententiâ irrevocabili, divinus Judex *tradet eam tortori*; in manus inquam tortoris istius, qui per omnem æternitatem quietis partem illi nullam relinquet. Iste porro vermis, omni aspide ferocior, tres cordi Damnati plagas infliget, quæ tribus explicari possunt verbis Innocentij III. Pontificis in suo libro de contemptu Mundi: *Affliget memoria, fera turbabit pœnitentia, torquebit angustia. cap. 1.* Affliget memoriâ oblectamentorum præteritorum: ferâ pœnitentiâ peccatorum admissorum; & angustiâ bonarum occasionum neglectarum. Et primò quidem *affliget memoria.* Magnum est tormentum infelici meminisse felicitatis pristinæ: *Ego ille quondam opulentus repentè contritus sum. Job. 16.* Quid dicet proinde Peccator in abysso, quando recordabitur, quod solitus fuerit, omnibus incutere sui timorem, etiam blasphemiis contra DEUM eam in rem usus cum gravi ejus injuriâ; nunc autem sit ita infirmus, ut ne pili quidem intervallo se movere possit in latus alterum? Si memi-

meminerit, antea ad tuendam dignitatem ſuam tot molitum ſe eſſe vindictas, nunc autem ſe rabie emori ſub pedibus malorum Dæmonum; *Vadent, & venient ſuper eum horribiles. Job. 20. v. 25.* nec tamen tanti contemptûs ſenſum ullum poſſe prodere. Priùs ſe datum penitus oblectationibus, gulæ ſuæ appetitum explêſſe omni ſorte crapularum, carnis pruritum omni ſorte impuritatum, fugiſſe quidquid moleſtum erat; nunc autem ſemper ſibi plorandum, ſemper patiendum, ſemper moriendum præ deſperatione. *Crucior in hac flamma.* O memoriam funeſtam! ô permutationem luctuoſam! Utinam ſaltem poſſet, ut hac in vita, diſpellere moleſtas has cogitationes ſomno, mitigare colloquiis, obruere novis oblectamentis! Sed fruſtra hæc. *Qui me comedunt, non dormiunt. Job. 30. v. 17.* Vermis iſte non obdormiſcit; in hoc Tribunali nullæ unquam ſunt feriæ. Non poterit unquam Anima ceſſare à ſuis operationibus; nunquam mentem aliò avertere; neceſſe erit, velit nolit, ſemper hæc memoriâ volvere. Quis proinde concipere poteſt, quale ſpectaculum futurum ſit menti Damnati brevis illa voluptatula, quam à creaturis contra DEI mandatum quaſi furtim decerpſit?

Tellus è cælo empyreo conſpecta ne punctum quidem videtur: qualis ergo videbitur vita noſtra tam brevis aſpecta ex fundo, ut ſic loquar, æternitatis? Si Peccatori ad extremam vitæ lineam admoto vita videtur tanquam ſomnium volans, qualis ipſi videbitur poſt myriades myriadum ſeculorum elapſorum in fornace ardenti tot inter tormenta? Una hora ſufficeret ad reddendam ipſi infeliciſſimam memoriam: *malitia horæ oblivionem fecit luxuriæ magnæ. Eccl. 11. v. 19.* Cogita, qualis infelicitas futura ſit poſt numerum annorum ſemper majorem meminiſſe

boni sordidi, momentanei, præteriti instar umbræ, & permutati cruciatu æterno? Illi qui abjecerunt animam & salutem ut singulari pugnarent certamine, ne sua designatione fraudarentur, ne desererent familiaritatem turpem, ne ignoscerent offendenti, ut familiam aliquanto altiùs eveherent, quid dicent quæso, quando videbunt inter illas tenebras abolitam omnem memoriam familiæ, consumptam à vermibus illam mulierculam, redactam in cineres domum, patriam, terram omnem flammis extremæ diei? Cruciatus futurus esset intolerabilis, elegisse noctem unam transigendam in flammis, ut mille annis vitæ liceret frui omnigenere voluptatum. Qualis igitur, quæso, cruciatus erit elegisse æternitatem vitæ in abysso malorum omnium, dummodo liceret bibere pauculas guttas venenati oblectamenti? *Gustans gustavi paululum mellis, & ecce morior. 1. Reg. 14.* O mortem, quæ finem nescit! ô stultitiam, cui par alia nulla est!

## *Pœnitentia Peccatorum admissorum.*

II Considera secundum vulnus vermis hujus devorantis, quod erit Pœnitentia sera & infructuosa de peccatis admissis. *Sera turbabit Pœnitentia.* Peccatum in hoc Mundo sceleratis res est risu digna. *Quasi per risum stultus operatur scelus. Prov. 10. v. 24.* Non aliud in eo apprehendunt malum, quàm innocentem quandam deformitatem: *Deformitas sine dolore*: & idcirco nonnunquam inde superbiunt, se jactant, perinde ac si maculæ animæ servire ipsis possint, ut maculæ marmoris, pro augmento venustatis. Sed noli dubitare, quin mutaturi sint judicium in profundo Inferni, ubi aspectus monstrosissimus unius

unius culpæ gravis causa erit doloris multo magis inexplicabilis, quàm aspectus omnium aliorum monstrorum infernalium. S. Catharina Genuensis (in vita c. 20.) in hac veritate tantopere illustrata à DEO, dicere ei solebat, ut potiùs momento mortis suæ objiceret sibi deformitatem omnium Dæmonum spectandam, quàm turpitudinem vel minimi actus pugnantis contra divinam ejus voluntatem. Argue idcirco hinc, quantus cruciatus sit futurus intueri æternùm abominationes omnium flagitiorum, quales in se ipsis sunt. Dixi autem primò, intueri æternùm; divina siquidem Justitia affiget intellectum Reprobi ad cogitandum perpetuò malum quod perpetravit, & voluntatem ad illud detestandum, quin unquam alterutram facultatem aliò possit divertere. *Justo DEI judicio omnia peccata memorantur, & de omnibus continuò torquentur*, ait S. Bonaventura *in 4. dist. 50. qu. ult.* Crudelissima fuit illa vindicta Mariti, cui tori fidem conjunx violaverat. Postquam enim eam adegit, ut sua manu strangularet adulterum, in cubiculo, cui eam inclusit, suspendit cadaver, ut ejus aspectu & horribili fœtore enecaretur; quod & factum est. Judica igitur, quanto melius modum se vindicandi inventura sit divina justitia, cujus intentiones omnes infinitâ quâdam rectitudine diriguntur, & non minore sapientiâ. Suspendet illa corpus omnis delicti ante oculos Animarum Damnatarum, volétque ut hæ nunquam non contemplentur suam stultitiam, vivámque semper in ipsis servabit cognitionem, & memoriam perfidiæ earundem. *Statuam contra faciem tuam. Psal. 49. Non ut corrigas, sed ut erubescas. Aug. 16.* Dixi præterea quòd contemplaturæ sint flagitia sua, qualia sunt in se. DEUS enim communicabit cum illis cognitionem & notitiam, quam ipse habet:

bet: unde talis apparebit ipsis sua culpa, qualis DEO; nimirum ut abyssus omnis turpitudinis & malitiæ; & nullo modo apparebit ut nunc, malum nullius momenti. *Tunc confusio respiciet æstimationem DEI. S. Th. q. 87. suppl. a. 1. ad 4.* Sic ut miseri contemplantes parte unâ regulam omnis bonitatis, quæ est voluntas DEI; alterâ verò parte repugnantiam non flectendam, quâ ipsi dissident ab illa regula, tali oppositione summam sibi calamitatem sint fabricaturi. *Posuisti me contrarium tibi, & factus sum mihimetipsi gravis. Job. 7. v. 20.* Et licet æternùm deploraturi sint suas iniquitates, nunquam tamen cum illo redibunt in gratiam aut concordiam: nec enim in iniquitatibus illis displicebit aliud, quam quod placet DEO, hoc est pœna: & placebit illis quod DEO displicet, nimirum culpa. *Nunquam recto, pravóque conveniet: hæc enim sibi invicem adversantur.* Ait S. Bernardus *l. 5. de Consid. c. 11.* O igitur conditionem miseriæ infinitæ, semper cognoscere malignitatem peccati, & semper tamen illi locum dare! dolere semper de admisso scelere, & semper scelera sceleribus cumulare! *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper. Psal. 73.* Ad istam æternam, & infructuosissimam pœnitudinem, ô Peccatores, vestra vos deducit iniquitas: & nihilominus pro eo, quòd ab hac via recedatis seriâ & utili pœnitentiâ, semper in ea progredimini aliis & aliis novis peccatis. Quid dicam vobis? Non suppetunt mihi verba quibus exprimam hanc omnis sensûs expertem stoliditatem, quòd homo, etsi tantâ curâ & solicitudine fugiat mala momenti nullius, quærat nihilominus incredibili temeritate pericula tam horrenda. An naturam forsan mutavimus, ubi agitur de salute & æternitate? O Dæmon execrande, ubi tu reperisti veneficium tam potens, ut omnem

mnem judicandi facultatem Peccatoribus auferat? Care mi Lector, imprime characteribus non delendis memoriæ tuæ hac voces: *Respice finem.* Non respice modicum illud dulcedinis, quod secum fert peccatum, sed respice pœnitudinem illam sempiternam, quæ sequetur peccatum in Inferno. *Respice, respice finem.*

## *Occasiones bonæ neglectæ.*

COnsidera tertiam plagam, quam in Damnatis efficit Vermis Conscientiæ, & est, angustia quædam inexplicabilis ob neglectas tam egregias occasiones salutem consequendi; cùm tamen tunc non appareat vel unica, propterea quòd juramento DEI, cujus vita finem nullum habebit, stabilitum sit, nunquam ampliùs venturum tempus, quo præteritæ negligentiæ mederi liceat. *Juravit per viventem in secula seculorum, quia tempus non erit ampliùs. Apoc. 10. v. 6.* Hoc est, quod ponderosissimâ desperatione ex miserorum cordibus inconsolabilem planctum exprimit: *Torquet angustia: Tempus non erit ampliùs.* Ingemuit quondam tam flebiliter, ut vel saxa ad miserationem movere potuisset, vox quædam, quæ à certa Anima profecta aures viri Religiosissimi perculit: à quo interrogata quæ esset, & quæ doloris ejus causa? respondit: Sum anima damnata, & defleo cum sociis meis supra omnem aliam calamitatem tempus amissum, quod in æternum non redibit. *(Drexel. de Damnat. Rogoc. 3.)* O igitur pretiosum tempus, & tam malè nihilominus impensum in ludis, amoribus, colloquiis, oblectamentis, peccatis! Tu eris vipera illa omnium sævissima, quæ cor nostrum veneno in-

III.

no inficiat, ubi miseros damnari contigerit! quo pretio & conditionibus non redimeremus dimidiam horulam, quâ veniam peteremus à DEO, coram Sacerdote nos accusaremus, voluntariis pœnis maceraremus nostrum corpus? Si fieri posset ut finem acciperet æternitas, contenti essemus unam integram transigere in cruciatibus duplicatis ad impetrandam dimidiam hanc pœnitentiæ horam; & tamen tunc nullâ ratione fieri poterit, quod priùs fieri tam facilè poterat. *Tempus non erit amplius.* Interim amisisse non siniſtro aliquo & adverso casu, sed arbitrio proprio abjecisse talem tantúmque thesaurum, sine ulla spe illum unquam recuperandi, efficiet ut miseri tartarea rabie pessimè precentur nunc DEO, quem oderunt tanquam inimicum; nunc Dæmonibus, quos execrantur ut proditores; nunc Sodalibus, qui ad malum duces fuerunt, nunc super omnes reliquos sibi ipsis, qui apertis oculis præcipitare se voluerint in illam abyssum tormentorum. Ah stultum, dicet quilibet, ah miserabilem me, quem non piguit momento spurcæ voluptatulæ permutare æternitatem cruciatuum! an non id inculcabant Confessarij, non ingeminabant libri pij, non me certum reddebat Fides finem peccati esse damnationem æternam? Et ego insensatus, ego bellua execrabilis nolui aperire oculos ad bonum meum, sed deliberata voluntate æternùm perire volui! Fuit cùm Deus me vocabat tot inspirationibus, me hortabatur tot vocibus, me provocabat tot promissis, terrebat tot minis; & ego ad hæc omnia obsurdui. Nunc etsi orem, etsi agam omnia, etsi mare integrum lacrymarum profundam, non obtinebo tamen illud bonũ, quod unicâ quondam lacrymulâ impetrare potuissem: erit semper ferreus & inexorabilis DEVS, qui tantopere olim meas miserias miserabatur, ut sæpius

pius lacrymas idcirco profuderit. Utinam saltem mortem hîc aliquam invenire esset, quæ finem tantis malis afferret! erit autem mors quidem pro tormento, sed non qualem miseri optarent pro refrigerio: *Occidente pœná, vivificante sententiâ. Eus. Emiss. l. 1. ad Mon.* Et idcirco aliud tibi non supererit, quam admordere, & devorare præ dolore linguam, quæ sola in tuo manebit arbitrio: *Manducaverunt linguas suas præ dolore. Apoc. 16.* Ante Mundi cataclysmum quidam DEI Servi ut nunciarent Peccatoribus imminens illud malum, insculpserunt marmori suum vaticinium: nec tamen fides ipsis est habita, donec ruptis cæli cataractis omnes denique suffocati fuerunt iniqui. *Berosus l. 1. apud P. Pereiriam in Gen. l. 8. in Præf. n. 3.* Ego non desistentibus peccare denuntio diluvium, sed ignis sempiternum; tempestatem perpetuam malorum omnium: & meam denuntiationem non marmori, sed his foliis incido. Faxit bonus DEUS ut fidem inveniam antequam prætereat tempus evitandi tam immane supplicium!

## Oratio.

### *Ad Angelum Custodem pro impetrando auxilio ad evitandum Infernum.*

O Sancte Angele, cujus manibus singulari DEI mei providentiâ jam inde à primo, quo lucem aspexi, momento commissus sum, quando unquam, quantas debeo, gratias tibi agere potero propterea quòd toties me liberâris ab Inferno, quoties cavisti ne morerer in peccato! Quàm multa insuper admisissem alia peccata, nisi tuæ obstitussent inspirationes? & quoties mihi iisdem in peccatis ani-

tis animam extorsisset malus Dæmon, si tu Protector meus, ad omne bonum meum tam sedulò excubans, tuâ mihi caritate non adstitisses, & divinam impedîsses Justitiam, ne me in illorum manus traderet? Vita mea noxarum suarum fœtore longè te fugabat à me, tu tamen noluisti recedere à cadavere putrido, sed patientiâ incomparabili instigâsti me, ut vitam emendarem, quò denique socius tuus esse possem in gloria. Hoc si contingat, polliceor sanè, me tunc æternas tibi acturum gratias; sicut jam nunc incipio ex corde: interim tamen quæso ne fatigeris, ô dux vitæ meæ, & in hac peregrinatione fidus anteambulo: perfice opus tuum, introduc me in beatum illam patriam; libera me ab hoc inimico crudeli, qui dies noctésque circuit, ut me devoret. Oro te per omnem illam obligationem, quâ devinctus DEO es, & ejus infinitæ Bonitati, ex eo quòd non permiserit, ut caderes cum Angelis Reprobis, sed te custodierit fortiter cum Electis; custodi me quoque fortiter, animos, robur, & vigorem suggere. Voca in subsidium, tuum, & meum, Principem Militiæ cælestis Sanctum Michaëlem, ut iterum præcipitem agat in abyssum Dæmonem istum perduellem, qui semper me impugnat. Voca Angelos Sanctos omnes socios tuos, dum mecum agitur de summo negotio: agitur de Gloria DEI; agitur de servandâ animâ manibus tuis creditâ; agitur de explendo desiderio Servatoris mei, qui tanta in me caritate fertur, ut paratus sit, mortem denuo pro salute mea obire. Mihi parte mea fixum ratúmque est nunquam recedere à ductu tuo, sed semper pendere à te; & spero hoc medio effugere damnationem æternam, & venire tecum ad possidendum & laudandum DEUM nostrum per

secula seculorum. Amen.

Con-

# Consideratio VI.

## Pro die Veneris.

### Desperatio.

*Propter Extensionem pœnarum.*

COnsidera, quòd etsi homo in hac vita ferre potest multa mala, non potest tamen simul ferre omnia; hîc enim malum unum medetur alteri, & nonnunquam duo venena unum conflant alexipharmacum. At in Inferno alia evenient omnia; pœna ibi una manum alteri porriget, & Damnati erunt tanquam totidem vasa plena usque ad summum irâ DEI. *Vasa iræ. Rom. 9.* Sicut enim in Cælo res omnes ac singulæ erunt materia gaudij, sic in abysso illa, omnia ac singula, teste S. Thoma *in 4. dist. 50. q. 2. art. 2.* erunt materia tristitiæ: nec ibi quidquam deerit, quod infelicissimam reddere possit animam, ad hoc ut miseria Reproborum ex omni parte completa sit; sicut in cælo omni ex parte perfecta erit Beatitudo Electorum. Hunc in finem colliget DEUS omnes pœnas ac supplicia in fascem unum, ut eum imponat in humeros illorum infelicium perduellium, & fulmina omnia Armamentarij Justitiæ suæ vibrabit, ad eos percutiendos ex omni parte, & nihil in iis absque peculiari sua plaga relinquendum. *Congregabo super eos mala, & sagittas meas complebo in eis. Deut. 32.* Sufficeret solus ignis ad eos infelicissimos constituendos; in eo enim Damnati habebunt plus sine comparatione doloris, quàm ex omnibus lanienis, quas unqam excogitare possent aut homines, aut Dæmones; cùm ille sit inventum DEI. *Præparata est enim Tophet, à* I.

*Rege præparata, profunda, & dilatata; nutrimenta ejus ignis, & flatus Domini sicut torrens sulfuris succendens eam. Isa. 30. v. 33.* Nihilominus plus adhuc meretur eorum perversitas: & sicut membris omnibus, & omnibus facultatibus abusi sunt ad peccandum, ita in membris omnibus in omnibus facultatibus digni sunt puniri tot doloribus, ut Propheta eos existimârit innumerabiles: *Quis poterit pra timore iram tuam dinumerare? Psal. 99.* Idcirco præter id, quod hactenus consideratum est circa sensus externos, facultates internæ, ut perfectiores, ita & doloris multo magis capaces, magis etiam cruciabuntur. Facultas imaginatrix semper affligetur imaginibus terribilibus; & si quis atrâ bile, cui quis hac in vita obnoxius vivat, diu noctúque funesta sibi intus simulacra objicit, quid fiet malis omnibus conspirantibus; quando Damnatus videbit supra se cælum clausum, infra se ignem inextinguibilem, circa se Diabolos intolerandos, intra se pœnas consolationem omnem respuentes? Appetitus sensûs perpetuo velut fluxu & refluxu agitabitur, imò tanquam in continuo naufragio tœdiorum, agoniarum, tabiei, angustiarum, expositus ictibus omnibus Justitiæ divinæ, quin vel ab uno tueri se possit. O DEUS! si gutta una aquæ assiduò destillans in saxum durissimum, tamen illud excavat, quid efficiet in infelicibus animis diluvium æternum malorum omnium, velut stipendio conductorum ad vindicandas injurias illatas Conditori? *Fluet super illos bellum suum. Job. 30.* Intellectus eorum plenus erit horribilibus tenebris internis, plus quàm plenus sit tenebris externis eorum career, & omnium quæ olim noverant, memores non erunt, nisi quantum servient ad eos ampliùs excruciandos. *Nec scientia*

*erit*

*erit apud inferos. Eccl. 9.* Magni nominis Doctor Parisiensis, cùm Episcopo spectabilis appareret, fassus est, se in Inferno jam aliud nescire, quàm quòd damnatus sit, & quod nunquam ullo bono sit fruiturus. Voluntas in sua malitia erit obstinata, sic ut per omnem deinceps, quanta quanta erit æternitatem, ne minimum quidem erga bonum ullum honestum affectum sit expertura; quin imò semper peccata peccatis accumulans, quanto magis est depressa à DEO, tanto magis se contra eum attollens odio ac superbiâ, miseriam & calamitatem suam retinebit æternam. *Quid tam pœnale, quàm semper velle, quod nunquam erit; & semper nolle, quod nunquam non erit?* Ajebat S. Bernardus *l. 5. de Consid. c. 12.* Desiderabit siquidem Anima semper aut oblectamenta, aut vindictam; & suo desiderio potiri nunquam poterit. Odio habebit semper Justitiam & supplicium; & nec hoc, nec illâ carere unquam poterit. *In æternum non obtinebit, quod vult; & quod non vult, in æternum nihilominus sustinebit. id. ib.* Si misella humiliare se posset sub potenti manu DEI, & osculari illam dextram, quæ tam justè ipsam flagellat, mitigaret dolores suos; sicut illos mitigant Sanctæ illæ animæ purgantium ignium ergastulo clausæ: at proterva semper majoribus furiis agitur, & bufonis instar inter ictus cum veneno rabiem geminat: redit identidem ad evertendum decretum divinum, & semper fruſtra conatur; cùm vellet evitare pœnam absque eo quòd abhorreat à culpa: & quia perturbationes omnes sine freno sunt, omnes se cum Anima conjungunt ad novum assultum, & omnes semper infinito cum dolore repelluntur. *Nunquam recto pravóque convenit. Bern. l. c.* Qualis proinde erit infelicium illarum creaturarum desperatio in æterna repulsa cujuslibet earum de-

siderij, quando videbunt, quòd omnibus seculis post tot pœnas ac supplicia DEUS ipsis ne guttulam quidem leniminis sit concessurus? En finem, ad quem perducit spes falsa peccantium, operandi semper malè, & habendi semper bene; perseverandi in peccatis usque ad mortem, & accipiendi pro mercede salutem; multiplicandi Servatori suo semper nova vulnera; & expectare semper tanquam ex arbore vulnerata balsamum benignitatis. *Fili non semines mala in sulcis justitiæ, & non metes eam in septuplum. Eccl. 7. v. 3.* Hoc est consilium, quod divina tibi misericordia suggerit. Non semina peccata, & non metes supplicia multiplicata. Cura igitur ut in rem tuam ista vertas: spes enim quæ multiplicat iniquitatem, desinit tandem in æternam desperationem.

## *Propter Intensionem earundem.*

II COnsidera, jure ac merito Infernum ab infelici illo Divite appellatum esse, *locum tormentorum*: ipse enim centrum est malorum omnium. Quare sicut res, quæ in centro suo sunt, fortiores quàm ullo alio loco sunt, vimque agendi habent, quàm habere possunt maximam; sic mala, quæ in Inferno erunt, non erunt solùm numero innumerabilia, sed etiam supra omnem comparationem intensa & pura. Ibi inprimis pœnæ nihil habebunt, quod cum ipsis pugnet, easque leniat, sed erunt meræ pœnæ sine mixtura ullius solatij, perinde ac in cælo gaudia, mera erunt gaudia sine mixtura ullius tristitiæ. Insuper ipsa ibi bona mutabuntur in mala. Societas, quæ alibi miserorum solatium est, ibi summæ erit molestiæ: lux quæ alibi tam pulchra est, ibi plus quàm ipsæ tenebræ odio habebitur:

tur: cognitio quæ alibi suâ scientiâ oblectat, ibi plus cruciabit quàm ipsa ignorantia; sic ut mors, quæ ceteroquin omnium terribilium terribilissimum est, in illa rerum omnium perturbatione omnium votorum summa futura sit. Hac in vita dolores aut non sunt longi, aut non sunt vehementes: natura enim aut illis assuefit, aut illos vincit, aut cadit sub onere & extinguitur. *Brevis morbus alterutrum facit, aut extinguetur, aut extinguet. Sen. Ep. 78.* At in Inferno leges cum his omnino pugnantes sunt; cùm ibi dolores uno eodémque semper in statu futuri sint, intolerandi intensione, interminabiles duratione; nec tempore leniùs fiet pati, nec tempore consumentur patientes. *In Inferno nulla est redemptio.* Ibi sicut nihil est moderatum in lanienis, ita nihil est quietis in reis, qui semper eodem modo non tantùm vivi, sed vivaces conservantur, ut sentiant suam miseriam, nec vel momento temporis eam valeant declinare. *Ut urantur, & sentiant usque in sempiternum. Jud. 16. v. 21.* Sic exigit Majestas divina contempta à Peccatoribus: sic postulat Sanguis Christi JESU conculcatus; sic cælum spretum, & posthabitum stercori. Divina Justitia, quæ nutrix est reparatrix & honoris divini, ulciscendas sibi sumit istas injurias, séque qualis est cognoscendam præbet: *Cognoscetur Dominus judicia faciens. Psal. 9.* Sic ut miseri illi, qui tam malè cognoverunt DEUM, & quem nunquam visuri sunt, cognituri illum sint ex gravitate ictuum, qui toto in eos pondere incumbent; & quasi sensibus eum percepturi in vulneribus, quæ in Animabus ipsorum quodammodo sculpit. Interim persuadere tibi potes, Lector mi care, quòd si pœna ullius illorum miserorum divideretur inter omnes, qui in terris degunt, mortales, suffecturum esset id, quod cuique obveniret, ad mor-

tem illi majori cum cruciatu inferendam, quàm ullus unquam reus exantlârit: & hinc argue, qualis futura sit desperatio, quam unica animarum damnatarum experietur; quæ suâ culpâ inveniet se vivam sepultam æternùm in doloribus tam omnem mensuram excedentibus. Sicut Nobili delicato in pœnam excessuum admissorũ nascitur intra viscera lapillus, ferre non potest unam illarum punctionum, fremit, in lecto se serpentis instar conglomerat, damnat sortem suam, & ipsa etiam lenimina fastidit. Et tamen lectus est plumeus, cubiculum tepidum; amici consolantur, Medici spe recreant, remediis sublevant, Uxor servit magno amore, domus tota diu noctuque occupata est in malo leniendo: & ille aliud non patitur, quàm levem vellicationem in parte minimâ corporis, ceteroquin integri ac sani. Isto quid jam fiet quando damnatus sepelietur in abysso ignis, tenebrarum, fœtoris, percussus in omni parte corporis, & in tota sua anima omni genere malorum? *Omnis dolor irruet super eum. Job. 20. v. 22.* Et ibi inter execrationem sociorum tam exosorum, inter ictus & illusiones Dæmonum tam crudelium, inter clamores tam multorum putitorum sine solatio, sine spe, cogetur omni momento pati mille mortes. Istas veritates post tot argumenta, quæ nobis illas affirmant, non credere, extrema dementia est: judicatu, quæ dementia futura sit, illas credere, & tantùm non semper vivere in peccato: hoc est, vivere tam procul ab illo barathro, quàm procul est mortuus à tumulo: siquidem non minùs debetur Peccatori, sepeliri in illa abysso, quàm debeatur cadaveri, abjici in sepulchrum. Magna res est, quòd nostra malitia adegerit DEUM tam bonum ad fabricandum locum talium tantarúmque pœnarum, ut ipsi Peccatores obtemperarent, ipsum amarent. Sed

quanto

quanto est mirabilius, quòd etiam postquam tot pœnarum locum est fabricatus, tamen ipsum Peccatores non ament, ipsi non obtemperent?

*Propter comparationem cum Gloria.*

COnsidera, ultimum complementum Desperationis Damnatorum formatum iri ex ipsa Gloria Electorum in cælo. *Elevans oculos suos, cum esset in tormentis, vidit Abraham à longè, & Lazarum in sinu ejus. Luc. 16. v. 23.* Hic aspectus crudeli antiperistasi exacerbabit tormenta illorum infelicium, qui pari ferè odio ferentur in miseriam propriam, & summam felicitatem alienam. Nam etsi DEUM nunquam viderint, tamen pro majori suo tormento impressam habebunt animo cognitionem vivacissimam magni illius boni, quod in æterna ejus possessione consistit; & hæc ipsa cognitio clariot fiet ultimo Mundi die, quando intuebuntur glorioſam Christi JESU humanitatem, quæ ipsis erit terrori iniomparabili, simúlque per ipsum tanquam opus DEI omnium maximum apprehendent insuper magnitutinem Majestatis divinæ, & quod consequens est, Beatitudinem Prædestinatorum, quâ hi æternùm fruentur. *S. Tho. quoll. 8. q. 7. n. 17.* Parte alterâ Invidia, sicut omnia alia vitia spiritualia, in Damnatis erit vehementissima, & hæc alterum quodammodo Infernum in his malè fortunatorum cordibus efficiet: *Dura sicut Infernus æmulatio*: dum ipsis in tormentum vertet, quidquid boni possident Sancti, & faciet ut infinita rabie illos desiderent habere socios suorum tormentorum. Judæis ex eo solùm, quòd se S. Stephano inimita disceptatione inferiores fuisse viderent, disrumpebatur cor & viscera, fremebántque III.

bántque contra eum: *Dissecabantur cordibus, & stridebant dentibus in eum. Act. 7. 54.* Unde facile erit colligere, qualis futura sit rabies Reproborum, quando memoriæ occurret inexplicabilis triumphus Electorum. Enimvero si pœna hæc non esset futura acerbissima, Sacræ Litteræ non toties ejus, ad terrorem nobis incutiendum, meminissent. S. Joannes in Apocalypsi sua asserit, Reprobos torquendos diu noctúque in conspectu Angelorum Sanctorum, & Christi Judicis: *Cruciabuntur igne & sulfure in conspectu Angelorum Sanctorum, & ante conspectum Agni. Apoc. 14.* S. Paulus affirmat, eum qui non obedierit Evangelio, luiturum suam temeritatem supplicio æterno ante faciem Omnipotentis DEI. *Qui non obediunt Evangelio, pœnas dabunt in interitu æternas à facie Domini. 2. Thess. 1. 8.* Id quod duplici modo verum est, dum & Sancti pœnas Reproborum in Divinitate tanquam in speculo contemplabuntur; & Reprobi in sua calamitate agnoscent gloriam Sanctorum, sicut æger aliquis bonum sanitatis in propriis suis miseriis dignoscit. Sic & Isaias ostendit, unum ex acerbioribus cormentis, quæ scelerati in pœnam noxarum suarum passuri sint, fore, emori fame, mœrore, afflictione sub illud ipsum tempus, quo boni satiabuntur æterna satietate oblectationum, & exultabunt omni momento propter redundantem gaudiorum suorum multitudinem.

*Faciebatis malum in oculis meis, & quæ nolui elegistis, propterea ecce servi mei comedent, & vos esurietis: ecce servi mei lætabuntur, & vos confundemini: ecce servi mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritùs ululabitis. c. 16.* Maximè quia non tantùm cognoscent, quòd Sancti fruantur infinitis deliciis, dum ipsi fremunt inter immensa tormenta; sed

cogno-

cognoscent insuper, quòd DEUS cum Beatis gaudeat & exultet de ipsis eorum pœnis, propter gloriam, quæ ex damnatione Peccatorum in divinam Justitiam redundat. Istud enimvero infelicibus illis dolebit intimè; debere ferre tot cruciatus in æternum, & debere eos ferre in conspectu Judicis sui, & æmulorum suorum, quos extremè oderunt; & debere eos pati cum tanto incremento felicitatis ipsorum, cùm ipsi debeant esse quodammodo victima Sacrificij perpetui, consumpta, quin tamen unquam consumatur, in honorem Altissimi. Et tamen ita res habet: Si ego miserrimus æternùm pereo; tu verò, mi Lector, salutem consequeris, tu semper de meis tormentis gaudebis, & ego semper torquebor de tuo gaudio; & vicissim si ego beatus evasero, & tu æternùm infelix, ego semper ridebo tuam calamitatem, non ut malum tuum, sed ut bonum DEI suas injurias vindicantis. *Lætabitur justus cum viderit vindictam; manus suas lavabit in sanguine Peccatoris. Ps. 57.* Qualis autem obsecro erit ista desperatio, non solùm inter tot mala nihil recipere lenimenti, sed insuper hostium summè exosorum felicitatem suis malis augere? Impius Apostata Julianus manu non aspectabili vulneratus, sanguinem, quo manum impleverat, cælum versùs projecit cum blasphemo convicio: *Saturare Nazarene, vicisti.* Quales ergo erunt blasphemiæ, imprecationes, odium erga Deum, & quemlibet è Sanctis ejus, qui non tantùm vulnerat, sed lætatur, sed se, ut ita dicam, exornat infanti sanguine illorum perduellium? Interim, si omni ex urbe unus solus, & singulis seculis deberet in illam abyssum abjici, & desperabundus fremere, quemlibet nostrûm par esset cohorrescere; tam horrendum malum est, æternùm damnari; & sci-

mus tamen tam multos quotidie eò ruere præcipites, *Multi sunt, qui intrant per eam. Matth. 7.* Et pergimus tamen securi vivere in peccato, hoc est, non formidamus ambulare per viam, cujus terminus est illud irreparabile præcipitium! O te Parentem infelicem, qui genuisti unum eorum monstrorum, quod æternùm peribit! O Matrem miseram, quæ talem abortum lacte tuo nutrîsti! O Matrimonium calamitosum, quo mediante lucem aspexit æternus DEI inimicus! Sed multo miseriorem, multo infeliciorem & calamitosiorem te, qui ante experiri vis cruciatus istos, quàm credere! *Væ quibus priùs experienda sunt ista, quàm credenda! Eus. Emyss. hom. 1. ad Monach.*

## Oratio.

### *Ad Sanctos Patronos ut impetrent nobis gratiam Salutis consequendæ.*

O Sancti mei Protectores, ex omni Cælitum numero à me lecti, pro singulari fiducia, quam de vestro patrocinio concepi, vos non habetis porro quod metuatis, cùm jam in portu stet vestra navis; tamen pro vestra in me summa benignitate soliciti estis de me, quem videtis adhuc jactari cum tanto periculo æternùm pereundi. Et sanè est cur sitis soliciti, dum toties vobis inspectantibus spontaneum naufragium passus sum, quoties peccavi. Et ubi nunc ego essem, si benignissima Servatoris mei manus me non sustentâsset, ne mergerer, & nisi vos tam studiosi salutis meæ non impetrâssetis mihi spatium pœnitentiæ, & tempus emendationis? horreo, dum cogito, & tamen tam parum capio de meo discrimine: quid ergo dicetis vos, qui cogni-

cognitione tam perfecta metimini fundum abyssi illius infernalis, quæ me erat absorptura? Tam multas igitur vobis gratias rependo, quàm multa sunt momenta illius vitæ, quæ vestris, precibus mihi concessa fuit, ut seriò me pœniteret: rogóque vos præterea per illam ineffabilem Bonitatem DEI mei, qui ab æterno elegit vos amicos suos, & hæredes Regni sui cælestis, ne fatigemini iniquitatibus meis, sed vincatis duritiem meam efficaciâ precum vestrarum, & obtineatis plenam præteritorum delictorum meorum veniam, cum abundanti gratiâ, moriendi potiùs, quàm ad vomitum peccati redeundi. Hac nixus spe ego vos hodie eligo testes illius pacis, quam cogito stabilire, & in æternum conservare cum DEO meo; protestando coram vobis, quòd abhorream extremè horribilem meam ingratitudinem, & diabolicam temeritatem, quâ illum tam graviter offendi, & profitendo palàm, quòd si iterum offendere eundem deberem, eligerem potiùs confestim in nihilum redigi, quàm tam immanem illi porro inferre injuriam. Interim vos, qui nunc testes estis mei decreti, facite vos Advocatos perpetuos, & obtinete mihi vires ad vincendos vestro exemplo hostes meos Mundum, Carnem, Dæmonem, ut vobiscum semper in cælo triumphem. Amen.

)o(

# Consideratio VII.

## Pro die Sabbati.

### Æternitas Pœnarum.

*Est Interminabilis.*

I. COnsidera; Pœnas Inferni, quamvis essent levissimæ, ex eo tamen, quòd finem nullum sint habituræ, evasuras infinitas. Quid ergo erit, cùm & atrocitate sint intolerabiles, & simul æternitate interminabiles? Quis potest capere, quantum ponderis accedat dolori ex eo, quòd finem non sit habiturus? Cruciatus unius horæ magnum malum est: duplex malum est cruciatus horarum duarum, & centuplicatum malum est cruciatus centum horarum, atque ita progrediendo, quò pœna durat diutiùs, tanto evadit magìs formidanda. Illa igitur Pœna, quæ durat horis, diebus, seculis infinitis, profectò est malum infinitum, & omnem nostram in concipiendo cogitationem superat. Hinc si hæc daretur Damnatis optio, ut vel tolerarent æternùm punctionem Apis in aliquo oculorum, vel tolerarent omnes cruciatus Inferni tot seculis, quot sunt in cælo stellæ, eligerent procul dubio esse ita miseri tam longo decursu seculorum, & subinde videre finem ejus doloris, quàm tolerare malum tanto minus, sed absque fine. Breve est, contemni potest, quidquid æternum non est; quia per totam æternitatem erit nihil. *Quid enim potest grande esse, quod habet finem? Ait S. Hieronymus in Psal. 89. V. Cornel. in Epist. 2. Petri c. 3. v. 8.* è diverso quod finem non habet, sicut comprehendi non potest, ita non

non poteſt non timeri, niſi ab inſano. Hoc ideirco peſſimum, quòd ſicut malum culpæ, ita & malum pœnæ non maſticetur, ſed devoretur à Peccatoribus. *Os impiorrm devorat iniquitatem. Prov. 10.* Et ſi hoc ita eſt, applicemus tantiſper animum ad metiendam hanc æternitatem, quæ menſuram non patitur. Accipe clepſydram illam, quâ horas metiris, quæ fluunt, & ſic te ipſum alloquere.

Si neceſſe eſſet me vivum hærere in medio ignis per tot millia annorum, quot ſunt pulviſculi arenæ in hoc vaſculo, quando unquam cruciatus meus finem eſſet habiturus? Tanto jam tempore duravit Mundus, & tamen nondum lapſa ſunt ſex millia annorum: nondum igitur ablati eſſent ſex illarum propè atomorum, quæ vitrum hoc implent; & tamen ſi ego morior in peccato, fide certum eſt, poſtquam cruciatus fuero per omnia hæc ſecula, necdum tamen partem minimam ſupplicij mei eſſe præterlapſam, & æternitatem ſuperfuturam integram. Progrediamur igitur; & imaginemur montem tam vaſtum ſimili conflatum arenâ, qui à terra ad ſupremum usque cælum apicem porrigat, & dic: ſi me neceſſe eſſet vivum ardere in igne tot millibus annorum, quot arenæ pulviſculi hunc montem componunt, quando tandem finis futurus eſſet tormentorum meorum? & tamen ſi mori me contingat in peccato lethali, fide certum eſt, quòd poſt cruciatus tot ſeculorum decurſu exantlatos, nihil adhuc pœnæ meæ elapſum ſit, & æternitas tota atque integra ſit ſuperfutura. Agamus igitur hac ratione. Mons iſte magnitudinis tam vaſtæ duplicetur tot vicibus, quot ſunt arenæ maris, quot folia arborum, quot plumæ volucrum, quot ſquamæ piſcium, quot pili animalium, quot atomi aëris, quot guttulæ aquæ, quæ

hactenus lapsæ sunt, & deinceps cælo cadent usque ad Mundi finem: quæ unquam humana mens comprehendere poterit numerum tam magnum, cùm vix illum comprehendat Intellectus Angelicus? & tamen si tu, si ego moriemur in peccato lethali, fide certum est, quòd toto hoc tempore hæsuri simus in igne, quódque omnes isti anni elapsuri sint, quin tamen quidquam decedat nostræ pœnæ, aut æternitas vel unico momento decrescat. O igitur æternitas, ô æternitas! aut fide carent Peccatores, aut cerebro. Potésne tu negare, quòd vivere in peccato non sit, esse constitutum in periculo præcipitandi in illam abyssum, ex qua exitus non patet per omnem deinceps æternitatem? Negare profectò id non potes, si Christianus es: quin imò dicere cum veritate potes, quamdiu ita vivis, te non nisi passu unico ab illa abysso distare; quódque jam uno pede in illa hæreas: *Uno tantùm ut ita dicam gradu ego mórsque dividimur. 1. Reg. 20.* Dum, sicut momento quolibet supervenire tibi mors potest, ita quolibet momento præceps eò ruere potes. Exponere autem se manifesto periculo ardendi mille annis in igne pro vilissima & brevissima voluptatula, procul dubio valde stultum esset; stultius autem esset exponere se hac ratione periculo ardendi per decem annorum millia; multo iterum ac multo stultius per centum millia: exponere igitur se periculo pro re tantilla ardendi per omnem æternitatem, an non erit insania infinita? *Post tantillam voluptatem tam gravis miseria: Bern. ad fr. de Monte DEI.* Tu dicis: cogitationem seriam & attentam de æternitate, posse hominem redigere ad insaniam. Erras: cogitatio ejusmodi potest amentes ad mentem revocare.

*Est*

## *Est inevitabilis.*

COnsidera, quòd si ista perpetua successio seculorum in Inferno posset admittere aliquod lenimen ex varietate, futura esset tolerabilior : at quomodo tolerari poterit, cùm eadem semper & immutata esse debeat in tormentis? Manna in deserto etsi omnem contineret varietatem saporis, nihilominus nauseæ cœpit esse Populo Hebræo, quia semper erat idem. *Nihil aliud respiciunt oculi nostri nisi Man. Num. 1. 6.* Factum autem est hoc Populi murmur secundo itineris per desertum anno, ut Interpretes volunt: *V. Cornel. ib.* Quid igitur futurum fuisset post annos quadraginta, post seculum integrum? Infelices Peccatores! Æternitas illa, quæ vos expectat, si vos vocaret ad convivium cum iisdem semper fercults, talem sui nauseam moveret, ut vos impelleret ad desperationem. Qualis igitur erit vestra desperatio, dum vos expectat æternitas in loco omnium tormentorum, semper eadem cum iisdem cruciatibus? Vos, quibus molesta est concio non varia, imò & Comœdia, quæ caret episodiis, quomodo tandem transigetis æternitatem in iisdem miseriis, sine lenimine, sine mutatione, sine refocillatione? Qui Zonæ toridæ subiecti sunt, diurno tempore rectis Solis radiis non parum aduruntur; nox illis calores plurimùm mitigat. Æger aliquis dormitat saltem tantisper, & tunc omnium suarum molestiarum obliviscitur: nec est vel animi, vel corporis vulnus ullum tam doloriferum, quod tempore non mitigetur. At pro Damnatis spes istæ omnes vanæ sunt: subjecti erunt non radiis, sed fulminibus divinæ Justitiæ, nec veniet unquam aut nox, aut somnus, aut tempus, II.

pus, quæ vulnera eorum mitigent. Atque utinam saltem miseri decipere possent seipsos, & sibi persuadere, venturam aliquando illam mitigationem, etsi reipsa ventura nunquam sit! Sed ne istud quidem possunt: vult enim DEUS, ut perpetuò eorum oculis obversetur sententia æternæ damnationis, characteribus exarata, quos nec æternitas deleat, quin ab ea vel tantillùm animum aliò avocare possint: *Ut videant semper. Dan. 11.* Hinc si cuilibet una hora in doloribus dies videtur, quàm longæ infelicibus videbuntur miseriæ, nunquam per infinita secula interpolatæ? Non solùm patientur miseri per æternitatem, sed ipsam patientur æternitatem; cùm enim hæc semper ante mentis oculos constituta sit, identidem eos toto suo pondere opprimet, eâ omnino ratione, quâ sphæra immensa ex ære totâ suâ mole perpetuò opprimet planum, cui insistit. Quid quòd sæpe plus affligit timor mali imminentis, quàm ipsum in se malum: *Pejor est bello timor ipse belli:* & idcirco dicere oportebit, quòd non solùm æternitas quovis momento Damnatum oppressura sit, sed quòd momento quolibet mutetur in plures æternitates: *in perpetuas æternitates.* Nam si malum est inevitabile, & expectatio certissima, necesse est ut timor omni carnifice sævior anticipet & duplicet cruciatum quovis momento. Tu hæc legendo coherrescis; & tamen non horres peccare? si ita est,

horres præcipitium depictum, & non times te præcipitem agere in verum.

(o)

Est

*Est Justa.*

COnsidera, homines dum semper ad rationis humanæ libram ponderare volunt omnia, nonnunquã hærere attonitos: quòd DEUS brevi hominis culpæ decreverit pœnam ignis sempiternam: id enim ipsi neque cum divina Bonitate, tam nostram imbecillitatem miserari solitâ, neque cum divinâ Justitiâ, quæ in puniendo modum tenet, in animo suo conciliare possunt. Non tamen est miranda hominum hujus seculi admiratio, quæ tota fundatur in ignorantia rerum spiritualium. *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus DEI: stultitia enim est illi, & non potest intelligere. 1. Cor. 2.* Si Peccatores assequerentur malitiam peccati sui, mox istum stuporem suum mutarent stupore alio magìs insolenti. Nunc stupent, quomodo DEUS culpæ uni soli parârit Infernum æternum: tunc autem stuperent, cur non pro omni transgressione plures Infernos destinârit, & cumulum tormentorum septies atrociorum. Rectè hanc veritatem intellexit S. Augustinus, dum asserit, miseriam Damnatorum æternam esse, quia sic respondet malitiæ ipsorum. *Nunquam esset Damonum æterna miseria, nisi esset magna malitia. De Civit. l. 9. c. 13.* Perpende igitur, noxam quamlibet mortiferam, cùm sit vel tacitus, vel manifestus contemptus voluntatis divinæ, esse injuriam DEI. Crescit autem omnis injuria ex duplici capite, magnitudine scilicet ac dignitate offensi, & vilitate offendentis: unde cùm infinita sit dignitas & Majestas DEI, summa è diverso nostra vilitas, consequens est, ut injuria, quâ illum afficimus, sit quodammodo infinita; sitque abyssus malitiæ magìs detestabilis, quàm essent infinitæ injuriæ illatæ creaturis infinitis. Qua- III.

re cùm pœna respondere debeat culpæ ad reparandum ordinem violatum, debet ipsa quoque esse infinita: & quia non potest esse infinita in intensione, cùm ejus creatura capax esse non possit, necesse est ut sit infinita in extensione, & in omne ævum duret.

Hæc eadem veritas meliùs etiam cognoscetur, si consideretur, quòd malignitas peccati tam extra omnem orbitam vagetur, ut vinci non possit, nec pro ea fieri satis omnibus operibus bonis rerum conditarum omnium, & quòd idcirco necessarium fuerit, ut ad satisfaciendum isti debito DEI Filius suis è venis divini sanguinis thesaurum appenderet tanquam pretium justum. *Less. de perf. div. l. 13. n. 183.* Jam malum, quod compensari non potest actionibus virtutum, quantocunque tempore exercitarum ab hominibus, rectè meretur pœnam omni tempore longiorem, & ideo æternam. Sic Magnus iste Dominus nunquam potest contemni, nisi ab insanis: cùm si pœna debita ejus offensoribus aliquando finiretur, contemni posset à cujuslibet judicio & sententiâ: siquidem, *quod æternum non est, nihil est.* Quod per unam integram æternitatem nihil erit, etiam nunc pro nihilo reputari potest. Sic differit, quisquis per Bonitatem in DEO intelligit non stolidam aliquam non curantiam mali; ut stultè illam sibi fingunt Peccatores; sed per Bonitatem intelligit Sanctitatem infinitâ & illimitatâ quâdam ratione pugnantem cum peccato, quæque infinito odio illud prosequitur, quod non potest non prodere, sed debet vindicare ipsum pœnâ respondente, quæ nimirum finem nesciat. Atque ita etiam res ponderat, qui bilance utitur divinæ Justitiæ, quæ falli non potest, non autem ponderibus mendacibus Mundi, de-

di; decepti perinde ac decipientis. Perpende proin, Lector mi care, quàm prodigiosum malum sit noxa mortifera, dum suis quasi in visceribus continet æternitatem miseriarum; fic ut si oculis mentis tuæ penetrare posses & pervadere in illum sinum profundum & malignum, videres intus semina æterni ignis, luctûs æterni, æterni carceris, æterni fœtoris, æternæ pœnitentiæ, æternæ desperationis, æternæ jacturæ omnium bonorum. Cuncta hæc uno in peccato continentur, etiam si tantillo tempore duret, sicut in ovo tam parvo Basiliſci continetur tota venenatissima progenies, & in illa mors multiplex. Interim hoc est Infernus, aut ut rectiùs dicam, nihil horum est Infernus, sed malum infinities majus, quàm à nobis explicari possit; & quod nihilominus toties geminabit suum rigorem, quàm multa sunt peccata, quæ Anima secum feret in illam *terram miseriæ & tenebrarum, ubi umbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Job. 10. v. 12.* An tu unquam seriò cogitâsti de his veritatibus? *Intellexisti hæc omnia? Matth. 17.* Si cogitâsti, quomodo fieri potest, ut pro tam turpi, tam brevî voluptatulâ peccando cum risu præcipites temet in illam abyssum culpæ & pœnæ, quam post se trahit sequelâ legitimâ? Ah! *non intellexisti hæc omnia, non intellexisti.* Cogitâsti obiter, sed non intellexisti. Quod si ne nunc quidem cogitas, quid agis tandem? *Quid tu sopore deprimeris? surge invoca DEUM tuum. Jonæ 1. v. 16.* Quomodo dormis in statu naufragij tam propinqui? cùm tamen malum, si verisimile duntaxat esset, & non fide certum, attonitum te deberet reddere omni momento. Age, nulla non die ora DEUM tuum, ut te liberet; propera ad Confessionem; horre pravorum Societa-

cietatem, fuge peccandi pericula; crebrò divinis Mysteriis utere; opera pœnalia exerce: exi, si necesse est, etiam ex Mundo, ut serves Animam tuam. Tandem nunquam potest nimia esse cura, quæ ponatur in æternitate in tuto collocanda. *Nunquam potest esse nimia securitas, ubi periclitatur Æternitas. Bern. apud P. Lazarum Dussier in Ser. Advent.*

## Oratio.

*Ad Sanctissimam Virginem, ut æternam nobis Salutem obtineat.*

O Mater pietatis benignissima, sicut nulla creatura propiùs refert perfectiones incomprehensibiles divini Filij tui, ita nulla ad ipsum propiùs accedit miseratione. Imitaberis ergo illum, qui est totus Caritas, totus miseratio erga Peccatores, si subvenies mihi misero in summa mea miseria, liberando me ex abysso meorum peccatorum, & à damnatione, quam tot titulis promerui. Scio quantopere etiam res tua agatur, dum agitur de Gloria ejusdem Filij tui, & quòd cupias, ut hæreditas Animarum ab ipso redemptarum sit copiosa, & fructus diviniſſimi Sanguinis ejus augeatur; & idcirco ad te omni cum fiducia confugio, cùm sim certus, quòd non sis omissura preces tuas pro illo interponere, pro quo Dominus meus JESUS Christus ipsam adeò vitam profudit. Quid me futurum esset, si damnarer ad ignes æternos, ad non videndam in æternum faciem tui & mei DEI; ad illum & te præterea, habendos pro inimicis? Ah! nunquam istud contingat. *A morte æterna libera me Domina.* O Magna Domina, impetra

petra mihi ut sim liber à tam tremenda sententia: nihil mihi & meis precibus tribuatur: nec enim dignus sum: sed totum detur precibus tuis & meritis, vulneribus, & morti Servatoris mei. Tu nobis ab ipso ad Crucis pedem relicta es Advocata, & Mater: Da igitur veniam, ut sic te alloquar: Adimple partes tuas; *Monstra te esse Matrem*: resonet vox tua in favorem mei, & sufficit mihi: pone me sub pallio protectionis tuæ, & sum securus. Impetra mihi ne unquam peccato mortifero me obstringam, sed fideliter ad extremum usque spiritum serviam meo Creatori, & Redemptori, ut frui illo possim in æternum, & cum omnibus Sanctis in Cælo compensare obsequia, quæ in hac vita tam ignavè omisi. Amen.



IN-

# INDEX
## Considerationum.

*Consid. I. die Dominica.* Carceris Inferni Angustiæ, Tenebræ, Fœtor.

*Consid. II. die Luna.* Ignis Infernalis Qualitas, Quantitas, Elevatio.

*Consid. III. die Martis.* Societas Damnatorum, Dæmonum, Complicum in peccato.

*Consid. IV. die Mercurij.* Pœna Damni Infinita, Summi doloris, debita Peccato.

*Consid V. die Jovis.* Vermis Conscientiæ. Memoria gaudiorum præteritorum, Pœnitentia sera, Occasiones neglectæ.

*Consid. VI. die Veneris.* Desperatio propter Pœnarum extensionem, intensionem, & earum comparationem cum Gloria.

*Consid. VII. die Sabbati.* Æternitas Pœnarum Interminabilis, Inevitabilis, Justa.

A. D. Gl. Et Animarum Salutem.

(o)

# EXPOSITIO CANTICI MAGNIFICAT

à

V. P. PAULO SEGNERI SOCIETATIS JESU,

*inchoata*

à

P. MAXIMILIANO RASSLER
EJUSDEM SOCIETATIS,

*latinè reddita.*




*Cum Gratia & Privilegio Sac. Caſ. Majeſt.*
*Et facultate Superiorum.*

Sumptibus JOANNIS CASPARI BENCARD
Bibliop.
Typis MATTHIÆ RIEDL Typogr.

*MONACHII,*
ANNO M DCC VI.

# EXPOSITIO CANTICI MAGNIFICAT

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Magnificat Anima mea Dominum.

## I.

COnsidera, quàm diversa sit ratio quâ DEUS magnificat hominem, ab illa, quâ homo magnificat DEUM. DEUS magnificat hominem efficiendo illum magnum *Quid est homo quia magnificas eum?* dixit Job, & dixit *magnificas*, non *magnificâsti*: si enim animum adverteris, DEUS nunquam hoc facere desinit, semper magnum efficit hominem; dum non contentus magnum jam illum fecisse dotibus naturæ, semper paratus est facere illum majorem majorémque dotibus gratiæ, & maximum excellentiâ gloriæ. Homo è diverso magnum facit DEUM, dum se ante hunc tanto magis abjicit, parvúmque facit, quò magis ab ipso attollitur & major efficitur, deprimendo sese, vilipendendo, refundendóque in ipsum omnes omnino favores, quos tanta ab eo benignitate accepit. *Magnificabo eum in laude*, non *me*, sed *eum*. Atque hoc est quod ante omnia facere studuit Virgo Sanctissima. Cùm enim audiret se ab Elisabetha tam sublimi ratione prædicari iis verbis, *Beata quæ credidisti, quoniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi à Domino*; non negavit illi prærogativas exi-

Psal. 68. v. 31.

mias in se collatas; cùm inficiari illas nec posset, nec deberet. Non poterat, quia animi demissio non tollit Animæ aspectum donorum, quibus locupleratur: non debebat, quia cùm Virgo electa esset ad dandum testimonium admirandis illis operibus, quæ DEUS in illa efficere decreverat, idem futurum erat omni in occasione illa dissimulare, ac illa penitus negare. Quid egit igitur? Professa est apertè, in Mysteriis circa & in se gestis, solum DEUM magni esse faciendum, solum DEUM agnoscendum, cùm omnia sine discrimine ab ipso uno manârint. *Magnificat anima mea Dominum.*

Disce tu hinc, quàm immeritò conqueraris, quando dicis, nescire te, quid facere pro gloria DEI debeas. En illud pauciſſimis. *Humilia valde spiritum tuum.* Deprime te in ejus oculis omni meliore modo quo potes: altè in animum demitte, quòd tu ex te nihil sis, nihil scias, nihil possis boni. Dic siquid uspiam habes æstimatione aliquâ dignum, id totum esse ab Ipso, & ita tu confestim eam dabis ipsi gloriam, quæ majorem illum facit non in se, sed in te ipso. Nequit in semetipso crescere DEUS, quia Magnitudo ejus omnis mensuræ expers est: *Magnitudinis ejus non est finis.* Potest tamen in te magìs magisque crescere; eâ siquidem proportione, quâ in te crescit vilis tui æstimatio, quam de te in donis à DEO acceptis concipis, crescit in te DEI æstimatio.

Eccl. 7. v. 19.

Psal. 144. v. 3.

Verum est, quòd Virgo non contenta DEUM summè magnificare in se ipsa, eundem in aliis quoquè summè magnificârit. Ille siquidem DEUS, qui antequam humanâ se carne vestiret, non erat notus, nisi in uno aliquo terræ angulo; *Notus in Judæa DEUS:* non diu post assumptam hominis naturam toti planè Mundo innotuit. *Magnificatus*

*tus est Dominus, quoniam habitavit in excelso*; hoc est, *quia pependit in ligno*, ut explicat Hugo, *implevit Syon judicio & justitia: judicio in Prælatis, justitia in subditis.* Et posito hoc, rectè dicere poterat Virgo, *Magnificat anima mea Dominum*: ipsa enim dedit DEO illam carnem, cujus gratiâ, tanto ille ampliùs futuris temporibus erat glorificandus. Neque hoc duntaxat. Virgo enim non tantùm magnificavit DEUM in semetipsa, ut dicebamus, non tantùm magnificavit DEUM in aliis, sed parum abfuit quin dicerem, quòd illum magnificaverit etiam in semetipso. Siquidem ante Incarnationis in ipsa peractæ opus DEUS erat DEUS, ut nemo nescit: erat tamen hominum tantùm: *DEUS Abraham, DEUS Isaac, & DEUS Jacob*: subinde autem etiam factus est *DEUS DEI*; dum factus est *DEUS Christi.* Ita audis, Christum ferali in ligno apertè dixisse, *DEUS DEUS meus quare me dereliquisti?* Non satis illi erat dicere *DEUS*, sed addere insuper voluit, *DEUS meus*: ut adverteretur, quòd invocaret eum non solùm ut DEUM omnibus communem, sed ut suum proprium. An autem hac magnificatione major cogitari poterat? & hanc tamen à Virgine consecutus est DEUS. Gratulare ipsi sortem hanc suam, qualis nulli alteri puræ Creaturæ obtigit: magis tamen illi gratulare, quòd præ omni alia pura Creatura sciverit respondere huic sorti suæ. Isa. 33. v. 5.

II.

COnsidera quòd ad affirmandam absolutam omnibus numeris gratitudinem, rectúmque donorum acceptorum usum, non dixerit Virgo, ut ceteroquin potuisset: *Magnificat lingua mea Dominum* sed *Magnificat ani-*

*ma mea Dominum*: idque eâ causâ, quia sine comparatione plus gloriæ rependebat DEO mediis facultatibus suis intimis, quàm rependeret verbis. Dum Virgo loquebatur cum hominibus de DEO, necesse illi erat uti vocanbulis, quibus vulgo omnes utebantur: at cùm de DEO loquebatur cum DEO intra se, in agendis ipsi gratiis, in admirando, in amando, in laudando ipso, aliter se res habebat. In hoc non subjecta nostris loquendi formulis, utebatur sensis & affectionibus suis peculiaribus. Nostíne autem tu, qualis hæ fuerint? hoc ut nosceres, nôsse priùs oporteret, qualis Anima fuerit Anima MARIÆ Virginis. Hoc autem quis unquam intelliget? *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas*; quæ sunt Sapientis admiratione attoniti ad illam verba. Dixit, *universas*, non, *singulas*: si enim parte unâ bilancis ponerentur omnes omnium animarum electarum, ab ipsa distinctarum, divitiæ; alterâ autem divitiæ Animæ ipsius unius, hæ non minùs confestim illis præponderarent, quàm aurum ponderis majoris alteri deficienti.

Prov. 3. v. 29.

Ne igitur proveharis in mare vastissimum, ad hoc unum attende: aliam omnino nullam è puris creaturis potuisse de tota sua anima propria ita disponere, sicut disponere potuit Virgo Sanctissima. Ratio ejus rei est, quia sola ipsa plenum perfectúmque Animæ dominium habuit: adeò semper immunem illam ac liberam habuit ab omnibus aberrationibus importunis, ab omni perduellione, obstinatione, affectionibus minùs compositis ordinatísque. Quanto igitur jure, quámque meritò dixit Virgo, *Magnificat anima mea Dominum?* Dixit, quod nulla alia pura creatura dicere potuit, quia alia nulla unquam sic animam suam propriam dicere potuit, sicut illam dixit suam Maria.

An

An tu fortassis dicere unquam potes, quòd anima tua tua sit? quomodo tua, si tam parùm pro arbitrio disponere de illa potes? an non Ambitio, Ira, Invidia, Vanitas eò jam provectæ sunt, ut tyrannidem in illam exerceant? Quomodo igitur tuam ampliùs verè dicere potes? Priusquam illam recuperes è manibus tam multorum hostium barbarorum, quàm multæ sunt perturbatæ affectiones & propensiones tuæ, ne illam tuam jactes; nam etsi jure tua est, facto tamen & re tua non est. Et si re tua non est, quomodo tu quoque cum Virgine liberè dicere poteris, *Magnificat anima mea Dominum?* Ne hoc dixeris: irridebunt enim te mali saltem Dæmones, qui probè nôrunt, traditam suæ possessioni re ipsa illam Animam, quam tu tuam appellas. Vox ista, quæ possessionem significat, paucorum à lingua citra omnem exceptionem profertur, à multorum lingua pessimè; sola Virgo semper & citra ullam exceptionem illam protulit.

Hinc est, quòd Anima ipsi fundi instar fuit, qui nunquam non ipsi summè frugifer fuit; quantum enim boni in illo plantavit, quantum seminavit, id omne in suo seminavit plantavítque. Quàm interim verum est, quòd ex Anima tua plus ad alios redeat, quàm ad temetipsum? Concionaris fortassis, scribis, typo committis, consilia ad virtutem suggeris. Quid autem hinc tibi commodi, si tu non jam tuus, sed hostium tuorum esses? parum sanè id tibi prodesset. Leo, quem Samson suffocavit, paucis abinde diebus favum mellis dulcissimum in ore habuit. Quis tamen illo est fruitus? quivis potiùs alius, quàm ipse. Fruitus est illo Samson ipse, fruitus hujus parens, fruita mater: solus Leo non est fruitus. Dolenda infelicitas! sed faxint boni Superi, ne talis sit & tua.

III. Con-

III.

COnsidera, Virginem, cùm magnificare illum vellet, à quo donis tam eximiis erat locupletata, potuisse verissimè dicere, *Magnificat anima mea filium meum*, dixisse tamen *Dominum*. Et quâid causâ? non aliâ, quàm ut longissimè à se haberet vel umbram laudis propriæ. Ita Sanctis visum: dicere *Filium* fuisset uti vocabulo sibi nimium quantum glorioso; cùm facere mentionem filij non potuisset, quin simul indicaret, quòd ipsa Mater esset. Quare maluit dicere *Dominum*: cùm vocabulo huic non alius responderet titulus, quàm Ancillæ: *Ecce Ancilla Domini*. Et verò hic ipse erat ille titulus, qui Virgini præ omni alio arrisit: sic ut, si illa lætabatur, quòd æterni Verbi Mater esset effecta, non ideo lætaretur, quòd inde Domina Mundi esset hoc ipso effecta; sed quòd ratione quadam peculiari, arctioréque obligatione serva esset, quâ ut Mater servire filio suo debebat, illum lactando, educando, custodiendo, & omne obsequij genus constanter exhibendo, quod mater egena præstat soboli suæ, quanto teneriori, tanto opis magis indigæ. O verè proinde Beatum illum, qui nihil pluris facit, quàm servire DEO! Lectissimis in Oratione abundare deliciis, illustrari miris modis, evehi, visitari, dona sunt æstimanda; sed non tantopere. Minimum, quod DEO exhibeamus obsequium plus multo valet, quàm dona quælibet, quæ à DEO in nos conferantur.

Tu igitur, qui audis, quomodo Virgo se gesserit, ejus tam egregio exemplo disce; non aliam in DEO perfectionem magis amare, quàm quòd sit Dominus tuus. Hæc est illa, quæ in memoriam tibi revocat, quòd totum te pro ipso impendere debeas, quin quidquam inde spectes commodi, quod in te redundet. Si DEO servis ut Potens, ut

Bonus,

Bonus, ut Beneficus est, ambigere potes, an non occulto aliquo tui amore ad serviendum impellaris: si servis ipsi, ut Dominus tui totius est, securus omnino es; sic enim pari ratione ipsi servies, etsi mercedis planè nihil ab eo accipias. Inde tam bene scripsit ille: *Beata gens, cujus est Dominus DEUS ejus.* Neque enim omnes beati sunt, qui verum adorant DEUM. Beati illi sunt, qui sic illum adorant, ut insuper ipsum habeant tracténtque ut eum qui est, hoc est ut Dominum suum omnibus numeris absolutissimum. Psal. 32. v. 12.

Observa idcirco, quòd Virgo ne quidem voluerit dicere *Magnificat anima mea Dominum meum*; dicere voluit *Dominum* nullâ aduncta vocula, quæ restringeret; ut inde constaret, quòd Dominus non magis sit Dominus hujus quàm illius, sed æqualis omnium: *Idem Dominus omnium.* Atque ita nemo est, qui non pari modo ipsi servire teneatur. Age igitur tu, dic DEO intimo animi tui sensu. *Dominus universorum tu es*; simúlque erubesce cùm cogitas Dominum tantæ majestatis eò se abjecisse, ut tui amore etiam formam servi assumeret: *Exinanivit semetipsum formam servi accipiens.* Atque hanc etiam ob causam potiùs dicere voluit Virgo *Magnificat anima mea Dominum*, quàm aliud quidlibet; ut indicaret, non idcirco se Filium suum non agnoscere Dominum, quòd illum ad servi conditionem redactum intueretur. Observavit S. Dionysius, nullum unquam è Dominationum Choro Angelum in sacris Literis legi missum ad serviendum cuiquam hominum; cui enim Dominatio congenita est, dura admodum & violenta illi futura fuisset servitus. Philipp. 2. 7.

Quam igitur res fuit, ad serviendum non uni duntaxat seorsim homini, sed omnibus planè etiam vilissimis

& abjectissimis, mitti eum, cui non tantùm congenita est Dominatio, sed intima, sed à nullo penitus pendens, non autem, qualis Angelorum est, dono accepta! Enimverò fieri tantum opus non potuit sine summa violentia: cujus autem? amoris infiniti. Mirum proinde non est, quòd Virgo contemplans excessus abjectionis tam profundæ prorumperet in hos clamores *Magnificat Anima mea Dominum.* Si homo tunc dignus est tanto majoris fieri, quò magis se abjicit, quanto dignior erit DEUS?

## *Et exultavit spiritus meus in DEO Salutari meo.*

### I.

Considera, æquissimum esse ut Magnificetur à nobis DEUS mediis omnibus nostris facultatibus tam intimis, quàm externis; cùm nunquam, ne à longè quidem, tam multas habere possimus, ut ad finem istum sufficiant: *Benedicentes DEUM, exaltate illum quantum potestis, major est enim omni laude. Exaltantes eum replemini virtute.* Non ita se habet Exultatio in DEO: hæc enim à nobis exerceri non potest, nisi in recessu nostri intimo, dum penitus in illo absorpti sumus: *Exultavit cor eorum in Domino.* Hinc ad sociam nobis operam in hac magnificatione jungendam facilè possumus invitare quemlibet, quemlibet incitare. *Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen ejus in idipsum.* Neminem tamen invitare possumus, ut partem & ipse habere velit in exultatione, quâ gaudemus. *In gaudio ejus non miscebitur extraneus.* Qui hoc in se desiderat, necesse est ut ipse se præparet ad illud experiendum.

Eccl. 43. v. 33.

Zach. 10. v. 7.

Psal. 33. v. 4.

Prov. 14. v. 10.

Hoc

Hoc ita posito, tu mox intelliges causam, ob quam Virgo, cùm egit de magnificando DEO, dixit, quòd magnificet illum operâ Animæ. *Magnificat Anima mea Dominum.* Quando egit de Exultatione, quâ Exultavit in DEO, quòd exultârit in DEO operâ Spiritûs: *Et exultavit Spiritus meus in DEO salutari meo.* Quid autem? An fortassis anima & spiritus non sunt una eadémque res? Sunt una & eadem naturâ, sunt tamen officiis distinctæ. Anima Spiritus est, Spiritus Anima est; hoc omnes novimus. Anima tamen Anima dicitur, quando illas obit functiones, quæ corpus spectant, quales sunt, tribuere illi vitam, illud vegetare, illo ad actiones suas proprias uti. Spiritus autem dicitur, quando sine respectu ad corpus, ut in se, quasi se solâ consideratur. *Unus, & idem Spiritus, & ad se ipsum Spiritus dicitur, & ad corpus Anima.* Ita S. Augustino placuit in hoc Canticum Magnificat. Quando igitur Virgo egit de magnificando DEO, Spiritui suo dedit nomen Animæ, quia ad magnificationem ejusmodi utebatur operâ etiam corporis tot vocibus laudis, ad quam excitavit hocce suo Cantico, quod totius Mundi auribus præcinuit. Quando egit de exultatione in DEO, è diverso Animæ tribuit nomen Spiritûs; ejusmodi enim exultatio manebat in ipsâ, nota ipsi uni: alius nemo illam sibi imaginari, nedum capere poterat.

Expressit quidem illa Magnificationem verbo temporis præsentis, exultationem autem verbo temporis præteriti, *Magnificat Anima mea, Exultavit Spiritus meus*; quia ab exultatione profundissima, quâ exultavit Spiritus Virginis momento, quo Verbum Carnem ejus in utero induit, provenit, ut idem Spiritus subinde non contentus operari modo, qui Spiritui proprius est, progrederetur tanquam

Anima ad ipsam etiam linguam DEI laude occupandam. Nostine quam ob causam tu DEUM tam parum magnifices? non ob aliam, quàm quia in DEO parum exultas. Scrutare tantisper interiora tua, & attende, quæ sint tua gaudia, siqua sentis: sùntne sensilia tantùm, an spiritualia? quin imò in solo spiritu difficile tibi est illa invenire. Id agis & cupis, ut spiritus in te semper operetur tanquam Anima, indulgendo semper sensibus quidquid concupiscunt; non operaris unquam tanquam spiritus, negando ipsis ad quod anhelant. Quid igitur mirum, si destitueris solatiis spiritus? Spiritus non potest unquam verè exultare nisi in DEO, tunc autem solùm exultat in DEO, cùm operatur tanquam spiritus. Necesse igitur est, ut tu procures in te ipso hanc Animæ à spiritu divisionem, quæ tam est exquisita. Sed quis illam efficiet? Idem qui illam effecit in Virgine, sermo DEI ritè conceptus: *Vivus est Sermo DEI & efficax, pertingens usque ad divisionem Animæ, ac Spiritus.* Hebr. 4. v. 12. Altè in Animum demitte Axiomata Fidei, in quibus totus DEI Sermo consistit; & ecce, factam confestim in te, quam diximus, divisionem. Quanto siquidem Spiritus tuus ampliùs desiderabit operari cum DEO suo ut Spiritus, transformando se in ipsum quàm perfectè potest ut ipso fruatur, tanto minùs volet operari cum suo corpore ut Anima, præterquam quantum illud coget impendere se DEI causâ quantum uspiam potest.

## II.

Considera, Gaudij spiritualis fontes esse geminos, illos ipsos quos ei S. Thomas attribuit. 2. 2. q. 28. art. 1. Unus est illud bonum, quod in DEO ipso tam nullis limitibus clausum est: alter

alter est bonum, quod ex DEO in nos proficiscitur. Horum gaudiorum primum naturâ suâ semper majus est, quia est de bono summo, nullis uspiam terminis clauso, & nunquam deficiente. Hinc est quòd Spiritus DEI amore captus, bono hoc semper plenè perfectéque gaudere potest. Alterum naturâ suâ semper minus est, quia est de bono finito & limitato, etsi nonnunquam spiritui magìs sensibile videri possit, cùm sit de bono, cujus & ipse particeps esse possit. Certum saltem est, quod primum istorum gaudiorum, tanquam nobilius præcedere semper debeat, alterum verò subsequi. Et en quàm præclarè totum hoc & admirabiliter explicent verba Virginis. *Exultavit Spiritus meus in DEO salutari meo*: dum dixit, *in DEO*, indicavit primum fontem gaudij, quo fuit cumulata; dum dein addidit *salutari meo*, indicavit nobis secundum. Primus fons erat DEUS in se ipso consideratus, sine ullo ad Creaturas respectu, & ad hunc designandum dixit, *in DEO*. Alter erat idemmet DEUS, sed factus DEUS salutis in assumendo homine: & ad hunc exprimendum subjunxit *salutari meo*. Sicut igitur ex omni numero purarum Creaturarum nulla fuit, quæ clariùs cognosceret, quale sit illud bonum, quo DEUS se ipso plenus est, nulla in quam plus de eodem bono dimanaret, sic quis capere etiam potest gaudium illud, quod ex utroque hoc fonte conjuncto profluxit in Spiritum Mariæ? Fuit gaudium illi simillimum, quo Beati in Cælo fruuntur; unde etiam vides, quòd illam confestim impulerit ad agendum quod ipsi faciunt, nimirum ad exultandum: *Exultabunt Sancti in gloria.* Psal. 149. v. 5.

Quando Sancti in terris homines attento mentis obtutu contemplantur DEUM factum hominem verè gaudent, sed non exultant, semper enim illum vident sub ve-

lo: hinc est quod quantum parte unâ se oblectant, tanto parte alterâ simul se affligunt. Cuperent revelata facie illud intueri, quod nunquam nisi sub nube & velo vident. Sed huic eorum desiderio nimium quantum adversantur sensuum facultates. Atque ita admirationis & amoris vi, succensi desiderio sensus hos deserendi, pro eo quòd quiescant in eo quod vident, anhelant potiùs ad illud quod non vident, ídque tam ardenter, ut à se nonnunquam exeant vehementissima ecstasi, quod non fieret, si haberent in se bonum illud immensum, quod exeundo à se quærunt extra se. Non ita se res habuit cum Virgine. Videbat enim, se illud habere intra se, & idcirco opus non fuit illi per ecstasin ire extra se. Beati Cælites, quando suis denuo vestientur corporibus, an & ipsi forsan rapientur in ecstasin ut DEUM videant? Nequaquam. Ratio autem est, quia illud lumen, quod eis vim tribuit ad videndum, ut nullam habet cum sensibus connexionem, ita etiam eos liberos relinquit ad suas functiones. Nunc observa, ita rem se habuisse cum Maria. Plurimum verisimilitudinis habet opinio, quæ docet, ipsam dum protulit expectatissimas illas voces, *Ecce Ancilla Domini fiat mihi secundùm Verbum tuum*; vidisse sine velo DEUM descendentem in uterum suum ad humanos artus assumendos: idcirco sicut ad hoc non potuit non adjuvari vi alicujus luminis, quod lumini gloriæ non esset absimile, ita nec à sensibus alienata, aut ecstasin passa est: sed viso DEO aliud non fecit, quàm ut exultaret confestim non in se, sed in ipso, eâ prorsus ratione, quâ exultant Beati Cælites ad primum illum obtutum beatificum, quem in DEO figunt: *Exultavit Spiritus meus in DEO salutari meo.* Neque dixeris, simili exultatione gavisum quoque Davidem Regem, quando hoc ipsum DEI

huma-

humanam carnem induti Mysterium velatum intuitus est. David siquidem, si bene verba ejus perpendimus, exultavit quidem ad ipsum, sed non in ipso: *Cor meum, & caro mea exultaverunt in DEUM vivum: in DEUM* dixit, non *in DEO.* Siquidem, ut doctè explicavit Hugo, *exultavit in spe, non exultavit in re.* Et hinc non solus tunc Spiritus, sed & sensus exultârunt, *Cor & caro:* exultavit enim David ad DEUM, qualis media cognitione ænigmatica cognosci ab hominibus potest suo adhuc corpore circumdatis, sed non in DEO, & in DEO, qualis *facie ad faciem* à Sanctis videtur in cælo. Quantum igitur par est te gratulari Virgini Matri illam exultationem, quæ ipsi obtigit! exultationem, cui similem nulla unquam pura creatura, dum adhuc mortales suas exuvias circumtulit, experta est. Si tibi mortali hac in vita exultationem similem sperare fas non est, ora saltem Virginem, ut tali beata quondam in patria ejus precibus gaudere tibi contingat.

## III.

COnsidera non soli Virgini, sed toti adeò humano generi Verbum factum esse DEUM salutis. Cuncti hoc credimus: & tamen ipsa hoc ita sibi proprium fecit, ut illud non respiceret, nisi ut salutare suum. *Exultavit Spiritus meus in DEO salutari meo.* An sine ratione hoc ita prolatum ab ipsa existimabimus?

Inprimis illa sic exemplo docuit, quid par sit facere Fidelium quemlibet. Nemo non rectè credentium ut certissimum tenere debet, Christum venisse ut pro omnibus hominibus moreretur: *Dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Huic tamen tanto beneficio par est respondere quem-

quemlibet haud secus, ac si pro uno ac solo ipso veniſſet. Nec est periculum, nequis in hoc quoquo modo fallatur. Ita venit pro omnibus Christus, sicut pro uno; ita pro uno, sicut pro omnibus.

Accedit, quòd, si Christus in Mundum venit pro omnibus, simul tamen Virginem à cunctis ita distinxerit, ut, si S. Bernardino assentimur, ille magis illius unius causâ venerit, quàm reliquorum simul omnium Patriarcharum, Prophetarum, Martyrum, Apostolorum, Anachoretarum, aliorúmque quorumcunque Electorum. Hoc autem posito, quomodo non illum Virgo appellaret Salutare suum, suum Servatorem, qui si fingamus debuisse amittere aut ipsam, aut amittere ceteros ad unum omnes, elegisset potiùs facere jacturam ceterorum omnino omnium, quàm ipsius unius?

Tandem citra omnem ambiguitatem Virgo Christum *suum* dicere potuit, quia vera ipsius proles fuit. Omnis mater, quis dubitet? suum potest dicere filium, quem genuit. Sed quæ Mater jure majori quàm Maria? Matres aliæ sic filios suos generant, & esse ipsis tribuunt, ut fateri cogantur plus illos à patribus accepisse. Non ita Virgo.

Neque enim Filius ejus patrem in terris habuit, habuit solam Matrem: atque ita, si carnem spectemus, totus Mariæ fuisse dici potest. Deinde matres aliæ sicut ante quàm filios suos generent, eos non cognoscunt, sic quoscunque demum generent, eos casu quodammodo & cæco modo formare dici possunt. Et tamen illos suos dicunt. Quanto igitur magis Virgo Filium suum dicere potuit, quem certo consilio concepit? Scimus omnes, quis ea de re nuntius ab Angelo priùs ipsi allatus sit. Et sic illa per prævium hunc nuntium non didicit tantùm, quis esset, cui vitam se daturam

turam promittebat, sed illum insuper dilexit, aliis antehabuit, solum illum voluit, conchæ instar, quæ soli ipsi, tanquam cælesti rori castum aperiendo sinum promittebat insuper, quòd omni omnino alteri clausum esset servatura. Quod cùm ita sit, an non majori, quàm mater quælibet, jure suum dicere potuit, quem magis ipsa suum voluit? Prô quantum igitur dicere Virgo voluit cùm dixit: *Exultavit Spiritus meus in DEO salutari meo*! *Meo* dum dixit, suavissimum quod poterat dixit: illud enim dixit, quod efficacius posset exprimere amorem DEI erga ipsam, amorem ipsius erga DEUM, & nexum illum naturalem, quo mutuus iste amor nitebatur.

Jam si DEUS, qui erat DEUS salutis, tot modis ipsius erat, quis nobis igitur explicabit, quanto plus ceteris omnibus ab eo acceperit? Fuit illi JESUS Servator modo quàm fieri potuit perfectissimo: si enim hic servavit ac liberavit alios à malo postquàm illud incurrerant, Mariam servavit è diverso faciendo ne incurreret. Nec isto contentus, quid non bonorum subinde in eam contulit? satis sit dixisse, quòd nunquam destiterit ipsam implere gratiis, donec plenam videret omni possibili genere plenitudinis: plenam inquam pro se, plenam pro aliis, & plenam supra alios omnes: plenam pro se plenitudine sufficiente; pro aliis plenitudine superabundante, & supra alios plenitudine omnem modum excedente. *In plenitudine Sanctorum detentio mea.*

Adverte tamen ad tuum profectum, Virginem non exultâsse in *Salute* in se collata, exultâsse in *salutari*, seu dante: ut discceres, non oportere te unquam complacere tibi in donis à DEO in te collatis, sed in ipso solo DEO. Si complaces tibi in donis, nunquam verè exultare poteris;

id enim facis, quod quivis alius in terris peccator. Si complaces tibi in solo DEO, non poteris non exultare; id enim agis, quod Beati in Cælo nunquam non agunt.

## *Quia respexit humilitatem Ancillæ suæ*

### I.

COnsidera, quòd si quis opacam illam nubem, quæ solaribus radiis rectà percussa in se exprimit Parelion, interrogaret; unde in ipsa existat tanta pulchritudo, ut in hac ipsi propemodum Soli vix aliquid concedat? responsura esset, si sensu esset prædita, non aliunde eam pulchritudinem derivatam, quàm quòd amabili ipsam obtutu sol respexerit: *Quia respexit*: eâque causâ cùm aliud ipsa in se non agnoscat, nisi congenitam sibi viliratem, omnem è splendoribus à se tanta copia sparsis redundantem gloriam in unum Solem refunderet. En figuram illius gratitudinis, quâ erga DEUM sanctissima ejus Mater usa est, quando verba hæc omnia conjunxit: *Magnificat anima mea Dominum; & exultavit Spiritus meus in DEO salutari suo, quia respexit humilitatem Ancillæ suæ:* dixit nimirum, multum enimvero esse, in quo ipsa magnificaret DEUM, & in quo exultaret: hoc tamen quidquid, & quantumcunque esset, ipsi illi se debere, qui pro sua inæstimabili bonitate respicere ipsam dignatus esset: *Quia respexit.* Verum est, non dixisse, quòd ipsam, bene tamen quòd humilitatem ipsius respicere dignatus sit, *respexit humilitatem Ancillæ suæ*: ut ostenderet, nihil in se esse quòd respici mereretur; cùm adeò omnis boni inops esset.

Sentit se quis affici erga illos, in quos obtutum defigit ob do-

ob dotes pulchritudinis, bonitatis, blandæ agendi rationis, quas in ipsis obsérvat. DEUS autem affici solet ob ea quæ conferre parat. Unde in re nostra aliud non fuit obtutus iste beneficus, quàm antecedens illa voluntas, quâ inde ab æterno DEUS decrevit tam multis gratiis Virginem exornare. Obtutus hic nullum supponit meritum, sed confert: & eâ de causâ vocatur obtutus beneplaciti, qualis scilicet fores ille Solis, si ejus in arbitrio positum esset hanc potiùs, quàm aliam nubem respicere. In pleno DEI arbitrio est, respicere Animam hanc aut illam, quam malit. Quem proinde singularem favorem in Virginem contulit, quando inter tam multas, quarum rationem nullam habuit, elegit ipsam, ut destinato tempore esset Mater ejus filij, quem missurus erat ut nostra se carne amiciret! Fuit enimvero favor iste tam omni cogitatione superior, ut non posset unquam cessare à DEO propter ipsum collatum glorificando, jubilandóque; hinc cùm posset de Domino suo dicere, *aspexit humilitatem Ancillæ suæ*, maluit tamen dicere *respexit*: aspicere siquidem illa solemus, quæ ante oculos nostros sunt; respicere autem illa, quæ sunt à tergo: *noli respicere potest tergum.* Gen. 19. 17. Inde Virgo, quæ verè cognovit vilitatem propriam, in qua nos tantopere hallucinamur, ut indicaret, se quantum in ipsa erat dignam fuisse quam DEUS relinqueret, dixit quòd ille necesse habuerit ad aspiciendam ipsam retro obtutum vertere, actu tantæ Majestati non satis decoro. Quodsi autem sola vilitas naturæ humanæ meretur ne illam, ut sic dicamus, DEUS dignetur suo obtutu, quid erit si vilitari etiam accesserit iniquitas? Certum est quòd *respicere ad iniquitatem non poterit*, ut dixit Propheta. Et tamen hic est ille favor, quo idem DEUS toties te prosecutus est. Respexit te ut hominem, & ut

hominem iniquum. De S. Petro Sacræ Literæ dicunt, quòd tunc duntaxat permotus fuerit ad culpam suam agnoscendam, quando conversus Dominus ipsum respexit; *Conversus Dominus respexit Petrum.* Quomodo igitur tu unquam cognovisses tuas culpas, si DEUS simili erga te pietate non esset usus? Semel duntaxat ira respicere Petrum oportuit: te autem ô quoties! Visne igitur vivam tui imaginem intueri? en illam his Ecclesiastici verbis expressam. *Est homo marcidus, egens recuperatione, plus deficiens virtute, & abundans paupertate. Et oculus DEI respexit illum in bono, & erexit eum ab humilitate ipsius.*

Luc. 22. v. 61.

Eccl. 11. v. 12.

II.

COnsidera, ultra voluntatem, quam electivam dicimus, quâ DEUS vult homini benefacere, esse etiam voluntatem executivam.

Prima subsistere potest, sine ullo merito, quod in homine videatur. Secunda sine aliquo merito, de ordinaria saltem lege, subsistere nequit. Hinc si DEUS nullis hominum meritis moventibus potuit ad gloriam cælestem illos eligere, quos voluit; non voluit tamen ut quisquam illam consequeretur sine merito, si modò mereri posset. Duo igitur fuerunt benefici illi obtutus, quibus DEUS respexit Virginem Sanctissimam. Unus Intentionis, ille nimirum, quo ab omni retro æternitate illam destinavit ad dignitatem Matris DEI: alter Executionis, ille inquam, quo DEUS re ipsa præparavit illam ad eam dignitatem. Obtutus primus non respexit in Virgine aliud præter ipsius nihilum. Alter respexit illud nihilum ut jam locupletatum innumeris cæli gratiis, quarum ope Virgo debebat evadere exi-

re eximia in omni genere præstantissimarum virtutum, maximè autem Humilitatis, quæ quodammodo splendorem reliquis omnibus tribueret. Unde si nôsse desideras, quid Virgo intellexerit, cùm dixit, *respexit humilitatem ancillæ suæ*, utrum nimirum intellexerit humilitatem, seu vilitatem naturæ propriam, id quod plerisque Recentioribus Interpretibus videtur; an verò intellexerit virtutem Humilitatis, ut ferme censuerunt Antiquiores; non immeritò judicare potes, eam aut ex se, aut ut divino instinctu actam intellexisse utramque. Virgo non fuit electa ad dignitatem Matris DEI ullo suo merito. Atque adeò si spectemus voluntatem antecedentem, quam electivam diximus, rectè illa dixit, non inveniisse DEUM in ipsa aliud, quam vilitatem sibi congenitam, *respexit humilitatem Ancillæ suæ*, hoc est *vilitatem*, juxta id quod paulò ante dictum est, *erexit eum ab humilitate ipsius.* Voluit tamen DEUS, ut ad dignitatem tam eminentem Virgo sese omni meliore modo perficeret nullo non genere virtutum, illius tamen præcipuè, quæ ipsi usque adeò grata acceptáque est, Humilitatis inquam. Et idcirco secundùm voluntatem consequentem, quam appellavimus executivam, rectè pronuntiavit Virgo, quòd DEUS respexerit Humilitatem, seu Animi sui demissionem: non defuit certè, qui huic virtuti gloriam attribueret, quòd Verbum è Cælo in terras attraxerit. *Humilitas Mariæ Regem Cælorum attraxit in terram.* Rich. à S. Laur.

Neque dixeris; decuisse quidem Virginem, mentionem facere suæ vilitatis, non tamen suæ demissionis (Animi enim demissio quò est ditior, hoc magis amat, maritimæ instar conchæ, hærere in fundo) neque enim Demissio hæc cum recta ratione pugnat, quin potiùs ab illa pendet, si rectè Angelicus pronuntiavit. Recta autem Ratio non vult, 2.2.q.161. art.1.ad 3.

vult, ut homo non agnoscat dona, quæ à DEO accepit, sed ut illa sibi ipsi non adscribat: id enim nî ita esset, non
1. Cor. 2. v. 12. dixisset Apostolus: *Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum qui ex DEO est, ut sciamus, quæ à DEO donata sunt nobis.* Et sic etiam recta ratio non vult, ut quando quis talia in se DEI dona agnoscit, æterno illa silentio sepeliat. Hoc unum vult, ut nunquam eorum meminerit propriæ existimationis causâ, sed semper ob bonum & profectum aliorum. Quid autem aptius erat ad debitam huic animi Demissioni æstimationem conciliandam apud omne mortalium genus, quàm palàm cunctis facere, quòd hanc præ ceteris DEUS in Matre sua amando respexerit? *Humilitas*, si rectè Augustinus censuit, *pene tota Christiana disciplina est:* atque adeò hujus quodammodo synopsis est. Unde ut nemo non seriam operam daret obtinendæ gemmæ tanti pretij, sapienter potuit DEUS sanctissimæ suæ Matri suggerere, ut maris quodammodo è fundo extractam omnium oculis in maris superficie spectandam offerret.

Negari quidem non potest, quin ad hoc ut quis in Animi demissione eximius evadat, necesse habeat altè in suam vilitatem penetrare, donec intimè perspectam habeat. Et ideò credendum est, Virginem primo loco Humilitatis nomine propriam intellexisse vilitatem; secundo autem tantùm loco Demissionis Animi Virtutem; eóque magìs quo vocis ipsius etymon primæ, quàm secundæ acceptioni apertiùs favet. Amásne tu scire causam ob quam tam modicos hactenus in Demissionis schola profectus feceris? alia hæc non est, quàm quòd nondum pertigeris ad agnoscendum quàm vilis sis: id si spectes, quod ex te es, tam

es vi-

es vilis quàm ipsum nihilum. *Siquis existimat se aliquid esse cùm nihil sit, ipse se seducit.* Gal. 6. 3.

## III.

COnsidera, his è verbis invicta arguendi ratione colligi veritatem quàm inopinatam, tam legitimam, fuisse scilicet Virginem ab omni noxa originis planè liberam. Nam si rem ipsam ut est perpendimus, quid tandem illa his verbis spectavit? Non aliud sanè, nisi ut tanto reluceret manifestiùs DEI beneficentia comparata nil tale merentis vilitati. Si igitur illa unquam, etsi brevissimo tempore, peccato obnoxia fuisset, ut quid dixisset tantùm, quòd Dominus respexerit ipsius humilitatem? dicendum erat, quòd ne iniquitatem quidem respicere dedignatus fuerit: quanto enim major erubescendi Virgini causa fuisset dicere, *respexit iniquitatem Ancillæ suæ*, quàm solammodo *respexit humilitatem?* Dum igitur non ita locuta est, argumento profectò est, quòd sine veritatis injuriâ ita loqui non potuerit. Percurre historias vitæ quorumcunque Sanctorum, non invenies ne unum quidem, qui prætermiserit occasionem exercitandæ Demissionis tam masculæ, tantíque meriti, qualis est ista, palàm se peccatorem profitendi. Ut quid igitur Virgo occasione tam commoda id ipsum facere neglexisset, si modò salvâ veritate potuisset? *Justus prior accusator est sui.* Prov. 18. v. 17.

Neque contra occinas, ita facere solitos Sanctos homines, quòd rei essent noxarum ab ipsismet admissarum; perinde ac si solæ istæ fuerint, quarum se agebant reos, non autem illa solius originis. Quæro enim ex te; An non Rex David ejusmodi peccatis non minùs quàm multi alij obnoxius

xius fuerit? Et tamen ad se magis deprimendum non aliam, quàm hanc apertiùs adduxit, quòd esset conceptus in peccato: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea*: perinde ac si in hoc tanquam funesto fonte continerentur alia adulteria, homicidia, & iniquitates aliæ haud sanè leves, quarum tamen speciatim reum se non est professus. Ut quid igitur Virgo omisit imitari exemplum tam egregium, à Rege progenitore suo sibi datum? An in Psalmis toties illud non legerat? non probabat? non æstimabat? ut quid imitari non est dignata? nulla afferri hujus silentij causa potest, quàm quòd non potuerit nisi mentiendo: nulla autem Demissio sincera sine comite veritate; quâ sine non virtus, sed vitium foret tam turpe, quàm deforme est mendacium.

Tu interim bono tuo adverte animum ad rem summâ dignam ad miratione. Demissio Virginis tanta fuit, ut potuerit, quod jam dicebamus, pellicere Verbum divinum ad descendendum de cælo in terras. Nihil tamen unquam vel minimum habuit Virgo, cujus ream se ageret. Tu qui tam multum habes, de quo non tantùm accuses te, sed planè erubescas, an tanta forsan es animi demissione, quantâ Virgo fuit? quin imò tantum abes ab ea virtute, ut multum tibi conandum sit, ne plenus sis animi elatione. Cogita igitur, an tua vilitas tantum in te possit ut te demittas, si ne iniquitas quidem id efficere potest. Submissio animi videtur debere esse virtus Peccatorum propria. Et tamen (quis non obstupescat?) in nemine illa unquam major fuit quàm in Sanctissimis quibusque. *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.*

*Ecce*

*Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes Generationes.*

I.

COnsidera, Virginem quamdiu inter mortales vixit, non minùs quàm alium quemvis, Viatricem, ut dicimus, fuisse seu gratiam spectemus, seu gloriam. Spectando gratiam fuit Viatrix, cùm non solùm primo momento conceptûs sui donata non fuerit omni gratiâ, quam erat habitura, ut illam habent beati Cælites, sed ne quidem eam consecuta est unquam, dum carnem mortalem circumtulit. Imò auxit illam & accumulavit momentis singulis, donec illum congereret cumulum, quem omnes scimus. Neque tamen hinc consequens est, quòd illa unquam minorem habuerit gratiam, quàm ipsi in Cælo Beati possideant: fieri enim nonnunquam potest, ut gratia Viatoris cujuspiam longo inrervallo superet gratiam alterius finem suum in termino jam possidentis. Fuit etiam vera Viatrix, si gloriæ rationem habeamus; si enim illa per intervalla vidit sine velo pulcherrimam DEI faciem, ut Sanctorum varij censuerunt, is tamen Intuitus stabilis non fuit & permanens, qualis Beatorum in cælo est, sed interpolatus, sic ut ipsa etiam ad finem usque peregrinationis suæ ambulaverit in fide.

Non potuit proinde dici, quòd Virgo beata esset hac in vita illâ ratione, quâ beata fuit mox atque in Cælum admissa est: soli siquidem Christo, tanquam filio naturali DEI, debebatur beatitudo vel à primo momento, quæ aliis ut finis obtinendus proposita est. Omnes alij promereri illam debuerunt ut bravium, & in hoc eadem fuit Virginis

conditio, quæ ceterorum, non corpus tantùm spectando, sicut Christi (quâ de causâ is Viator simul fuit & Comprehensor) sed etiam animam, quæ sursum tendit instar flammæ, quæ hîc se suâ sphærâ & loco debito exulem detineri novit. Quantopere proinde tu hallucinareris, si tibi persuaderes, Beatitudinem mortali in vita consistere in eo, quòd quis eximius sit à re quacunque adversa toleranda? an non audis dicentem Virginem, beatam se appellandam ab hominum generationibus inde usque ab illo momento? *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Interim perbene novimus, quòd inde ab illo momento subjecta fuerit ferendis gravissimis molestiis, quærendi instar exulis ac peregrinæ tectum quo reciperetur, & hospitium, quin tamen illud inveniret: pariendi divinum suum Filium in caverna inter geminas malè olentes bestias: videndi illum met vix natum quæri ad necem crudelem à sexcentis gladiis: profugiendi nocturno tempore in regionem longinquam, ibíque inter plurima incommoda commorandi: tolerandi tot injurias, tot contemptus, quàm multis illa se pessimè habitam vidit ab ingrato suo Populo, uti & Filium, quem prosequebatur amore majori longè quàm semetipsam; ferendi denique in animo omnes illos cruciatus tam acerbos, quos Filius pertulit in corpore, dum ad extremum usque mansit immota in immani illo supplicio, quod coëgit solem, ut in mediâ diurni sui cursûs orbitâ vultum suum densis tenebris obvelaret.

O quantopere igitur falleris, si inducis in animum, beatam illum esse, quem nihil cruciat! hæc futuræ vitæ beatitudo est, fateor, sed non est hujus, quam vivimus. Quin imò hujus vitæ beatitudo est tolerare quamplurimum DEI amore. Cùm enim, ut constat, geminæ sint homines Christiani

ſtiani beatitudines, una *in re*, quæ eſt Comprehenſorum; altera *in ſpe*, quæ eſt Viatorum, tanto horum quisque beatior cenſendus eſt, quo plura illum adverſa premunt (*ſi quid patimini propter juſtitiam, Beati*) ſic enim majori fundamento, majori ſecuritate ſperare poteſt beatitudinem propriam Beatorum. *Beatus vir qui ſuffert tentationem, quoniam, cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.*

II.

COnſidera, quid igitur eſſe debuerit, quod Virgini tribueret titulum Beatæ apud omnes generationes? Fuit gemina illa ſors, de qua locuti ſumus meditatione antecedente: illa nimirum quâ electa eſt ad dignitatem Matris DEI; & altera, quâ tali electioni ad amuſſim reſpondit. Prima enimvero fuit ſors ſublimis & excelſa: ſecunda tamen profectò illâ minor non fuit: ſi enim prima, gratia fuit, altera & gratia & meritum fuit. Sanè Virgo dignitatem Matris DEI promerita non eſt ut debitam ulli ſuo operi; iſta enim, etſi merito aliquo obtineri poſſet (poſito ſaltem Incarnationis Chriſti decreto) non tamen erat à DEO propoſita ut præmium à quacunque creatura promerendum. Non minùs tamen certum eſt, Virginem tali dignitati ad amuſſim reſpondiſſe. Si nôſſe velis, quâ in re ſitum ſit hoc reſpondere, en illud paucis. Conſiſtebat in eo, ut ſe pararet ad dignitatem Matris DEI priusquam eam acciperet; & ut ſe gereret ſicut decebat Matrem DEI, poſtquam eam accepit.

Ad primum quod pertinet, pronuntiavit de illa S. Ambroſius, quòd *digna fuit, ex qua Filius DEI naſceretur.* L. 2. de Virg. Nec diſſimile aliorum Sanctorum Doctorum idioma fuit. Hoc autem quomodo tandem verè ab illis dici potuiſſet,

si in ipsa defuisset præparatio tantæ soboli debita? Non nescio, prævenţam à DEO Virginem gratiâ respondente: neque enim, ut aurum terra parturiat, satis est ut illam Sol non aliter radiis suis pervadat, quàm cùm lilia florésque alios parere debet. Gratia tamen ista futuræ dignitati respondens otiosa à Virgine relicta non est; sed potiùs cum illa inde à primo conceptus sui momento sic est negotiata, ut quando subinde adfuit tempus excipiendi sinu suo Verbum æternum, hoc Verbum ægrè visum sit quodammodo ferre moram in obtinendo illo consensu, quem hoc in negotio ab ea signis non dubiis expressum voluit: & mox atque illum obtinuit, sine mora eò se contulit, ut quiesceret non solùm qualicunque, sed suavi valde cùm oblectatione. *Dilectus meus descendit in hortum suum.* Hinc sacris Doctoribus visum est, illis verbis *Ecce Ancilla Domini: fiat mihi secundùm verbum tuum* elicuisse Virginem actum Fidei tam stupendum, attentis objecto tam sublimi quod credidit, firmitate quâ credidit, & obstaculis quæ superavit ut crederet, ut tunc posuerit ultimam dispositionem ad introducendam formam tam nobilem, qualis fuit, efficere filium suum naturalem illum, qui ad eam usque diem solius DEI filius fuerat. *Singulari fide subnixa DEI Filium, Filium suum fecit.* Sic locutus est S. Augustinus.

Cant. 6.

Serm. 13. de Nat. Dom.

Quod autem spectat ad gerendum se sicut decebat Matrem DEI, postquam jam eam dignationem accepit (qui erat alter fons Beatitudinis suæ prædicandæ) hoc sufficiat, quòd ipsa, iis quæ Filij sui causâ præstitit obsequiis, merita sit nomen *Socia Redemptionis.* Dixi *Socia*: jam enim scimus, illam ad Mundi Redemptionem nulla re mediante non potuisse operam conferre, cùm eam ad rem opus sit Sorte principali nimium quantum abundante, omnis scilicet

licet menſuræ experte, planéque infinita: operam tamen ſuam contulit alio mediante, dum ut Mater conſenſit in rem tam arduam, Filij inquam mortem in Cruce ſubeundam. Conſtat apertè, noluiſſe DEI Verbum humana ſe carne veſtire, quin illa conſentiret, ut jam antè innuimus; quanto igitur veroſimilius eſt, quòd etiam absque ſimili conſenſu & annutu materno noluerit eandem exponere morti ferali in ligno geminos inter latrones ſubeundæ? Hinc amatiſſimam ſuam Birgittam his ipſis verbis affari potuit: *Ego & Filius meus redemimus Mundum quaſi uno corde.* Lib. 8. Non aliâ illa de causâ, tanta fide, tantâ conſtantiâ hæſit c. 35. ad Crucis pedem, quàm ut planè perfectéque abſolveret oblationem, quâ tam caram prolem pro totius Mundi ſalute ſacrificârat.

Beata igitur procul dubio fuit Virgo ob dignitatem tam ſublimem Matris DEI, ad quam eſt èvecta: ſed non minùs beata ob ſtudium exactiſſimum, quo eidem reſpondit. Prioris Beatitudinis principium fuit voluntas electiva, quâ Magnus ille Pater eam ad tantam celſitudinem deſtinavit; alterius voluntas, quam diximus, executiva. Atque ita pulcherrimè inter ſe conſentiunt cauſæ, quibus ſub idem tempus Virginis Beatitudo adſcribitur. Dum enim eandem Virgo ipſamet adſcripſit obtutui, quo illam reſpexit DEUS adhuc omnis boni inanem. *Magnificat anima mea Dominum, quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Eliſabeth Cognata eandem adſcripſit præſtantiſſimæ fidei, quâ Angeli dictis credidit: *Beata quæ credidiſti, quoniam perficientur ea, quæ tibi ſunt dicta à Domino.* Eliſabeth explicuit cauſam tantæ Beatitudinis ſecundariam, Virgo autem ipſa primariam. Tu autem hinc ad profectum tuum

collige, causam hanc utramque sic esse colligatam, ut neutra stare possit absque altera. Quare quàm necessarium est, ut eligat te DEUS ad præstandum aliquid proferendæ suæ gloriæ, tam necessarium est, te subinde ejusmodi electioni respondere.

III.

COnsidera, sacros Interpretes communi sensu tradere, eluxisse his è verbis egregium Prophetiæ donum, quo Virginis spiritus afflatus fuit: hoc enim illa percurrens singillatim futura secula omnia pronuntiavit, se in iis omnino omnibus Beatam prædicandam: *Ecce enim ex hoc Beatam me dicent omnes generationes.* An videre cupis, quomodo vaticinio eventus responderit? observa quòd quando dici audis, *Beata Virgo*, non potes ambigere an sermo sit de Beata Agnete, de Beata Cæcilia, de Beata Agatha, Beata Catharina aut Apollonia, etsi omnes istæ etiam Virgines sint. Certus es, quòd de sola Virgine Maria sermo sit: usque adeò nomenclatura tam præclara absolutè data non alterius esse existimatur. *Beatam me dicent.*

Cœpit hæc appellatio viventi etiamnum tribui: *Beatus venter, qui te portavit:* sic ut passibus planè iisdem, quibus Christiana Fides per Orbem propagata est, iisdem etiam summa Matris DEI Beatitudo sit propagata. Si jam olim beati æstimabantur illi Christi assecla, quibus inde à principio nascentis Ecclesiæ illam coram intueri concessum fuit, quem ad finem (ut de S. Dionysio sacri Annales tradunt) itinera permolesta aggrediebantur, ut Nazaretum pervenirent, ubi illa paupere in domicilio morabatur, quanto putamus magis Beata illa existimanda fuit, ad quam tende-

tendebant? Secutis autem ætatibus ad illam Beatam prædicandam admirabili consensu Gentes ac Nationes planè omnes sua studia contulerunt. Eâ de causâ si plures aliæ Virgines in Ecclesia Beatæ sunt, ipsæ quoque Beatæ quidem existimantur, sed non omnes eodem modo ab omnibus Beatæ dicuntur. Hæc apud istius, altera apud alterius Nationis Christianos magis Beata prædicatur. Nulla est, quæ non æquali ratione Virginem Matrem Beatam dicat. Proficiscere quocunque vis locorum: non poteris pronuntiare, quænam Natio ceteris in prædicanda Virgine primas præripiat. Singulæ se magis illius honori addictas devotásque profitentur: sic ut dum Virgo dixit *Beatam me dicent omnes generationes*, videatur dicere voluisse, *certatim dicent.*

Et quod hac in re magis mirandum est, videre licet, hoc ejus colendæ celebrandæque studium ac fervorem, ne post tot quidem seculorum lapsum imminui atque tepescere; sed augeri potiùs intendique. Unde quamquam in aliis exercitationibus sacræ pietatis videri possit Orbis Christianus potiùs deficere, quàm proficere, in Virgine tamen colenda semper proficit. Et quâ id aliâ causâ, nisi ut hoc ejus Vaticinium effectum sortiatur? & quis jam ambigat, dum ita vaticinata Virgo est, quin jam tum prospexerit, quidquid deinceps Ecclesia eo in genere esset factura? Non est dubium, quin sacri Vates perfectè id intellexerint, quod præsagiebant, quia id ipsis beati Genij aperuerant, quibus DEUS ministris utebatur ad mentes eorum collustrandas, quæ est Angelici doctrina. Quanto magis igitur id etiam Virgo perspexerit, quam non Angelus aliquis, sed ille qui ipsos illustrat Angelos, Verbum inquam ipsum divinum ejus clausum utero futuros eos eventus edocuerat? An autem

tem[illegible]inter, qui ardore tanto in colenda Virgine certaturi erant, eámque celebraturi, te quoque providit? si providit, gaude, meritò enim id facturus es. Tu Beatam dices Virginem, & ipsa viciſſim te faciet. Noli metuere, ne unquam se à quoquam illa officiis vinci patiatur. *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.*

Eccl. 24. v. 3.

## *Quia fecit mihi magna qui potens est, & Sanctum Nomen ejus.*

### I.

COnsidera, res illas quæ magnitudine sua multùm superant humanam intelligendi vim, difficulter admodum speciatim explicari posse; & idcirco explicari meliùs generatim; sicut videmus factum ab Apostolo, ubi dixit, se dum in cælum raptus est, audiviſſe inibi *arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Ne igitur mireris, quòd cum Virgo hîc meminiſſe vellet beneficiorum quæ à DEO acceperat, ne unum quidem eorum speciatim expreſſerit, sed dixerit tantùm: *Fecit mihi magna qui potens est.* An autem fortaſſis ita dicendo parum dixit? Negari non potest, quin quæ facit DEUS, respectu ipsius semper parva sint. Et tamen en rem admirandam! Ille Virgini *Fecit magna.* Quid ergo dicere ipsa plus potuit, ut collata in se à DEO beneficia exaltaret? Si advertis animum, observabis DEUM in donorum suorum distributione posse esse erga res à se conditas Justum, Munificum, & Magnificum. Justus est respectu rerum naturalium, quia cunctis à se conditis dotes naturæ ipsarum proportione sua respondentes, sic Soli lucem, Aeri refrigerandi, Aquæ abstergendi, Terræ germinandi vim, tribuit. Munificus est in ordine Gratiæ,

tiæ, in hoc enim plus largitur, quàm natura rerum singularum exigat, quas suis beneficiis exornare vult, attollendo eas ad conditionem, ad quam nihil juris ipsis competebat. Magnificus est in ordine Gloriæ, ibi enim confert dona grandia; nec grandia solùm respectu illius, qui ea accipit, sed etiam respectu illius, qui ea confert. Illis siquidem ostendit DEUS, sibi propositum esse, eò pertingere, ultra quod Potentia sua non se extendat. Et verò talis omnino est Cælestis Gloria. Ibi enim quando DEUS Beatorum cuilibet dedit se totum, non habet ultra, quod possit dare. *Ego ero merces tua magna nimis.* Etsi quantumcunque Beatis se ipsum det, dat tamen tantùm viâ Visionis, Adhæsionis, Amoris, & Fruitionis. Non se dat modo intimæ Conjunctionis, quo se dedit Christo. Hinc Unio, quam Hypostaticam dicimus (quæ includit etiam Jus naturale ad Visionem Beatificam) sine ulla mensura excedit omne bonum Beatis collatum. Et idcirco illa non solùm est donum magnum, sed donum maximum, donum quod totam quodammodo exhaurit DEI Potentiam nullis ceteroquin limitibus clausam. Summa porro illa Magnificentia, quàm erga Christum DEUS exeruit, causa fuit, cur eandem proportione suâ exerceret erga Virginem: sicut enim facere non potuit, ut Christus major esset in ratione Filij, sic neque potuit efficere, ut Maria major esset in genere Matris. Christus in genere Filij summus fuit; fuit enim Filius naturalis: & Maria summa fuit in genere Matris, quia fuit Mater DEI naturalis. Hoc autem cùm ita sit, an non existimas Mariam verè dicere potuisse, *Fecit mihi magna, qui potens est?* Ostendit se erga Virginem DEUS non tantùm Justum, non tantùm Liberalem & Munificum, verùm etiam Magnificum, sic ut eam in ordine con-

stitueret, ultrà quem non erat ordo, ad quem illam porrò eveheret. Quando proinde de Virgine cogitas, non persuadeas tibi unquam, quòd cogites de Creatura ejusdem cum aliis conditionis; etsi enim pura Creatura sit, ejusmodi tamen est, ut excellentiâ suâ reliquas omnes simul junctas superet: unde aliis *dedit* quidem *magna qui Potens est*, Virgini autem *fecit Magna*. Ut enim talem Matrem constitueret, necesse habuit facere ordinem planè novum (ordinem quem nec Angelorum intelligendi vis pernoscat) qualis fuit ordo *Incarnationis*; *Ecce ego facio nova, & nunc orientur*. Sic ut, quod facilè perspicis, ne Angeli quidem unquam talem intelligere Matrem potuerint. *Tanta est perfectio Virginis, ut soli DEO cognoscenda reservetur*, ut dixit S. Bernardinus. Et tu cogitatione tua magnitudinem ejus exhaurire te posse credis? tunc id fiet, quando pertinges ad divinæ Potentiæ magnitudinem pernoscendam; priùs enim intelligere non poteris quanta sit Mariæ Virginis Magnitudo.

Isa. 43. v. 19.

## II.

Considera, quòd quemadmodum proprium Magnifici est facere magna, ita etiam ad eum pertineat facere *magnos sumptus*, sine quibus opera magna non perficiuntur. Ita S. Thomas docuit. Unde hæc virtus Divitum propria est: cùm pauper animo quidem, sed non opere, magnificus esse possit. Quis igitur unquam explicare poterit, quàm ingentes fuerint thesauri, quos in Virginis Animam DEUS effudit, ut magnificum se erga illam, & magnificum ultra modum demonstraret? Dixi, ultra modum, seu mensuram; vide enim quæ fuerit mensura Magnificentiæ erga illam exhibitæ:

2.2.q.134 art. 3.

hibitæ: fuit Potentia Divina & Sanctitas. Quis autem nescit, utramque hanc nullis terminis finiri? *Fecit mihi magna qui Potens est.* Habes hîc mensuram primam: *& sanctum nomen ejus*, quod consueta apud Hebræos phrasi idem est ac, *& qui Sanctus est*: en secundam.

Jam supra consideravimus, tam admirandas Mariæ Virginis Magnitudines ad duo capita reduci: ad electionem, quâ DEI Matris ad dignitatem destinata est; & ad studium non interruptum tantæ dignitati in omnibus respondendi. Electio tota debetur decreto, quo ad talem dignitatem DEUS Virginem prædestinavit; pars altera decreto executionis: hinc respectu decreti prioris dixit Virgo; *fecit nihil magna qui Potens est*, respectu posterioris, *Fecit mihi magna qui Sanctus est.*

Præparare DEO Matrem, idea fuit tantæ sublimitatis, ut, quod jam ante innuimus, dici possit, quòd Omnipotens limites quodammodo Potentiæ suæ attigerit: cùm possit quidem producere Cælum stelliferum splendidius & pluribus ornatum sideribus, quàm sit illud, quod nunc attoniti suspicimus; Olympum altiorem, Oceanum vastiorem, Terram magis feracem metallorum, arborum, animalium: non possit tamen producere Matrem majorem illâ, quæ DEUM filium suum habeat. Ut hæc dignitate crescere posset, necesse esset ut & ipsi DEO aliquid dignitatis accederet. Donec igitur DEUS isto major inveniatur, quem suo illa utero clausum gessit, ne Mater quidem major invenietur. Quàm rectè igitur illa hoc respectu dixit: *Fecit mihi magna, qui potens est?* in hoc enim primum locum Potentia Patris habuit, ut ostenderet, quousque se porrigeret, non autem habuit Sanctitas.

Ut porro subinde Virgo digna DEO Mater evaderet,

tantâ opus fuit Gratiæ multitudine, ut in omnibus simul Sanctis reliquis exornandis tanta expensa non fuerit. *Inter Matrem DEI, & servos DEI infinitum est discrimen*; ajebat S. Joannes Damascenus. Si ergo tanta támque copiosa fuit Sanctitas collata in Servos DEI, qualem & quantam esse oportuit, quæ in Matrem collata est? Tantam esse oportuit, ut infra DEUM major intelligi non possit, si rectè Anselmus definivit: *quâ nequeat major intelligi sub DEO.* Si Philosopho credimus, *Honorabiles sumptus sunt maximè, qui pertinent ad Sacrificia*: & propterea in his maximè Magnifici sese exerunt; quia non est periculum ne modum excedant. Quare si è Virgine proditura erat excellens illa Victima, quæ post seculorum lapsum immolanda erat pro reparando humano genere, qui tandem sumptus ad finem tam nobilem superflui futuri erant? Nostíne quantæ fuerint opes, quæ ad struendum Salomonis templum expensæ sunt, etsi in hoc præter boves & arietes Sacrificia alia non essent offerenda? Collige hinc opum abundantiam, quæ impensæ sunt ad struendum Templum tanto nobilius, quale fuit Virgo Beata, cujus in sinu cœpit Sacrificium, quo se ipsum Patri æternum Verbum obtulit, & intra cujus brachia ad Crucis pedem consummatum est. Quàm rectè igitur etiam respectu hujus dixit *Fecit mihi magna qui Sanctus est*: cùm hoc in opere potissimæ fuerint partes Spiritus Sancti? Atque ob hanc causam non dixit Virgo disertè, *qui Sanctus est*, sed *qui Sanctum Nomen habet*; ut indicaret, sibi sermonem esse de illa Sanctissimæ Triados persona, quæ nomen Sanctæ gerit.

Conc. c. de dormit. Deip.

De Excell. Virg.

Eth. c. 2.

S. Th 2.2. q. 134. art. 2. ad 3.

En igitur, quâ ratione DEUS magnificum se in Virgine ostenderit, *fecit magna*; si enim Magnificentia consistit in concipiendis Ideis rerum sumptuosarum præcipuè ad divini

vini honoris propagationem, & in iis ſubinde executioni mandandis, perpende an DEUS in gemino decreto ante dicto verè magnificus fuerit Virginis gratiâ! Quid ſupereſt igitur, niſi ut tu, cùm animo concipere tantas opes non poſſis, quibus illa locupletata eſt, ſaltem non erubeſcas ſupplex illi accidere, ut tuam & ipſa inopiam juvare non gravetur?

## III.

COnſidera, Virginem non tantùm dicere potuiſſe, quòd DEUS illi fecerit magna humani generis bono, ſed quòd etiam fecerit per Ipſam, dum ad Incarnationis Myſteria operam modo tam præſtanti contulit, quàm ſuperiùs declaratum eſt. Nihilominus ipſa nimium quantum oderat omnem jactantiæ ſpeciem: & ideo pro eo quòd diceret *Quia fecit per me magna qui potens eſt*, dicere potiùs voluit, *fecit mihi magna*: cùm libentiùs meminiſſet quantum à DEO acceperit, quàm quantum ipſa dederit ad illum humana carne veſtiendum.

Non tamen diffiteri poſſumus, quin ita locuta ſit Sancto Spiritu verba ſuggerente, ut intelligeretur, quomodo Incarnationis Myſterium, ceteroquin tam ineffabile, non tantùm mediâ ipſius operâ peractum ſit, ſed peractum etiam ratione ſpeciali ipſius causâ Rectè igitur primò dixit Virgo *fecit mihi*, quia non fortuitò illam Matrem habuit divinum Verbum, ſed è millenis & millenis, quas perinde eligere ipſum potuiſſet, nullam tamen earum rationem habuit, electa ipſa eſt. Nos eligere Matrem non poſſumus, quam vellemus; Verbum eligere illam potuit, & elegit. Et cùm hoc ita haberet, non potuit Virgo dicere *fecit mihi*? quandoquidem honor, quo DEI Mater effecta eſt, non alio

nomen in ipsam collatus est, quàm specialis erga ejus personam benevolentiæ.

Potuit dein etiam Virgo secundariò dicere *fecit mihi*, quia licèt Verbum de cælo descenderit totius humani generis bono, tamen solius ipsius causâ potiùs descendit, quàm reliquorum, quocunque demum numero sint, omnino omnium: adeò ut Sanctus Ildephonsus non dubitârit dicere, *Virgo, Mater DEI, solum opus Incarnationis DEI mei.* Non quòd Maria sola spectaretur à magno illo artifice, sed quòd præcipuè: *Primogenita Redemptoris*; Quia ejus solius servandæ causâ, ut jam aliàs dictum est, potiùs venit Verbum, quàm reliquorum omnium servandorum gratiâ.

Tertio loco potuit Virgo dicere, *fecit mihi*, quia ad ejus preces Verbum adventum suum acceleravit, quo hominum genus reliquum indies se minùs dignum præstabat tot modis DEUM irritando.

Quodsi Virgo modo ac ratione tam singulari prærogativis tam exquisitis præ omni feminarum grege cumulatam se vidit, mirúmne videri debet, quod grati animi præferendi studio in hæc verba proruperit, *fecit mihi magna, qui Potens est, & Sanctum nomen ejus*? cùm DEUS nihil unquam majori à nobis jure postulet, quàm professionem gratiarum, quibus nos prævenit maximè cùm in iis conferendis non munificus tantùm, sed & Magnificus fuit. Liberalitati vices reddere potest etiam Pauper, sed non Magnificentiæ. Nam & Pauper liberalis esse potest in remunerando: nam si non reddit quod deberet, reddit saltem quod potest. Non ita fieri potest in Magnificentia: hæc enim in illo solo est, qui non tantùm quod potest, reddit, sed qui re ipsa multum & quantum decet, reddit. Hinc consequens est, quòd Magnificentiæ, præsertim divinæ, respon-

ſponderi aliter non poſſit, quàm illam laudibus extollendo, ut Virgo in præſenti præſtitit. Et ſi tu rem gratam Virgini præſtare cupis, en in quo occupare te debeas; in agendis ſummo DEO gratiis pro favoribus in ipſam collatis: idque tanto magìs, quia etſi hi collati ſunt in ipſam propter ipſam, cur tamen tanto numero & pondere collati in ipſam ſunt, niſi ut ab ea in te dimanarent?

*Et Miſericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum.*

I.

COnſidera, ne ambigeremus de veritate jam nunc poſita (quòd favores collati Virgini, etſi collati eſſent ipſiuſmet gratiâ, tantâ tamen abundantiâ congeſti fuerint, ut etiam in te dimanarent) mox atque dixerat, *fecit mihi magna qui potens eſt*, confeſtim ſubjunxiſſe; *& miſericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum.* Et verò quid eſt, quod in te extinguit fiduciam aliquam etiam eorum favorum partem accipiendi? an non infelix conditio tua? Vult ideo Virgo, ut inter plurimas dotes ac perfectiones, quas DEUS habet ad hoc paratas, ut in te ſit munificus, tu po iſſimùm obtutum defigas in Miſericordiam. Poterat dicere *Clementia ejus à progenie in progenies timentibus eum.* Aut certè *Bonitas ejus*, *Benevolentia ejus*, *Liberalitas ejus*; Ita autem loquendo bene locuta eſſet etiam reſpectu tui; ſed non eſſet locuta ſatìs. Clementiæ finis eſt, mitiùs judicare de noxis admiſſis, & moderari atrocitatem pœnarum. Bonitas major erga meliores exercetur. Benevolentiæ plus meliùs meritis exhibetur. Liberalitas dona magnâ copiâ largitur, ſed non niſi dignis recipere. Atque

que idcirco ab his virtutibus, etsi omnes boni publici rationem habeant, non tamen omnes æquâ portione sperare possunt. At Misericordia quem non ad paria speranda excitat? Potiùs ubi miseria major est, ibi Misericordia campum nacta est, ubi triumphet. Quomodo igitur non animos tibi addit Virgo, & ad ingentem fiduciam excitat, dum certum te reddit, quòd *Misericordia ejus* sit *à progenie in progenies timentibus eum?* Transit DEI Miseratio à generatione in generationem. O nuntium felicem! continua igitur est, maxima est, omnibus communis est: cùm aliâ ratione verum censeri non possit, quòd plus quàm omne flumen regium, tantâ abundantiâ, & inexhaustâ fluat per orbem universum, siqui uspiam aggeres essent, quos ipsa suo impetu ac viribus non perrumperet; aut si ullæ uspiam abyssi essent, quos illa pleniſſimo alveo suo non impleret.

Negari equidem non potest, Virginem hîc per divinam Misericordiam speciali quâdam ratione intellexisse divini Verbi suo in sinu peractam cum humana natura conjunctionem. Hæc sicut naturâ suâ nullis cujusquam bene meritis deberi potuit, sic profectò fuit Misericordia tantæ perfectionis puritatisque, quantam DEUS erga humanum genus exerere poterat. Unde olim hoc nomine potiùs, quàm alio quocunque fuit adumbrata. Hæc fuit Misericordia primis Parentibus promissa: hæc ab iis tot seculorum decursu desiderata; hæc tot votis expetita; hæc celebrata, hæc ob eorum oculos semper versata, tanquam unica Salutis cynosura: *Misericordia tua ante oculos meos est*: in hujus siquidem fide, & non aliter, sperari poterat salutis portus. Hæc tamen Misericordia si in Virginis sinu originem suam nacta est, ab una tamen progenie ad alteram,

ram, juxta Virginis Vaticinium, promanare debebat rivis copiosissimis. Etsi enim non nisi Hebrææ genti esset promissa, debebat tamen à Judæa dimanare ad nationes etiam alias ex aliis, quamlibet à vero DEI cultu & natione Hebræa alienos, Nili instar, qui nullis ripis posset coërceri. Et tu dicere possis, non videre te effecta ejus Misericordiæ, quotidie latiùs omnium Populorum bono propagatæ? *Misericordia Domini plena est terra.* Perpende quousque illa progressa sit! Nemo adeò extremè miser est, ut ea juvante non ad summam aliquam felicitatem evehi possit. Sit Peccator quàm profligatus, quàm perfidus reperiri uspiam potest; modò ipse velit, potest & ipse ad insignem quandam vitæ sanctitatem pertingere.

## II.

COnsidera, quanto jure & quàm meritò promiserit Virgo hanc tantæ Misericordiæ, modò dictæ, propagationem, cùm Ipsa ejus Mater fuerit, *Mater Misericordiæ.* An audivimus illam appellari Matrem Divinæ Potentiæ, Matrem Supientiæ, Matrem Sanctitatis, Matrem Justitiæ? haudquaquam sanè. Fit hoc idcirco, quia dum Carne nostra mortali se DEI Verbum vestiit, nihil quidquam illi aut Potentiæ, aut Sapientiæ, aut Sanctitatis, aut Justitiæ accessit, quòd non jam antè se solo haberet: multum tamen illi Misericordiæ obvenit. Non ignoras, Angelico docente, geminas esse Misericordiæ dotes: Una est dolere miserias alienas, perinde ac si propriæ essent; altera opem iisdem ferre. Ad hanc porro opem ferendam DEO necessarium nullo modo erat carnem nostram induere, cùm jam tanto ante quàm illam assumeret, dici posset aliud non præstitisse, quàm ut opem homini in siniſtris suis casibus af-

ferret. Opus illi carne erat, eum duntaxat in finem ut dolere posset. Et quia amoris excessu huc quoque venire ac progredi constituerat, ideo non concentus quòd DEUS tantùm esset, homo quoque factus est, & homo qui nihil ab aliis diversum haberet in omni genere dolorum, quod citra culpam esset. *Debuit per omnia fratribus assimilari, ut misericors fieret.* Quare si Virgo dedit DEO hanc Misericordiam adeò ipsi novam, quid mirum est, si promittere illam potuit tam sine hæsitatione omni populo? Disponit de illa tanquam re propè dixi sua. Atque ita vides, effectam ipsam communem quodammodo Misericordiæ arbitram, cùm ad eam obtinendam plus ipsa una ac sola valeat, quàm ceteri beatæ patriæ inquilini omnes.

Heb. 2. v. 17.

Quamquam ad hoc animum oportet advertere, quòd beneficium Incarnationis (è quo in DEO Misericordia nascitur) quamvis ad omnes sese porrigat quantum spectat ad sufficientiam, non tamen ad omnes pertineat quoad efficacitatem. Hoc autem inde est, quia efficacia etiam ab acceptatione pendet, quâ beneficium aut acceptetur, aut non acceptetur. Quid juvat, quamvis ad extinguendam totius civitatis sitim sufficiant aquæ fluminis, quod urbem alluit, si cives non omnes dignantur se prosternere ad illas cum aliqua molestia hauriendas? Aquæ, quantum ex ipsis est, non minùs fluunt in commodum eorum, qui non volunt bibere, quàm qui volunt bibere. Unde siqui sunt, qui etsi propinquum flumen habeant, siti tamen emori malunt, penes quem ejus exitij culpa est? Ita se res nostra habet. Propterea Virgo non contenta dixisse *Misericordia ejus à progenie in progenies*, addidit, *timentibus eum*: ut intelligeremus beneficium non conferri illud non æstimantibus. Quid autem significat *timentibus eum*? significat, *colentibus*, significat *amantibus*, significat *reverentibus eum*. Habet hoc

hoc omnis causa universalis: non producit effectum se solâ; necesse est illam à particulari, ad quod eâ indiget, applicari. Sic videmus Solem, etsi caloris abunde habeat ad totas silvas accendendas, nullam tamen se solo accendere. Ut ardeant, necesse est accedere speculum concavum, quod radios collectos ad agendum applicet. Incarnatio vera causa est & unica salutis totius humani generis; ita nos Fides docet: causa tamen est universalissima. Qui proinde illam ad id, quo opus habet, non applicat, quid sperare tandem potest ac sibi promittere? nihil penitus. Ille autem applicat, qui fide viva admiratus beneficij magnitudinem suum illud facit iis actibus, qui optato fini respondent. Ne proinde ullo tibi modo persuadeas, Misericotdiam tam multis exhibitam tibi quidquam allaturam commodi, si nihil eorum, quæ ad te pertinent, agere volueris: *Misericordia* enim *ejus à progenie in progenices* quoad sufficientiam, at *timentibus eum* quoad efficaciam.

## III.

COnsidera, videri posse, quòd ad consequendam DEI Misericordiam optima præparatio sit, suam in eo spem ac fiduciam ponere, juxta illud: *Fiat Misericordia tua Domine super nos quemadmodum speravimus in te*: & tamen Virgo indicavit quòd sit, eum timere, *timentibus eum*. Cur non dixit potiùs *sperantibus in eum*, quàm *timentibus eum?* Timor videtur potiùs tollere nobis animos aspirandi ad aliquod bonum, maximè cùm non est debitum, qualis est Misericordia, quàm addere: cùm è diverso Spes ideo nobis data sit, ut ejus veluti alis attollamur ad illud quoque assequendum, quòd superat nostram vilitatem. Ita est:

Psal. 32. v. 22.

sed hoc in isto genere mirandum est, quòd semper plus in DEO speret, qui illum magis timet: hinc Ecclesiasticus:
Eccl. 2. 9. *Qui timetis Dominum, sperate in illum*: fundamentum enim fiduciæ in DEO timor illius est. Qui illum non timet, facilè illum contemnit, injuriâ afficit, aut saltem parùm solicitus est ut illi placeat: quomodo igitur vis, ut suam in eo spem ponat? Ponit in eo spem, qui timet; timor enim DEI semper nos facit crescere in gratia. Quo autem quisque plus proficit in gratia, tanto etiam ampliùs in fiducia se dilatat. Aperta hæc est S. Bernardi sententia.
Serm. 3. in Cant. *Quantum in gratia creseis, tantum & in fiducia dilataris.* Prô. quantùm igitur fallitur, qui sibi persuadet, quòd procedere viâ timoris, etiam perpetui, spem præpediat! Aliter longè res se habet. Sufficit ut timeas DEUM. Dico, DEUM; aliud enim est timere pœnas, quibus vindicare scelera tua potest, quo modo etiam Peccatores timent; aliud est timere ipsum. Solas pœnas timere, quæ à DEO proficiscuntur, excitare fiduciam non potest, cùm timor ejusmodi etiam ex amore proprio nasci possit: at DEUM timere, summam affert. Hic enim est reverentialis ille timor, Justorum proprius, qui ex alta illa DEI æstimatione, quam de divina magnitudine habent, natus, eos etiam in Cælum comitatur; adeò ille perfectus est.
Psal. 18. v. 18. *Timor Domini sanctus, permanens in seculum seculi.* Hic igitur Timor, sicut quò crescit ampliùs, tanto nos DEO gratiores efficit, ita pari modo magis idoneos reddit ad ipsius opem vivâ fide implorandam. Unde Sacræ Literæ passim plenæ sunt faustis promissionibus timenti factis.
Psal. 13. v. 13. *Beati omnes, qui timent Dominum. Voluntatem timentium se faciet. Timenti Dominum*
Psal. 144. v. 19. *non occurrent mala. Timenti Dominum bene erit in extremis. Oculi Domini ad timentes eum.* Maximè tamen timentibus DEUM

**DEUM** promissa est Misericordia non infirma, & labilis, sed constans. *Corroboravit Misericordiam suam super timentes se.* An igitur existimare potes multum exegisse Virginem, quando DEI Misericordiam cuiquam promittendo, non aliud studiosiùs requisivit, quàm ut ipsum timeret? *Misericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum.* Si exegisset opera pœnalia valdè aspera, si eleemosynas perpetuas, si lacrymas solatij non capaces, si Psalmorum nullâ non horâ ardentissimas preces, potuissent fortassis multi despondere animos. An tantundem difficultatis habet, Timere DEUM? quin imò nihil facilius filio, quàm timere patrem, servo, quàm timere Dominum, subdito, quàm timere Principem. Cùm proinde DEUS cujuslibet nostrûm Pater, Dominus, Princeps sit, & quidquid aliud magnum animo concipere possumus, an excusare nos poterimus, quòd nesciamus, quomodo excitare nos debeamus ad ejus timorem? O insignem humanæ mentis perversitatem, quæ ne veritatibus quidem tam manifestis cedere novit!

Eccl. 33. v. 1. Eccl. 1. v. 13. Eccl. 15. v. 10. Psal. 104. v. 11.

Atque hæ sunt ultimæ periodi eloquentiæ Christianæ, quas postrema propemodum in vitæ periodo chartis commisit P. Paulus Segneri, qui morbo extremo occupatus prosequi non potuit hanc Mariani Cantici Expositionem, quam idcirco affectam reliquit, à morte ejus inventam, quam obiit Romæ 9. Decembr. Anno 1694. ætatis 71. cùm natus esset 1624. 21. Martij Neptuni in Latio.

Collegii Societatis Jesu Paderborn 1703

)o(

Sconeri

Th
2808

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN